Thesaurus observationum medicarum rariorum, experimentis physico-medicis pluribus nec non scholiis, & iconibus ... illustratus / [Johann Jacob Harder].

Contributors

Harder, Johann Jacob, 1656-1711.

Publication/Creation

Basle : 'Ex [Off. Episcop]iana', 1736.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/v6s5pupq

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org



D I. p 17

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30512955

46834

THESAURUS
OBSERVATIONUM MEDICARUM RARIORUM
EXPERIMENTIS
PHYSICO-MEDICIS PLURIBUS
NEC NON SCHOLIIS,

&

Iconibus elegantissimis, accuratissimisquè illustratus, collectus

A

JOH. JACOBO HARDERO

Philos. & Medic. Doct. Anatom. & Botan.
Prof. Sereniss. Princ. Badens. & S. R. J. Academ.
Nat. Cur. Pœonis, ac Patavin. Illustr.
Recup. Socio

Accedit

Index Authorum in hoc Opere citatorum, & Rerum locupletissimus.

S I L E Æ,

Ex iana, M D CC XXXVI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



PRÆFATIO.

HAud exiguam in Medicina cum Theoretica, tum Practica partem conſtituunt obſervationes ; immo pleraque , de quibus , & in Phyſica , & in Medicina judicamus , non ſunt niſi mera ſenſuum obſervata : ea namque omnia, quæ in Theoria Medica nobis innoteſcunt circa partes tam firmas, quam fluidas; nimirum earum fabrica artificioſa , compoſitio mira , locus, connexio , functio , & uſus in ſtatu æquè ſano , ac morboſo certo modo organa ſentientia afficiunt , & mutant, quam mutationem deinde in mente ſequuntur perceptio-

nes & ideæ ſimplices, mox harum conjunctione, vel conbinatione & disjunctione variâ judicium, & ratiocinatio exoritur: In Praxi ſimiliter phænomena, quæ ſenſibus obſervantur, nobis dant ſigna morborum, nos ducunt ad cognitionem cauſarum, inde ergo formantur Indicationes, & tandem à remediorum applicatione producuntur quidam effectus denuo, quid ulterius agendum ſit, docentes & indicantes: Sic Artem ſacram antiquo tempore ſolâ collectione obſervatorum fideli conſtitiſſe Hippocratis & aliorum ſcripta produnt, hæcque ipſa pars ceu maximè ſtabilis, ac firma quovis tempore habita fuit, quippè evidentiâ, neceſſitate, & uſu ſemper eadem nec fallax eſſe poteſt tam facilè: Eæ apparitiones, quæ olim obſervatæ jam, ſimili ratione & hodiè adhuc deprehenduntur; E. G. In dolore lateris ſive Pleuritide verâ Medicorum Græcorum facilè Princeps & Pater Hippocrates atque hujus eloquentiſſimus, ac latiniſſimus interpres A. C. Celſus ſemper adeſſe febrim cum Tuſſi notarunt, quæ & hodie in omni pleuritide obſervantur. Immo verò ſi quis probè ſciat bona quæque ex veteribus Medicis, & imprimis Hippocrate colligere, digere, & in ordinem redigere, habebit pleraque, quæ ad artis ſcopum probè contingendum faciunt; in obſervando enim diligentiſſimi, & exactiſſimi fuerê veteres, multis inſtructi dogmatibus & obſervationibus utiliſſimis, quæ demum neglectæ hoc noſtro ſeculo à plurimis ac prætervisæ ſunt: Hinc celeb. Morgagnius non minus

doctè,

doctè, quam eleganter Adverſaria ſua Anatomica trifariam diviſa orbi erudito exhibuit : Nempè in quædam Veteribus jam cognita, at recentioribus neglecta : dein nonnulla ab aliis aliter deſcripta : denique ea ipſi primum obſervata ac viſa, adeoquè penitus nova & antea nunquam perſpecta. Mirum jam nulli videbitur, cur obſervationes puræ & ſimplices à Viris, & arte & famâ toto Terrarum Orbe inclytis conſcriptæ vel collectæ utiles valdè omni tempore, & neceſſariæ ſint ; Undè aurei Hippocratis & Bœrhaavii Aphorismi, dein & aliorum, ut Lommii, Schenkii, Plateri, Wepferi, Tulpii, Ruyſchii Obſervationes nunquam ſatis laudandæ ejus ſunt indolis, & neceſſitatis, ut nullus Medicorum his tutò carere poſſit ; hinc nulla fere cernitur Bibliotheca cujus non præter Hiſtorica maximam partem componant obſervationes, quæ, quia varias admittunt differentias, ſine dubio multi intereſt eas probè diſcernere ; Theoreticas, nempe à Practicis meliores & magis ad Medicinæ finem facientes à minus probatis, ac vilioribus : Juveni Medico namquè diverſo tempore diverſas legere conducit obſervationes, nunc Anatomicas, Botanicas, nunc Chemicas, Pharmaceuticas, Practicas deniquè varias : Multi, Studio Medico qui ſeſe addixerê, in hoc valdoperè errare videntur, quod antequam Theoriam probè calleant ad Practicas Obſervationes ſeſe conferant, fulcro tunc ſeu fundamento i. e. Theoriâ quia carent, parum certe proficere queunt, potius con-

fuſione oborta plurima phænomena malè interpretantur, & Empyricorum more in tenebris caligant; Quis quæſo ſtatum C. H. præternaturalem ſeu morboſum ritè cognoſcere, intelligere, & aliis demum explicare poterit, qui naturalem & ſanum prius haud exploratum habet; Morbus non eſt niſi defectus ſanitatis, hæc ergo neceſſario debet illum præcedere. Ad Theoriam ergo, & Praxin addiſcendam, ac amplificandam opus eſt obſervatis, & quidem aliorum ſeu plurium Eruditorum, quia propria ſola haud ſufficiunt; Nam non omnia poſſumus omnes: *Non omnis fert omnia tellus &c. ut Virgilius* canit: Unus in hæc, alter in alia incidit. Theſaurus hic ſiſtit B. L. Obſervationes Anatomicas, & Practicas, adeoque cuivis, qui Medicinæ Operam navat, per quam utiles, ac neceſſarias; quæ abs Celeberr. Authore P. M. peculiari planè ſtudio, ac induſtriâ à longo tempore collectæ atque conſcriptæ, Experimenta quælibet ſumma cum diligentia, etiam multiplici vice inſtituta ſunt, unde haud ineptè eum judicare exiſtimo, qui hocce Theſauro obſerv. Med. nullam Bibliothecam commodè carere poſſe aſſerit; Alibi enim vix invenies L. C. quæ hiſce in Obſervationibus comprehenduntur; & hæc videtur eſſe ratio, quod eæ à quam plurimis Medicis tam in Theoreticis, quam in Practicis Collegiis publicis privatisque citentur, allegentur, maximisque extollantur laudibus. Quandoquidem verò non neceſſum eſt, multis ut coner harum Obſervationum ſummam

mam utilitatem demonſtrare; quilibet namquè hafce attentius paulo per legens fructum inde percipiet non ſpernendum; paucis tamen ordinem, & rei totius ſummam hîc indicaſſe juvabit. Primo namquè ſeſe offerunt Diſſectiones variorum animalium brutorum; Phenomæna in iis obſervata, & experimenta circa ea capta fideliter & accurate adnotantur, ſcholiis doctiſſimis ubique, & Figuris ſive Iconibus pulcherrimis, ubi quidem id opus fuerat, explicantur, ac illuſtrantur. Quæ de Viperarum Morſu ad Ill. Franciſcum Redi, de Noxis Cicutæ terreſtris ad Virum longe Celeberr. Joh. Jacob. Wepferum Scaf. Arch. commentatur ea non ſolum rei pondus verum & Authoris ſummam induſtriam, labores perpetuos ubere ſatis demonſtrant: haſce Theoreticas magis Obſervationes, excipiunt meræ Practicæ rariores circa pleraque C. H. Viſcera apparitiones & phenomæna præternaturalia ſ. morboſa patefacientes: Hæ ergo Tibi A. L. veram Anatomiam practicam ſ. Pathologicam ceu utiliſſimum quid in arte curandi præbent; eâ enim abdidiſſimæ Morborum & Mortis cauſæ toties deteguntur ac in Apricum producuntur. An quæſo unquam de Hydrope Ovarii liquidò conſtitiſſet, de Calculis in pulmonibus, in Hepate aliisque Corporis partibus, niſi per Anatomiam practicam hæc demum cognita fuiſſent: Indicem demum duplicem ſubjunctum habes H. L. Authorum & Virorum in Arte Sacrâ celebrium, quorum paſſim in hoc Opere fit mentio, vel

ſententiæ

ſententiæ examinantur unum ; rerum denique & verborum locupletem valdè alterum : Omnibus his Te L. C. non ſine fructu, & aliquali oblectamento uti poſſe, ſpero, opto.

F. S.

OBSER-

Ad Schol. Observ IX. figa

a. Orificium uteri externum
xx Cicatrices oblongæ
b. glandula hepatis speciem Corpus tortuosum referens didymæ referris ad ejus insertionem.
ee Uteri Vagina.
ff. Cornu dextrum
gg Cornu sinistrum
hh Protuberantiæ duæ fœtuum recumbentium vestigia.
ii. Ovarium dextrum & sinistrum.
k k Cicatriculæ duæ in dextro conspicuæ.
m. Ovulum per tunicam transparens.
llllll Vasa versus uteri cornua dispersa.

Ad Observ. IX. fig.
Porcellum lactantem. aa. cum vasis placentalibus b. et glandulosis cohærentem ostendit.

Ad Schol. Observ IX. fig. 2
a.a.a.a. Cornu Uteri sinistrum apertum
b.b.b. Areolæ glandulosæ.

Ad Observ. I. fig. 1.
Orificium Ventriculi glandulosum monstrans.

Ad Observ. 2. fig. 2.
Orificium fœtus introrsum cum tubulosa glandularum facie exhibens.

Ad Observ VIII. fig.
Ventricul. 4. ruminantium cum vasis ipsos perreptantibus monstrat.
aa. Oesophagus.
b.b. Ventriculus I.
c. c. Ventric. II.
d.d. Ventric. III.
e e Ventricul. IV.


Ad Schol. Observ. VIII. fig. I.
a. Tunica extima prima.
b.b. propagines nerveæ in secundam abeunt.


fig 4. B tunicâ quartâ BB quæ glandularum sedes ostendit.

fig 2. tunicam nerveam sistens. α. α.


fig 3. tunica tertia. aa. b.b. Nervi & secunda interstitia pergentes. ccc. fibræ nerveæ.

Johann. Sperl. sculpsit




Ad Observat. XII. Figs.
Intestinum coecum inflatum exhibet cum fibris circularibus transparentibus.
Ad Observ. X.
a.a.a.a. Tunica allantois
b.b. Urachus
c.c. Vesica.
cum suis appendicibus.
prælongus.
Ad Observat. XII. Fig. 4.
a.a. Sacculus
b.b. Pancreas
glandulosus quasi in scirhum induratus
hujusmodi coëxum.
Joh. Spiegel. sculp.





Ad Obſerv. XV. fig. 1
aaa. Aſpera arteria
b.b. Muſculi Sterno-bronchi-thyroid.
cc. Oſſ hyoides.
d.d. Lingua.
ee. Cavitas in lingua conſpicua.
fff. Muſcul. cerotoideorum et ceratogloſſorum veſtigia.
hh. Denticuli circa radicem linguæ.
i. Laryngis Orificium.
KK. Dentium ſeries ſemilunaris.
ll. Denticuli lineatim diſpoſiti.
m. Dentium ſeries alata.
oooo Dentium ſeries circularis.
p. Oeſophagi orificium.
qqq. Facies interna glandulosa.
rrr. Ingluviei cum vaſis ipſam perreptantibus.

Ad Obſervat. XII. fig. 3.
a.a. Pancreas Aſellij.
b.b. Sacculus glandulosq; aperius.
cc.cc. Area glandulosa.

Ad Obſerv. XV. fig.
Stomachi portionem cum ventriculi.
Corpore tubulato ſ. Corona glandulosa ad
ejus oſtium poſita oſtendit.

Ad Obſerv. XV fig. 4
aa. Renes agnini ſimiles
b.b. Succenturiati triangulares
cc. Teſticuli
dd. Epidymidis veſtigia.
ee. Vaſa deferentia.
fff. Ureteres.
g. Arteria aorta.
hh. Appendices renales ex altero latere.

J. Sriegel fec.







Fig.
Ad Observat. XIX
a.a. Oesophagus apertus.
b.b.b.b. Plicæ ejus robustæ.
c.c. Glandula circa Orificium superius.
d. Ventriculus quasi in duos divisus
e. Orificium inferius.
f.f.f. Tractus intestinorum tenuium.
g.g.g.g. Vasa mesaraica.
h.h.h.h. Intestini cæci duplicis faciei reticularis
i.i.i.i. Glandula interspersa.
k.k. Intestini recti facies glandulosa.




Ad Observat. XVI fig. 5.
a.a. Cerebri limbi.
b.b. Vasa sanguifera per illas dispersa.
c.c. Corpus falcatum.
d.d. Obtegmen cartilagineum.
e.e.f.f. Prætuberantiæ 4. testes et nates constituentes.
g. Glandula pinealis.
h. Cerebellum.

Ad Observat. XVI. fig. 4.
a.a. Arteria aspera.
b.b. Ejus rami.
c.c. Foraminum locus.
d.d.d. Pulmonares vesiculæ.
e.e. Foramm. prope alteram pulm. superficiem.
f.f. Cordis auricula.
g.g.g.g. Arteria et vena duæ
Cordis in pulmones egredientes
h. Cordis basis.



Ad Observ. XVI. fig. 3 (conferiores)
a.a. Hepar cum porta ramific. per totum
b. Lien sive glandula ovalis.
c.c. Intestinum duodenum.
d.d. Pancreatis portio.
e.e. Portæ truncus
f.f. Vesicula fellis in situ naturali
ggg. tubuli biliarij in Vesicam tendentes
h.h. Ductus cysticus
iii. tubuli in porum hepaticum abeuntes
k.k. Ductus hepaticus.

Tab. Anat. I. f. 19. 20. 21



OBSERVATIONUM ANATOMICO-PRACTICARUM CENTURIA.

Observ. I.

Radicis lupariæ & Olei nicotianæ effectus in Ciconiâ majore.



Ense Septembri Anno 1680. Ciconiæ majori amygdal. dulc. ʒi ß. in bolo exhibuimus: hinc coccularum contusarum ʒ j. sed citra ullam noxam: Postridie Radic. Lupariæ luteæ contusæ ʒ j. circiter intrusimus, quæ ilicò vomendi desiderium induxit, tantisper subsistens, usque dum radices evomeret, quas cùm in bolos coactas, tantillo spatio interjecto, denuò exhiberemus, iterum sed mucosas brevi pòst ejecit, atque hoc itidem tertiâ vice contingere, quamvis majori cum mucositate vidimus. Ut propterea genius radicis istius patesceret magis, bolum alium ex istâ merâ paratum, deglutiendum obtulimus, post quem cum capite valdè inciperet nutare, alios duos adhuc, eodem modo paratos intrusimus, qui vomendi conatum vehementem ac pertinacem excitârunt, donec eosdem sed fluidos & solutos ejiceret, cum subitâ alę utriusque volutatione, pedum vacillatione & totius corporis delassatione, citra tamen pejora symptomata. Postridie filum ol. Nicotian. per retort. destillato madidum, per partem alæ dextrę carnosam superius trajecimus, mox alis volutare & tremere incepit, hinc humi prostrata, rostrum & caput convelli, tandem ingenti vomendi conatu, quem ejectio materiæ cujuspiam, solidæ, fluidæ & subflavæ insequebatur, prehensa fuit: Semiquadrante post ϑ j. præter propter ejusdem olei, quâ in substantiâ, quâ in bolo infudimus, à quibus convellebatur ilicò, pedibusque & capite retrotractis, motu omni, vitâque privata cecidit.

Calentem adhuc cùm ſecaremus, motus convulſivos undulantes, in muſculis pectori incumbentibus, ex reſiduis ſpiritibus animalibus agitatis vidimus, hinc coſtis diſciſsis & ſterno elevato, in medio ventre ramus ſubclavius inſignis ſe obtulit, & *membranæ* quibus pulmones infimo ventri hinc inde circa initia annectuntur plures, diaphragmatis vices ſupplentes comparuerunt: *foramen* quo infimo ventri aër communicatur, in utroque pulmonum lobo unum: Pulmones ipſi egregie veſiculoſi micabant: Pericardium humore ſeroſo plenum, ut & vaſa pulmonalia inſignia: Auriculæ cordis binæ cum totidem ventriculis, ſanguinem fluidum continebant, & quaſi ipſomet illo oleo tinctum: qualem etiam in arteriâ magnâ deprehendimus, in quam cùm aërem ſiphone injiceremus, auricula cordis ter palpitare cepit: Hæc ipſa dum ex corde egreditur, aliquot ʒ. diſtantiâ in ſubaxillares & carotidas dividitur: Sternum muſculos ſuſpenſores duos obtinet, & aſpera arteria circa ſui in pulmones inſertionem, in utroque trunco foramine donatur: Venter imus omentum exhibuit pingujuſculum & hepar duobus lobis conſtans, cujus parti cavæ veſiculam felleam annecti, parvam cum ductu bilario notavimus: Renes erant grandiuſculi, oblongi & quaſi ex variis lobis conflati, vaſisque emulgentibus à cavâ & aortâ oriundis ſtipati, quoad interiorem verò ſubſtantiam, omnino fibroſi: *Ureteres* ex horum medio circiter prodibant, oblongi & albicantes, verſus finem inteſtini recti terminantes: *Oeſophagus* ſumme fibroſus & orificium ventriculi ſuperius glanduloſum omnino & craſſum. (vid. ſis fig.) glandulæ hæ parte poſteriore inciſæ, tubuloſam faciem monſtrârunt: Pancreas ſecundum longitudinem inteſtini duodeni protendebatur: Inteſtina tandem cum ſuis glandulis quod concernit, de ijs videri poterunt, quæ tum Clariſſ. D.D. Pejerus enteradenographiæ ſuæ, tum etiam Exercitationibus noſtris familiarib. p. 212. inſeruimus.

SCHOLIUM.

LUparia hæc eſt Tragi l. 1. de ſtirp. hiſtor. cap. 82. Aconitum flore luteo Bauhin. hiſt. plant. l. XXXIV. pg. 652. Græc. Λυκοκτόνον dictum, quòd lupos exhibita enecat, unde etiam Antuerpienſes in acetariis radice hujus gulam oblectantes inſcii, funeſtas pœnas dederunt, aduretis enim eſt fa-

eſt facultatis ſi Trago, calida & ſicca in quarto gradu, ſi Dodonæo credimus: Napello ſanè vires ſatis affines obtinere, ex irritatione & vellicatione, quam particularum ſalinarum nociva acrimonia produxit conſtat: etenim vix dum ingeſta, nauſeam peperit pertinacem, uſque dum ejecta rurſum fuerit, inde vicibus aliquot iterata, cùm ulteriori morâ, tum partium aculeatarum, à fermento ventriculi ſpirituoſo majori ſolutione, ſpicula in fibras nerveas adegit vehementius, adeo ut muci multùm primùm excerneret, inde archeo atrociùs concitato vomeret, motuumque ſpaſmodicorum, cum ſpiritus animalis manifeſtâ deſtructione, quam vomituritio crebra dubio procul adjuvit, haud obſcura ederet indicia: Equidem ciconiis ad vomendum naturâ quædam propenſio ineſt, nam pullos ſuos re hortante, eâ quam ante deglutiverunt, alimoniâ cibant, quod opus ruminationi quadantenus eſt analogum, ceu Nobiliſſ. Peyerus Merycolog. l. I. cap. IV. oſtendit: hoc tamen negari nequit aconitum lycoctonum ingentem ſtimulum addidiſſe fibris ac tunicis oris & gulæ, quas ingeſtum proximè attigit, cumque fieri non poſſit vellicatio, citra ſpirituum in nervis excubantium commotionem, manifeſtum oppido eſt, ſpiritus animales per fibras nerveas à veneno affici, atque ad rei moleſtæ expulſionem, vi ordinis naturæ impelli: Id animo veritatis avido obſtare poſſet magis, cujus præfatus Excellentiſſ. Pythagoras amicè nos monuit, quod cantharides Sale acerrimo præditas, ceu effectus teſtantur, ſine noxâ devorent ciconiæ, nec tamen plantæ iſtius ſpicula queant eludere. Verum ſi quod integras fermè deglutiant, nec manducando reſolvant, conſiderare libuerit, multa amplius difficultas non erit, Sal enim niſi debitè ſolutum effectu parili potiri non poteſt, uti quoque in aliis volucribus, venenata quandoque devorantibus notamus: Ventriculo autem vim inferre nequeunt, cruſtâ callosâ adverſus ejusmodi injurias obmunito, cui accedit copioſus è glandulis tubulatis mucus, qui particulas aculeatas irretiendo obtundit, dicteq; cruſtæ fomētum præbet: Nihilominus ex radice iſtâ penitus non concidit, quòd rejectis vomitu, radicis intruſæ reliquiis, maximâ ſaltem ex parte, ſpirituum motus exploſivi paulatim ceſsârunt, hinc alterâ die viribus tantiſper reſumptis, nicotianæ demum enormibus inſultibus periit: de herbæ autem iſtius oleo in ſubſeqq. prolixioribus eſſe licebit, addituri jam pauca ad volatilis hujus interanea: de gulâ & ventriculo Ciconiæ Ann. 2. Ephemer. quædam inſeruit Celeberr. *Wepferus*, in accuratiſſimâ Caſtoris Anatome, acinorum autem glanduloſorum coronæ inſtar orificium ſuperius ſtipantium neceſſitatem ac utilitatem Nobiliſſ. Pythagoras in Anatome Ventriculi gallinacei detexit, uſque adeo ut volatile nullum eſſe arbitremur, quod hiſce theculis defraudetur, bene tamen quòd ingluvie careat: habent hujus loco σύμαχον εὐρὺν καὶ πλατύν, uti quidem cùm in

anſerum tum anatum ſylveſtrium Anatome vidimus : Pariter etiam è foraminibus aſperæ arteriæ, (fortè & pulmonum) hiulcis aër in veſiculas membraneas ruit, ſicque reſpirationis negotium adjuvat : alias mirum eſſet utcunque, qui pulmones coſtularum inter interſtitia hærentes, nec uti in aliis animantibus liberi, commodùm expandi queant, nî elaſtica aëris vis, cui experientia ſuffragatur, muſculique validi pectori motum largientes, rem omnem ſatis explicarent. Contenta ureterum albicantia, de Renum (quos pennatis malè denegat Ariſtot. cap. 9. l. 3. de partib. Anim.) actione, quâ craſſiores partes, easque in gallinaceorum genere perquam ſalinas unde in calculos concreſcunt ſæpius, cum tantillo humoris ſeroſi ſequeſtrant, abundè teſtantur : In aquilis tamen fæces habentibus liquidiſſimas, & ne gry quidem, uti propriâ experientiâ compertum tenemus, bibentibus, unde ſerum iſtud ſuppeditari queat, inferius in ejuſdem Anatome apertum dabimus.

Observat. II.

Olei ejuſdem effectus in Ciconiâ femellâ juvenculâ.

Die 24. May Ann. 1681. Ciconiæ femellæ juvenculæ, bolos aliquot ex pane, ol. nicotian. madidos intruſimus quos autem vomitu ilicò ejecit : Hinc guttulas quatuor ejuſdem olei infudimus, poſt quas vomiturire, caput variè motitare & aliquantiſper angi cepit, nullo tamen graviore ſymptomate ulterius inſequente, ſibi relicta fuit : Die poſtero ℈ß. circiter olei ejuſdem rurſus infudimus, unde mox collabaſcere, caput retrotrahere, convelli, tandemque penitus corruere viſa fuit, motibus convulſivis adhuc in quibuſdam muſculis, quos cultro incidimus, ſatis conſpicuis : Interanea hujus, uti in præcedente habebant : Præſertim verò heic notare licuit ſanguinem grumoſum, in lobo pulmonum utroque, dextro potiſsimum, fortè quod aliquid de dicto oleo per aſperam arteriam hauſit : Egregius quoque fuit ureterum materiam gypſeam continentium, è renibus glanduloſis exortus.

Scholium.

Nicotiana herba eſt, non ſolùm ubivis decantata, ſed præcipuæ hominum parti, cujuſcunque dignitatis aut ſortis illi fuerint, variè uſitata, ſunt enim qui folia maſticant innoxiè, aliis fumo gulam reficienti-

cientibus, ſunt qui Medicinam parant, quovis antidoto prę-ſtantiorem. Authores ſerietenùs in ſcenam producere, nec proderit, nec opus eſt. Sufficit Neandro & poſt hunc Magneno Vir. Clariſs. anſam hinc ſuccreviſſe, in plantæ hujus naturam ac vires induſtriè inquirendi. Et quidem ille folia ſiccata, calida & ſicca in gradu tertio aſſerit, vid. Tabacolog. p. 17. hîc verò pag. 47. Exercit. 3. Sale ſuo pituitam craſſam fundere, acrimoniâ incidere, & excretioni præparare ait: Hiſce tamen ipſis particulis, quibus oleoſæ pauciores junctæ ſunt, phlegmatis adeſt plurimùm, à quo illæ non parum obtunduntur, adeò ut nî vel beneficio ignis tantiſper, vel deſtillatione eliciantur ac concentrentur, activitatis ſuæ veſtigia, minùs evidenter relinquant, fieri quin etiam poteſt, ut pro diverſitate aëris, victus, loci, conſuetudinis, &c. in aliquibus minùs, in aliis maximè nocivæ ſint. Ita cùm ratio tum experientia confirmat, fumum nicotianæ horrenda ſymptomata pluribus accerſere, nauſeam, vomitum, extremorum frigus & tremorem, quatenus particulæ ejus ſubtiliores, ſalinæ volatiles, cum oleoſis conjunctæ acerrimæ, unà cum aëre inſpirando hauſtæ, fibriſque vel œſophagi vel ventriculi impactæ, irritatione ſuâ motus ſpaſmodicos in hiſce partibus cient, ſpiritumque animalem miſerè agitant, eò magis quo ob ramoſitatem ſuam oleoſa pertinacius adhærere ſolent, quin imò maſſæ ſanguineæ communicatæ, ejus motum ſummopere infeſtant: In ſequentibus verò ptyaliſmum enormem à ſale fundente obortum fuiſſe demonſtrabimus, unde etiam apophlegmatizantibus à ſui præconibus Nicotiana accenſetur: Folia vino infuſa & altero manè à maleferiatis quibuſdam hauſta, per ſuperiora & inferiora purgâſſe, imò hypercatharſin produxiſſe alii nobiſcum nôrunt, manifeſto acrimoniæ vehementis indicio: inprimis autem oleum deſtillatum, quod pauxillum exhibet, nocivam obtinet vim, utpote in quo particulæ activæ concentratæ, ſuique juris magis exiſtunt. Animadvertit iſtud ante nos Nobiliſs. Redi in ſuis experimentis natural. pariaque experiundi anſam ſubminiſtravit, inprimis cum Magnenum, ol. Nicot. quod per infuſionem præparat, in arthriticis, Renum, coli aliiſque doloribus valdopere commendare videremus, Exercit. XI. p. 105. Quàm funeſti fuerint noſtri olei effectus, ex modo recenſitis hiſtoriis palàm fit, ulteriuſque patebit deinceps: In ciconiâ majore non acus, ſed particulæ oleoſæ filo adhæreſcentes, fibrillaſque nerveas dehinc adorientes, alæ volutationem, motus tremulos & convulſivos, cum vomitione accerſiverunt, quam ex ſpirituum agitatione & motu impetuoſo continuato magis, quàm ipſius olei ad ventriculum uſque accurſu proveniſſe exiſtimamus: motus hi crebriores evaſerunt, quum interne propinaretur, tum enim fibras nerveas mox ferociter aggredi, ſanguinemque ſui communicatione fundere admodum & machinam

penitùs deſtruere cepit. In femellâ parilem atrociam non modo in fibras ventriculi ac muſculorum, ſed & aſperæ arteriæ exercuit, unde reſpirationis motu intercepto, ſanguis in pulmonum lobulis grumuit. Mirabitur hinc nonnemo, peti uſum internè, cùm ejuſmodi acribus particulis ſcateat, à pluribus tantopere commendari: aſt alia ratio eſt herbæ ſuo adhuc conſtantis phlegmate, alia ejuſdem ab hoc depuratæ, quamvis & internè, nî ab aliis ſalium acrimonia vel inhibeatur vel corrigatur, uſque tuta ſemper non ſit, inprimis ubi fibræ teneriores ac denudatæ jacent, in quas etiam blandiora medicamenta non rarò fortius agunt; neque etiam oleum, quod Magnenus parat, idem planè eſt cum noſtro, licèt & iſtud externè ſine periculo partibus corporis forſitan applicari poſſit, nî fibrillarum ſubcutanearum, cui partium vicinarum ſæpè ilicò reſpondent, ſubſecuturam irritationem metuere velimus, interno uſu ceu periculoſo penitùs rejecto. Quod verò ſuccum nicotianæ toxicis adverſari ex Ægidio Everhardo refert Neander p. 34. Exemplo felis cujuſdam furacioris, cui bolum toxico mixtum aliquis propinârit, quem dehinc globulo è ſucco Nicotianæ, folio butyro compacto evomuerit feliciter, magnopere nos non vexat, cùm vel inde particularum deliteſcentium ἐνέργεια pateſcat, inprimis quòd felis ante bolum, ſurſum deorſumque curſitando venenum hauſtum, fruſtrà evomere cònata fuit, nec dubitamus, quòd in iis, qui fumo Nicotianæ admodùm delectantur, ex crebriore uſu, linguæ & nervulorum pori ita immutentur, ut re ingratâ, & quæ intaminatos alios lædit, alexipharmaci & ſuſtentationis quaſi loco fruantur, unde etiam ad alia, quæ de Nicotianæ utilitate multijugâ Authores deprædicant, differenti modo reſpondere poſſemus. Sed in immenſum iſta excreſcere nolumus, olei deleteriam virtutem ulterius probaturi.

Obſerv. III.

Olei Nicotianæ effectus in Ranis.

Die 8. Maji 1681. præſentibus D. Cand. Speckero & D. Andreâ Kœlio Curiens. ranas binas gutt. aliquot *olei peti* in dorſo inunximus: mox iſtud inflari, oculi mirè intorqueri, artus obrigere, & motus tremuli, citra convulſiones graviores, in toto corpore obſervari ceperunt. Ventrem harum cum aperiremus, cor diu adhuc pulſitavit motu ſyſtoles ac diaſtoles admodum conſpicuis. Vena cava ex hepate, in cujus ſubſtantiam ramos aliquot diſtribuit, in illud rectà perrexit, inflataque cùm altero

altero pulmonum lobo ſimul intumeſcere fecit adeò, ut veſiculoſum prorſus, non tamen citra fibrarum indicium appareret: Pulmonares veſiculæ manifeſtiſſimæ cum vaſis ipſas perreptantibus (vid. ſis. Malpig. de ſtruct. pulmon.) Sub his Oeſophagus pergit amplus ſatis, vaſisque conſpicuus, quem ventriculus membraneus & validus excipit, à quo protenditur inteſtinum duodenum cum reliquis tenuibus, in quibus ad ſtuporem uſque vaſorum ſanguineorum circumgyrationes videre licuit: Sub duodeno progreditur pancreas oblongiuſculum, cum quo in progreſſu ductus choledochus è veſiculâ fellis, in hepate ſubatro & trilobulari ſitâ egrediens, arctius uniri videtur: Meſenterium vaſis admodum ſuperbit: Renes quoque oblongi ad ſpinam utrinque ſiti, vaſa emulgentia, ex cavâ & arteriâ magnâ, quæ evidentia erant, turgida oculis objecerunt: pergit ex his ductus limpidus versùs veſicam, quæ inteſtino recto fortius adhæret, quem ureterem dixerimus: E ſiniſtris ventriculo ſubjacet lien parvulus, glandulam ovalem referens: Adjacet ex utroque latere ovarium nigricans, vaſis & ductibus donatum: *Oviductuum*, qui inſtar farciminis multifariam intorquentur, ex utero bicorni prodeuntium, amœna eſt facies: alterutro uteri cornu inflato, alteruter quoque inflabatur; nec tamen penitiorem horum cum ovario communionem colligere licuit, quamvis ponè illud aërem injiceremus, ſecus ac in aliis animantibus fieri notavimus. Cl. *Jacobæus* Tubam ſuperius intra regionem cordis, hepatis, & pulmonum ſe abſcondere ait, nec ſcire quò poſtea pergat, & *Swamerdamius* Mirac. Natur. p. 24. In Ranis, quæ unâ vice undecies centena ova ponunt, & in quibus ova ſingula ſeſe mutuo per infundibulum ſubſequuntur, orificium tubarum duorum circiter digitorum latitudine ab ovario diſtare inquit, & non modo valdè anguſtum, ſed etiam immobile eſſe, nec ſeſe ad ovarium applicare, ut obſcurum ſit, quî ovorum ſuſceptio contingat: Nos de hiſce in ſecundis Cochlearum curis quædam diſtinctius dicere ſtudebimus: Quoad partes exteriores, præter artus muſculoſos, manuumque digitos quatuor, & pedum anatiformes, notavimus foraminula duo prope os, quæ nares conſtituunt, hinc oculos micantes, quos membranulâ palpebræ loco

obducere

obducere nôrunt. Poſt hos ad latus utrumque maculam rotundam, ſubalbidam, quæ aures ſupplet, nec cerebrum parvulum ipſis deeſt, cum nervulorum propaginibus, de quibus qui volet plura, adeat Batrachographiam, præfat. Cl. Jacobæi.

SCHOLIUM.

OLeum communem eſſe inſectorum hoſtem, ex Veteribus plurimi tradiderunt: docuit tamen Recentiores experientia, non omnibus perinde illitum necem intuliſſe: Etenim ante nos Celeberr. Malpighius, in Bombycibus aliiſque notavit, nî orificia trachearum oleo aſpergantur, gravius damnum inde non ferre, verba ipſiſſima heic appoſuiſſe, non erit abs re. *Ut autem intimius* (inquit Diſſert. de Bombyc. p. 31.) *rem hanc perſpectam haberem, ventrem, caput, os & dorſum, illæſis tamen tracheæ orificiis, ſæpius oleo aſperſi, nec unquam extinctos vidi vermes, nec etiam ſæva inde ſuborta ſymptomata*: Nec obſtat quòd Nobiliſs. Redi lib. de generat. inſector. p. 153. meminit, ſe vermes omnium maximos, & inter eos aliquos thunno natos, variis liquoribus, cumprimis autem plures in oleum immerſiſſe, nullo tamen eorundem mortuo, quin omnes ſtato tempore in ova nigra mutarentur, ſiquidem culices ex his prodire ſoliti, in ipſo prodeundi actu maximam partem ſuccubuerint, indicio manifeſto, olei infenſam vim vermes non penitùs eluſiſſe. Fortè etiam ſinguli tracheæ hiatus oleo non fuêre oppleti, quin patentibus aliquibus, pabulum nitro aëreum ſubingredi, ſicque vita protrahi tantiſper potuerit, quam concidente licèt ex oleo animali ilicò, per aliquod tempus ſubſiſtente cordis motu, ſubſiſtere quoque ſæpius deprehendimus: Eluceſcit hinc oleum & pinguia ejuſmodi, inſectis funeſta eſſe, non quòd ſanguini in circulum eunti obſtaculo ſint, uti quidem aliqui hariolati ſunt, ſiquidem & effectus nocivus promptus ſit admodum, cordis motu aliquandiù perſiſtente, & aliis, quàm trachéis oleum illitum partibus, non perimat, ſed quia aërem ſubripiendo, reſpiratione inſecta privant, unde aliquid ſubitæ ſuffocationi ſimile ſuccedit protenùs: In ranis Nicotianæ oleum, non ſanguinis circularem motum impediit, ſiquidem ſanguinis motus integer perſtitit, nullaque grumeſcentiæ indicia apparuerunt, neque ſuffocationem induxit, cùm per tracheas ejuſmodi aërem non hauriant, libero in pulmonales veſiculas ei exiſtente impulſu, pro vitalis auræ conſervatione, ſed ſolâ particularum irritatione, ſpiritus in motu ſuo turbavit & quaſi obrigeſcere fecit, ceu etiam aliàs ſalina figendo & oleoſa irretiendo ſpiritus, machinis hiſce interitum afferunt: propterea tamen non inficiamur, ubi oleoſis totæ inungerentur ranæ, damnum præſto eſſe poſſe, forte ex tranſpiratione prohibitâ,

hibitâ, quâ tamen pariter, utpote aquis maximam partem immersæ, indigere non videntur, unde veritas hujus ulterioribus experimentis tentanda ac confirmanda. In homine alia cùm partium est textura, tum transpirationis ratio, unde nec oleum Nicotianæ, nec alia pinguia illita, labem ita funestam accersunt, &c. Aliàs in ranis mentem oblectavit maximè, quòd di'ciſſo penitus abdomine, corde cum vesiculis pulmonalibus exempto, saltus robustos aliquandiu adhuc ingeminare possunt.: Scimus quidem adeò artificiosè fabrefactos esse pulmones, ut particulæ nitroaëreæ, facili operâ, tum in sanguinis massam pro hujus motu sustentando, tum in cerebrum pro spiritus animalis confectione, in illis sequestrentur: Ubi autem hoc ipsum aëris receptaculum, & materiæ nitroaëreæ vehicula deficiunt, motus muscularis, in aliis saltem animantibus, ut plurimùm deficit, vix alio quopiam, præter undulationem, tantisper residuo: Observavimus tamen in viperarum excoriatione, capite præsciſſo, omnibusque interaneis exemptis manifestum in exuviis circumgyrationis motum, per plusculum tempus subsistentem, spirituum idoneâ adhuc copiâ residuorum, certissimo indicio, etiamsi unde sustentari potuissent, cerebrum ampliùs non adfuerit, quo utique ranarum saltitatio probabilior evadit, utpote spiritus animalis fonte necdum orbatis: utrobique tamen particulas, minus solubiles, subviscidas, nec tam citò deflagrantes, ex sanguinis circulo residuas, agnoscere nihil vetat, quibuscum spiritus animalis blandè irretitus, motus ingeminat, priusquàm in auras velocius abeat: neque enim ejusmodi vehiculum viscosum, in ipsis nervis illi adjungi verisimile est. Illud verò præprimis hîc memorandum, cujus Clariss. Caspar. Bartholinus in Epist. de Nervor. usu ad Oliger. Jacobæum meminit: nivea corpuscula ranarum dorsum utrinque stipare, nervisque & spinali medullæ continuari, atque in his, ceu vascula intertexta evincere videntur, probabiliter aliquam spiritus animalis secretionem fieri, cujus ope abscisso etiam capite, motibus aliquibus ingeminandis adhuc sufficiant: Ulteriùs admirari subit, qui vocem in aquis ranæ edant, quod Aristoteles lib. IV. hist. anim. cap 9. explicare contendit: ποιεῖ ἡ τὼ ὀλολυγόνα, ὅταν ἰσχειλὴ τὼ κάτω σιαγόνα ἅπτὶ τῷ ὕδατι παρείνη τὼ ἄνω: *Reddunt ranæ suam illam ololyginem, maxillæ inferioris labro demisso, pari librâ cum aquâ modicè in fauces receptâ*: cui autem rationi contrariari videtur respiratio cessans, in hoc amphibio cum in aquis degit, siquidem ex trachearum apertione, aquæ irruentes statim pulmones inundarent, quod adhuc magis continget, ubi intra aquas labrum inferiùs demitterent, prout istud fieri Aristot. ibidem affirmat, cùm ad Venerem femellam invitant: Ejusmodi tamen ululatus, si in vel sub aquis auditur, potiùs istarum ab aëre, (quem intra ve-

ſiculas pulmonales modò recondiderant) vi ejecto agitationem, quam intra fauces diutinam retentionem demonſtrat: Ranarum coax in pratis ſaltitantium, & extra aquas conſtitutarum nunquam audivimus, id tamen alii nobiſcum fortè animadverterunt, exerto capite illud edere, ut adaperto ore, aëris idonea verſus organa vocis quantitas decenter irruat, qui ibidem repercuſſus, motu undulante, ad organum auditûs noſtri ilicò defertur, talisque ſoni, quem vocem hujus animalis dicimus, ideam in mente noſtra parturit: facit huc etiam labri inferioris depreſſio, ſeu certa motitatio, non modo pro aquæ pauxillo, (quod pertinaciter non negabimus) intra fauces ſuſcipiundo, ſed pro aëris repercuſſione viciſſim adjuvanda: atque ita ſimili, quam in gargarizatione animadvertimus agitatione, coax ipſarum perficietur, dummodo faucium eadem ſit ſtructura.

Observ. IV.

Olei Nicotianæ effectus in Serpentibus.

Die 2. Maji 1681. præſentibus aliquot φιλιάτροις, ſerpenti minori caput & medium dorſi guttis aliquot olei Nicotianæ inunximus, quo peracto aliquantiſper circumrepebat, mox paulatim intumeſcere, contremiſcere, tandemque fortiter convelli cepit: hinc cùm ad ſe rediret, reſpiraretque æqualiter, caudam cujus pars aliqua abrupta erat, inunximus, ſed citra vehementiorem noxam, inde ori aperto guttulam infudimus, à qua fortiùs inflari, agitari & motitari cepit, tandem acu oleo dicto madefactâ illum pupugimus, & exorti ſunt motus convulſivi longè validiſſimi, adeò ut variè circumgyraretur, ac inſtar ſtatuæ ſenſim obrigeret.

Anatome.

Corpuſculo aperto, cor, quod propè collum ſitum eſt, pulſitabat adhuc conicum, vaſa à ſe diſpergens arterioſa inſignia, venamque egregiam ex hepate recipiens: cingitur iſtud pericardio, liquore madido: adjacent veſiculæ pulmonares oblongæ, in quas aſpera arteria tenella pergit, vaſis ſanguiferis in ſuperficie eleganter donatæ: Inter has progreditur œſophagus albicans, oblongus, qui in ventriculum membraneum terminatur: hic ope meſenterii, quod ſecundùm inteſtina expanditur,

ditur, vaſisque perreptatur, à dextris cum hepate oblongo connectitur, in cujus parte inferiore jacet veſicula fellis, liquore viridi prægnans, cum ductu bilario ex hâc in duodenum abeunte: à ſiniſtris verò inferiùs ſita eſt glandula parvula, rubella quam lienem crediderimus. Vaſa quoque egregia à vena, quæ hepar perreptat, versùs ventriculum & inferiora ſparguntur: Inteſtinorum tractus, parum tortuoſus, continuus eſt ad usque anum. In maribus utrinque adjacent teſtes bini, oblongi vaſculoſi, cum epididymis & vaſis ejaculatoriis, tortuoſis, infra quos ſiti ſunt Renes oblongi & glanduloſi, circa penem utrumque deſinentes. Serratulam hi exhibent faciem, muſculis protenſoribus & retractoribus oblongis inſtructi; cœterùm membranulâ nigricante, quam epiploon dicunt, partes ſingulæ obteguntur.

Observ. V.

D. 8. Maji An. ejusd. Serpenti alii dorſum, aliquot dicti olei guttis illivimus, & ſtatim aliquales motus convulſivi ſubſequebantur, cum corporis languore: aquæ tamen admota bibit, & paulatim ad ſe rediit, quod non potuit poſtridie, cùm per caudam filum oleo iſthoc probè madefactum, acu trajiceremus, hinc enim magis magisque vires ſuas deperdidit, tandemque prorſus obriguit, corde adhuc dum, quod in ſectione vidimus, pulſitante. Cœterùm ſtructura ut ſuprà.

Scholium.

In ſerpentibus acrimoniæ ſuæ ſalinæ, pariter veſtigia reliquit manifeſtiſſima, oleum noſtrum, primùm equidem, fibras nerveas cutem perreptantes, vel ſuperficiariè adoriendo, inde acu propius hisce admotum, ſpiritum animalem vehementiùs agitando, & ferè figendo, ut continuatâ ejus contentione, corpuſculum quaſi obrigeſceret: ipſi tamen cordi tantiſper pepercit, cùm pulſitatio ejus, ventre cultro jam diviſo ſubſiterit: arduum verò explicare utcunque, quare caudæ, tendinibus fibrisque nerveis commodùm inſtructæ, oleum iſthoc illitum, graviora ſymptomata non intulerit, nî & carnem ibi magis compactam, cutemque denſiorem eſſe velimus dicere, unde ſpicula pari facilitate ſeſe inſinuare, ac enormes ejusmodi motus inducere non poſſint. De cœtero Serpentis Anatomen ſcriptam reliquit etiam Ariſtoteles l. 2. hiſt. animal. cap. XVII. atque ex recentioribus, Clariſſ. Blaſius in Zootomiâ, huic noſtræ maximè affinem: dubitat tamen iſte, quid ſubſtantia mollis, carnei co-

loris, testi interiore parte accumbens (cujusmodi quid nos non notâsse fatemur) usus habeat, epididymorumque sub nomine funiculi albicantis tortuosi, meminisse videtur: in vesicæ quoque felleæ situ, quam spatio notabili ab hepate distare, fortè & pulmonum substantia, quam diversam omnino esse asserit, tantisper discrepamus, cùm tamen eidem usui destinata vesicula utraque, eandem quoque structuram obtinere necesse debeat, quam eleganter satis adumbravit Stagirita, dum ait: ἐπὶ δὲ τοῖς πνεύμωσιν ἁπλῆς, ἰνώδης πόρῳ διηρθρωμένος, καὶ μακρὸς σφόδρα, καὶ πολὺ ἀπηρτημένος τῆς καρδίας; *Pulmo deinde annectitur simplex, fibrosus, fistulosus, prælongus, longeque à corde sepositus*: graviter tamen cœcutiisse oportet hunc ipsum, cum l. I. de gener. anim. cap. VII. audacter asseverat: οἱ μὲν ὄφεις ὀχευόντων συμπλεκόμενοι ἀλλήλοις: οὐκ ἔχουσι δ' ὄρχεις, οὐδ' αἰδοῖον, ὥσπερ εἴρηται πρότερον: *Serpentes complexu mutuo coëunt*: *Carent testibus & pene, uti dictum jam est*: forsan nubecula oculos occupavit, quæ multis communis est, ut partes evidentissimas abfuisse putaret, aliisque sui amatoribus, φιλαύτῳ idem obtrudere contenderet, quod haud dubiè cum aliis huic similibus libenter emendâsset, si fata ulteriùs vivere concessissent: De infecti hujus morsu multi itidem multa, inprimis qui in Veterum scholis enutriti sunt. Dentibus gaudent satis acutis, hominique, si Authoribus credimus, satis infesti sunt, quamvis nisi irritatum animal ad morsum se componere non observaverimus: nec scimus, an pariles ipsis sint vesiculæ, cujuscemodi in viperis, post Excellentiss. Redi evidenter notavimus. Id verò non omni caret fundamento, funesta à morsu symptomata insecuta fuisse: sæpe laudatus Philosophus cap. XXIX. l. VIII. histor. animal. laborioſus est in descriptione diversitatis locorum, ob quam non modò mores, sed etiam morsus animalium, nunc magis nunc minùs venenati evadant, de serpentibus verò nostratibus mali nihil ominari videtur: verba heic apposuisse è re erit: Ποιεῖσι δὲ καὶ οἱ πῶοι διαφέροντα τὰ ἤθη, οἷον οἱ ὀρεινοὶ καὶ τραχεῖς, τῶν ἐν τοῖς πεδίοις καὶ τοῖς μαλακοῖς, καὶ γὰρ τὰς ὄψεις ἀγελαίτερα καὶ ἀλκιμώτερα· καὶ πρὸς τὰ δήγματα ἡ τῶν θηρίων, μεγάλην ἔχουσιν αἱ ἄρκαι διαφοράν· οἷον πρὶ μὲν φάρον καὶ ἄλλως τόπους οἱ σκορπίοι οὐ χαλεποὶ· τά τε τῶν ὄφεων δήγματα πολὺ διαφέρουσιν· ἥπερ γὰρ ἀσπὶς ἐν λιβύῃ γίνεται, ἐξ οὗ ὄφεως ποιοῦσι τὸ σηπωτικὸν, καὶ ἄλλως ἀνιάτως. γίνεται δὲ καὶ ἐν τῷ σιλφίῳ τι ὀφίδιον, ὃ καὶ λέγεται ἄκος εἶναι λίθος τις, ὃν λαμβάνουσιν ἀπὸ ταὐτοῦ βασιλέων τῶν ἀρχαίων, καὶ ἐν οἴνῳ ἀποβάψαντες πίνουσι, ἐστὶ δέ τι ὀφίδιον μικρὸν, ὃ καλοῦσί τινες ἱερὸν, ὃ οἱ πάνυ μεγάλοι ὄφεις φεύγουσιν, ὅτι δ' ἂν δάκῃ, οὐθὺς σήπεται τῷ κύκλῳ. Plinius pro farragine quam ex aliis collegit, fide incertâ & fallaci, in hist. natur. de morsu serpentum plurimisque contra hunc remediis, fusissimè differit, simulque fel veneno illi natales præbere author est, quod de viperis alios somniâsse Nobiliss. Redi suis de viperar. morsu observation. ostendit: Nos ex saliva

livâ, quæ ad iram concitati insecti morsu acerrima juxta communicari potest, sepositis tantisper vesiculis dictis, de quibus nondum prorsus constat, symptomatum subsequi solitorum rationem peti debere, verisimiliter existimamus, præterquam enim quòd acrimonia fibras nerveas pungendo intumescentiam parit insignem, sanguini immista desuper, fundendo crasin ejus non rarò maximoperè pervertit: de quo autem in Schol. ad viperar. morsum aliqua adhuc addemus, ad aniles nugas ablegantes, quod de studiosâ veneni depositione, serpente aquas tranaturo, vel vulgus, aut alii parum prudentiores comminisci ceperunt.

Observ. VI.

Olei Nicotianæ effectus in lacertis & limacibus.

Dicto 2. die Maji lacertæ gladio vulnus inflximus, eique post guttas aliquot hujus olei instillavimus, unde statim corpus contremuit, & artus primùm superiores, hinc quoque inferiores impetuosè convulsi fuerunt, subsequente insecti interitu.

Die 6. Maji limaces duos dicto oleo inunximus, caput inprimis, sed citra ullum effectum deteriorem, hinc foramini pupilli formi stylum eodem oleo madidum intrusimus, nec mali quidpiam inde perpessi sunt, mox acu eodem infectâ pupugimus; sed nulla planè motuum convulsivorum sequebantur indicia, adeò oleum hoc ipsum lymphâ limacum tenaci infiscatum, quâ per dorsi exteriora secedebat, quâ ex foramine dicto & loco vulnerato effluebat, egregio documento particulas irritantes, interdum suâ in activitate impediri.

Scholium.

Quod in limacibus non parem, quam in lacertis, effectum edidit oleum nostrum, ejus activitati nil præjudicare potest, siquidem in illis munimentum adfuerit limosum, seu μυξώδης χυμὸς quo irretitæ medicamenti particulæ, suâ quâcunque vi ceciderunt, prœprimis foramini pupilliformi instillatæ, quod ejusmodi μύξαν copiosè, animali irritato effundit: quin imò puncta externa cutis damnum nullum sensit, quod hoc ipso glandulæ hic illic dispersæ, ad muci quo totum cochlearum corpus madescere solet, inprimis autem basis ad uberiorem materiæ limosæ excretionem, sese constrinxerunt: dubium autem hic

qualecunque pullulat, quî istius ope olei spicula limaces eluserint? cùm animalium ventriculi, muco viscido æquè oblinantur, quibus tamen atrocia symptomata peperit, cui autem satisfieri credimus tum supradictis, ubi mucum copiosiorem ac viscidum Nicotianæ activitati aliquantum obstitisse monstravimus, tum quod serum quo ventriculi animantium operiuntur, rarò ejusdem cum limacum muco tenacitatis sit: scrutantibus sanè nobis limacum generationem, ova se obtulerunt varii generis, quædam enim liquorem, quædam fœtus exclusioni proximos, (qui putamine fracto tantisper prorepserunt) in limum inde concrescentes exhibuerunt; ut proin mucus aliorum animantium, non ita compactus & tenax, sed fluidus magis & porosior, habito ad hunc respectu dici debeat, de quo suo tempore prolixius. In lacertis istiusmodi vehiculo destitutis, & texturæ tenerioris, ferociit vehementius, vix enim toti tremorem induxit, cùm archeo undique concitato, convulsionibus corpusculum pessundedit.

Observat. VII.

Olei Nicotianæ effectus varii in Cane molosso.

Die 2. Julii 1681. præsentibus Viris Nobilissim. & Clariss. D. Martino Johanne Haësbaërt Clivens. Med. D. D. Phil. Jacobo Speckero Medic. Cand. & D. Andreâ Kölio Curiens. Cani molosso ante meridiem ȝi. præter propter dict. ol. infudimus, unde salivationem molestam ilicò sensit, cum ejulatibus vehementibus, hypochondriorum succussione, respiratione frequenti, oculorum nictatione & vomitu enormi: fęces quoque flavescentes cum impetu dejecit, tandemque fatigatus humi decubuit: Vesperi nunc per femoris, nunc abdominis musculos, acum ol. satis madidam aliquoties trajecimus, quam excepére artuum lassitudo, salivatio crebra, motus imi ventris per intervalla tremuli, tandemque vomitus, citra tamen convulsionum crebriorem impetum. Postridie horâ circiter primâ pomeridianâ in venam brachiæam, inferius ligatam, superius verò secundùm longitudinem lancettâ incisam, turundulam oleo hoc madefactam blandè intrusimus, & non diu post valdè ejulare, cor motibus convulsivis, palpitatione inprimis vehementissimâ prehendi cepit, unà cum arteriis, adeò ut fortissima isthæc pulsitatio,

ſitatio, inſtar aquarum undulantium & per diverſa loca ſubitò irruentium, non ſine admiratione, ab adſtantibus commodè fuerit audita: Sed vix dum ad viſceris vitalis pathemata ſtupuimus, & ecce omnes artus cum capite quam validiſſimè convellebantur aliquoties, uſque dum machina planè fuerit deſtructa.

Sectionem in corpore adhuc calente inſtituimus, in quo quâ inteſtinorum plexus glanduloſi, quâ ductus renales, cum ſerpentinâ vaſorum circa papillulas corticales ſeu glandulas circumgyratione, quâ etiam vaſcula lactea cum glandulis ſtomachicis, ductibus item pancreaticis & choledochis egregiè comparuerunt, veſicâ urinariâ ob ſui diſtenſionem, præ aliis protuberante: Interiora ventriculi laudabiliter habebant, ut & inteſtinorum, niſi quod in tenuibus lumbricos duos, ulnas duas & tres longos, ſive faſciales teretes, exiguo capitello, & circinnis inſtar annulorum aſperæ arteriæ formatis donatos reperimus: (de quibus vid. ſis hiſt. de faſcia lata) Venter medius cor exhibuit amplũ, ſanguine plenum inprimis quoad auriculam dextrã, quæ ſanguine ſpumeo & florido, qualem etiam dexter ventriculus continuit, fuit diſtentiſſima, ſiniſtra contra naturaliter habuit: & ventriculus ei ſubtenſus ſanguine rubicundiſſimo, tenui, turguit: aliquam equidem, haud dubie ex palpitatione pertinaci, portionem coagulatam reperimus, ſed & pauca erat, & coloris ſaturati. Cæterùm vaſa hæmagoga per totum corpus micuerunt.

SCHOLIUM.

IN Cane iſto, animali robuſtiori, effectus itidem notatu digniſſimos, Nicotiana edidit, dum quâ in fibris œſophagi particulæ aliquæ hærescentes, quâ ventriculi ferocius ſævientes, muſculorum oris & nervorum ſplanchnicorum continuatâ ſuccuſſione & agitatione, quin imò conſtrictione glandularum ſublingualium aliarumvè nauſeam, vomitum, ſalivationem, fæcum item per alvum dejectionem pepererunt, cùm hypochondriorum motibus ſpaſmodicis, unde organa ſpiritalia, diaphragma præſertim in motu ſuo magis concitata fuerunt, non ſine multâ ſpirituum jacturâ: eorundem ferè ſymptomatum mater extitit, vulnuſculum femori inflictum, à quo viciſſim ſalivabat, non tam communicatione particularum quarundam maſſæ humorali factâ, quàm continuatâ ſpirituum agitatorum contentione, verſus glandulas maxillares

uſque

uſque,eò faciliùs quòd aliquot horis ante, labem evidentem jam acceperant: vitam tamen, non niſi ſanguini ipſi illatæ partes olei aliquæ abſtulerunt, acrimoniæ ſuæ alkalinæ manifeſtiſſimo tecmerio: etenim rareſcens inde ſupra modum humoralis maſſa (uti quidem cordis thalami adaperti confirmârunt) motus fervidiores edere, cordis auriculæ & ventriculi, dexter præprimis, copioſius impleti, palpitare vehementer, & ex continuato per aortæ propagines impetu, undulatio fortis per univerſum corpus obaudiri cepit, uſque dum ex enormi iſto ſanguinis motu, ſpiritus animalis itidem impetuoſior factus, convulſiones terribiles ſuſcitârit, quibus tragœdiæ coronis impoſita fuit: an particulæ acriores, tunicam arteriarum interiorem, quæ nervea eſt, adoriendo motus ejuſmodi adauxerint, vel etiam hinc inde in artuum muſculis, ſpiritui animali poſt aſſociatæ, horrendam hanc elaſin produxerint, alii divinent, quibus facilius eſt aliorum ſententias ſugillare quàm corrigere.

Observ. VIII.

Fœtus Vitulini hujusq; ſecundinarum Anatome.

Ab aliquot annis, cùm naturæ vias in ſui ſimilis propagatione ſtudiosè ſequi anniteremur, fœtus vitulinos, alioſvè ſuis adhuc incluſos ergaſtulis, plures diſſecuimus, in illis præter vaſtam uteri molem tunicâ quadruplici inſtructam, ponè cornua ſpeculati ſumus ovarium elegans, cum vaſculis ſubtiliſſimis, è quo plura ſeparavimus ovula majuſcula & minuſcula, fibrillis artificiosè implicata: inde ad internam faciem properantibus, liberum introitum utcunque negârunt, cùm orificii interni fibræ coanguſtatæ, tum mucago copioſa, partes iſtas uberrimè oblinens, quæ è glandulis proximis, ceu tot promptuariis exudat: apertâ tandem viâ, placentulas innumeras, à totidem quibus inoſculantur, cotylis vel glandulis digitis ſeparavimus, ita quidem ut ne gutta ſanguinis profunderetur, in ſeparatis verò vaſorum infinitam ſobolem, ab umbilicalibus oriundam, & per chorion ad illas tendentem, rimati ſumus, inde ad allantoidis remotionem tum à chorio, tum ab amnio perreximus, hancq; evacuato humore urinoſo, ſuperiùs prope umbilicum cum uracho inflavimus, ut membranæ ſubtilitas & teneritudo magis pateſceret, nullis vaſorum veſtigiis, niſi circa ejus initium, nutritionis ergò comparentibus:

Amnios

Amnios contra ſuis glandulis & vaſculis ſanguiferis, minutis & albicantibus, variè fuit dotata, atque humore ſubdulci, gelatinæ ſimili plena: Vena umbilicalis duplex uti arteria, circa inſertionem ſui in hepar, in unum ſimplicem & communem truncum terminatur: Urachus pervius extra abdomen primùm anguſtior, inde ampliatus, per plures quaſi fibræductus, in allantoiden ſe expandit: ſingula funiculo ſuo incluſa: Fœtus ipſi in thorace pulmones oſtenderunt veſiculoſos, lobulis elegantiſſimè diſtinctos, & vaſis ſuperficiariis inſtructos: in corde verò conſpicuus erat, cùm canalis arterioſus obliquus, tum anaſtomoſis cavæ per foraman ovale, cui appenſa erat membranula lata, cum venâ pulmonali, nec minus evidentes erant valvulæ, ſingulis vaſis cardiacis appoſitæ: Abdomen ventriculos quatuor, humoris gelatinoſi plenos exhibuit, quorum in fœtu admirabilem ſtructuram, figura præſens delineat: Circa finem œſophagi & initium primi, obſervare eſt plures minutulas glandulas: tertius verò vaſculorum arterioſorum, quaſi tot lymphæ ductuum, per membranas cellulatas artificioſam expanſionem monſtravit: Valvulæ quoque cùm ad finem hujus, tum reticuli erant manifeſtiſsimæ: Pancreas qualiacunque ſub ventriculo primordia ſumens, pergit verſus cavum hepatis, cui adjacet, hincque ſecundum duodeni ductum protenditur: Veſicula fellis in inferiore hepatis parte, & tantum non extimâ hujus ſuperficie locata, ductum ſuum emittit, cum quo ex cavo illius emergens hepaticus jungitur, inque communem deſinit, ſecus quàm in aliis animantibus hepate lobuloſo donatis: Vena umbilicalis diſſecta, inferius quidem ſui in hepar inſinuatione, canalem venoſum in cavam tranſeuntem conſtituit, ſuperius verò ductus formavit plures, ſuis ramis hinc inde per hepar diſſeminatos: Renes præter vaſa, ſtructuram ſuam uviformem oſtenderunt: Lien rubellus ope membranæ tenuis ventriculo primo adhæſit: Uterus cornutus glandularum veſtigia egregia reliquit, cum ovi ductibus & ovario: Cerebri molleculi ſtructura jucunda fuit, cum nervorum ſerie, inprimis autem proceſſuum mamillarium per membranam tubulatam propagines, quibus tubulo inflatis, ad ventriculos anteriores uſque aër progrediebatur. Teſtes ſunt Vir. Nobiliſs.

& Clariſs. D. Andreas Darneddeni Brunſuic. D. Michaël Pauli Uratislav, D. Eman. König Baſil. D. Jac Hochrütiner Sangallenſ. Med. Doct. D. M. Speckerus Baſil. D. Jac. Chriſtoph Scherbius Epiſcopicell. D. M. Jacobus Rüdinus Baſil. Medic. Licent. aliíque φιλίαζον.

SCHOLIUM.

De fœtuum generatione & ſecundinis, plures cùm è Veteribus tum Recentioribus, erudita ſua meletemata poſteris reliquerunt: Fabritius ab Aquapendente, Medicus & Anatomicus Præſtantiſſimus, de formato fœtu cum iconibus elegantiſſimis, pluribus egit; in nonnullis tamen hallucinatus eſt vehementer, & propterea ab illuſtri Harvéo, aliisque caſtigatus fuit: Clariſs. Needham, edito de materiâ eâdem ſcripto accuratiſſimo, æternam ſibi famam acquiſivit; extitit inde Nicolaus Hobokenus, Profeſſor olim Hardervici, qui Anatomiam ſecundinæ vitulinæ & humanæ conſcripſit, iconibus magis ſi liberè loqui auſimus, quàm ingenio aut ſtili nitiditate claram: atque hæc etiam cauſa fuit, ut diligentius proponeremus ſingula, ab aliis licet nominata, ut ſi augmentum non adderent, confirmationi ſaltem ac illuſtrationi inſervirent, inprimis cùm circa uſum partium omnes perinde non ſenſerint: Ipſæ verò Icones ex uno alterové horum Authorum, ultimo præcipuè peti poſſunt, ut quæ cum aliis animadvertimus, facilius capiantur. Uterus in quo tutò fœtus deliteſcit, non domicilium modò illius eſt, ſed & promus condus, in cujus glandulis, quas vaſcula minuta perreptant, majorum quæ per ſubſtantiam ejus extenſa conſpiciuntur propagines, ſuccus nutritius commodùm ſecernitur in placentarum oſcula: Inde è variis ipſum natura conſtruxit tunicis, ut quâ ſufficienter expandi, quâ muneri dicto legitimè vacare poſſet: Extimam harum, quam alii membraneam vocitant, fibroſam denſamque appellat Needhamus c. VII. ſecundæ & tertiæ nullo addito cognomine, quas tamen nervoſam, glanduloſamque, in vaccis, fortè etiam aliis, dici poſſe exiſtimaverimus: Illam cœterùm è fibris itidem componi, non eſt quod eamus inficias, quæ eò robuſtius identidem compinguntur, quo pro fœtu quaquaverſum ſe expandente, majorem dilatationem, ſecundum omnes ſui parietes uterus init: nec minus ex iſtâ uteri diſtentione, quam ejecto fœtu corrugatio excipit, quâ ad priſtinam figuram redit admirando naturæ ſtudio, fibrarum conſtringendi vis innata, ſi ita loqui fas ſit pateſcit, quam Nobiliſs. Pejerus in Renibus aliisque pridem ſuſpicatus eſt, quin imò tota uteri compages membranea & nervea videtur ceu fig. 1. docet, manifeſtè enim in tunicas quatuor eum ſeparare potuimus, ab extimâ ſeu primâ

primâ fibris nerveis in ſecundam quæ nervoſa eſt, & ab hac in tertiam, quæ tamen iſtis magis rubere videbatur, aduſque glanduloſam ſparſis, ſecus quam Clariſs. Needham, qui primam & ſecundam conjungendo, tres tantum reperit, conjectatus eſt: Intima membrana, quæ in omnibus animantibus, ſero aliquo convenienti irrigatur, protuberantias ejusmodi glanduloſas, ubique non oſtendit, uti cùm Aquapendens, tum Needhamus præcipuè eruditè oſtenderunt, caret nempe his uterus humanus, equinus, caninus, ſuillus, &c. oves verò & capræ proprii ſimè cotyledoniferæ vocantur, ceu in quibus glandulæ uterinæ præter loculamenta, cotylam etiam majuſculam obtinent, quæ totam ſuperficiem ipſis excavat: atque de hiſce, quî in rupi capris habeant. actum Exercit. 4. ad Pythag. Dubiæ tamen ſignificationis eſſe videntur, quæ laudatus Needhamus cap. II. Ruminantibus peculiariter attribuit: ſuccum priusquam carnes chorio accreſcentes ingrediatur, in glanduloſa corpora, quæ à conceptu ſtatim exurgunt extuberare, quæ loculamentis quibusdam, digitos à placentulis chorii exporrectos recipiant; nam 1. membrana uteri intima demum glanduloſa non fit, quando femella concepit, nec ſtatuiſſe hoc poteſt, ſi vel ſemel fœtus vaccini uterum luſtravit, ceu in quo tenerrimo adhuc, glandularum veſtigia manifeſtè deprehenduntur: 2. in leporibus etiam, cuniculis & porcellis Indicis, (quæ animalia inter placentifera & glandulifera media, ex hypotheſi ille conſtituit) liquor nutritius pariter, (ſicuti in ſeqq. pateſcet) per uteri glandulas ſecernitur & ſecerni debet, ſiquidem è ruminantium numero tolli non poſſint, vide ſis Exercit. XVII. & XVIII. ac cedrò dignum de Ruminat. & Ruminantib. tract. Nobiliſs. Pythagoræ, lib. I. cap. V. quin imò, ſi vera ſunt, quæ de placentulâ alterâ, chorium in partu comitante (quam glandulam uteri nos vocamus) Needhamus prodidit, uti quidem vera eſſe, in Cuniculorum Braſilienſium fœtibus comperimus, iſtorum animantium uteri membrana interior, conceptus tempore, rectius in glandulas exurgere dici poſſet: de leporibus verò quid dubii nobis ſubſit, ſequenti obſervatione docebimus: In homine, cane, equo, &c. aliter paulò ſe res habet, ceu glandulis uterinis primâ facie deſtitutis, imò & placentis, ſi quidem Virorum Eruditorum autopſiæ credimus, quam non poſſumus non venerari: nec tamen pœnitet ejus quod in diſſert. de generat. Mol. An. 2. Decur. 2. Ephem. & Centur. huic inferius inſerta, de fœtu equino aſſeruimus, ipſum, pariter uti vaccinum, placentularum ope, uteri glandulis magis magisque connecti quamvis enim illas primis menſibus adeò conſpicuas non eſſe probè nôrimus, ſuccreſcunt tamen, ſenſimque augentur, & digitulos inſignes membranæ uteri glanduloſæ inſerunt: Falluntur hinc, quotquot glandulis Equæ vel ſuis uterum privant ceu in ſeqq. obſerv. demonſtrabimus; etenim vel ipſe Need-

hamus, qui iſti ſententiæ ſubſcripſiſſe nonnullis videtur, fatetur in embryotomiâ cõparatâ, in equâ vaſa fœtus pari numero ita accuratè occurrere, ut incautis pro totidem anaſtomoſibus facilè oſtẽdi poſſint: anaſtomoſes verò non eſſe, vel exinde conſtare, quod ex membranæ uterinæ alveolis, absque omni ſanguinis miſſione eâdem facilitate exeant, quâ fœtus bubuli anſulæ ex glandularum loculis: quo commodiore epitheto uteri ſubſtantiam poroſam ac glanduloſam delineare potuiſſet, quàm alveorum nomine? & quod argumentum fortius pro eadem evincendâ, quàm anaſtomoſeos negatio? ſequeſtratur igitur ſuccus per uteri alveolos in vaſa fœtus: ubicunque autem iſta ratio obtinet, ibi glandulæ ſint neceſſe eſt, quicquid obſtrepant alii, qui glandulas, ſecretionis organa negando, nî oculis corporeis viderint, ſecretiones ipſas ſe nec dum prorſus intelligere oſtendunt. De corporibus inter utrrumque uteri cornu poſitis (quæ ovarium conſtituunt) craſsè admodum Hobokenus; mox enim carnoſæ, mox muſculoſæ ſubſtantiæ illa aſſimilat pag. XI. inde peculiari humoris cujuſpiam ſecretioni illa mancipat, pag. 136. quem flaveſcentem ipſe animadvertit, nos verò nunquam, certo ferè argumento, ovula nunquam ab ipſo fuiſſe ſeparata: p. 230. autem in interſerendis, teſti dextro propriam conformationem ab eâ quæ ſiniſtri eſt, attribuit, cùm in ſiniſtro ſubſtantiam glanduloſam aureo colore conſpicuam deprehenderit, quâ dexter carebat, nos verò etiam in iſto talem animadvertimus ſæpius, neque prolixioribus argumentis opus eſt, cùm uterque eidem actioni deſtinatus ſit, inde parili ſtructurâ & configuratione à naturâ ornatus: quòd autem ſubſtantiam auream ſiniſtro peculiarem facit, prodit ſe ignorare, unde & quando flaveſcentia ejusmodi corpora ſuccreſcant: ſufficiet heic miratum eſſe fibræ ductus multiplices, quibus ovula involvuntur adeò, ut niſi his cautè reſectis, eximi nequeant, atque per hos materiam pro augmento ovi ſecerni, cum celeberr. Malpighio perſuaſum habemus: Nec accuratior vel felicior ille fuit in liquoris vaginam oblinentis naturâ vel fontibus, vel rugoſarum plicaturarum uſu deſcribendo: fibroſæ hæ ſunt, arctiſſimè coëuntes tempore conceptionis, ut commodum hoſpitium fœtus in uteri cavernis habeat, ſed quod deliciarum in Venere afferunt, parum omnino eſt, ſi non fictitium: De ſeri mucaginoſi fontibus, glandulis nempe, quarum aream, ponè orificium internum, in humano etiam utero conſpeximus, altum, quantum ſcimus, ipſi eſt ſilentium & quid abſurdius quàm muccaginem iſtam, liquoris cryſtallini, ſed craſſi, maximè viſcoſi ac glutinoſi exprimere: De placentularum ortu, membranis item ac humoribus, ubi fœtus humani ex utero exempti hiſtoriam expoſuerimus, dicere dabitur occaſio, jam quæ fœtuum ratione notari merentur ſubnectemus: Et quidem in funiculo umbilicali, vel potius membranâ

membranâ vasa incrustante, præter exigua vasorum vestigia & duplicaturam, occurrit humor aliquis subpinguis, quo cum ipse tum interstitia vasorum oblinuntur: Fabritius ab Aquapend. cap. 2. part. 1. de format. fœtu, ejusmodi quoque membranam observavit, quâ crassâ mucosâvé vasa umbilicalia obvolvantur, & Hobokenus Anat. secundin. human. adinvenisse se ait compagem ex innumeris fibris ac fibrillis, variâ modificatione conjunctis, atque humore peculiari perfusis constantem, eamque communi investiturâ ac tunicâ munitam; neuter tamen unde humor iste probabiliter suggeratur meminit, num ex vasis transudet vel aliunde? siquidem autem tunica ipsa mucosa sit, ut ex ipsius poris, rite configuratis, humor talis tractu temporis spissescens, sequestratus exudet, verisimile videtur, facie asperulâ, quam præ se fert, huic actioni non reluctante: ut vel hinc rursum evincatur, membranas serum idoneum stillare, quod aliqui in dubium vocant adhuc, quibus tamen difficile foret, muci vel vesicæ felleæ, vel urinariæ, aliarumvé partium membranosarum, natalia distinctè explicare: De vasis ipsis pauca sunt, quæ addemus, utpote aliorum inserta monumentis: Venæ tamen umbilicalis, in hepar & sinum portæ, indeque varias propagines, insertio ac exoneratio antequam in cavam tota abeat, olim nonnullis munus in sanguificando hepatis redivivum sistebat, utpote quâ probari certò crediderunt sanguinis materni elaborationem non contemnendam heic fieri, cùm vel peculiari providentiâ natura insertionem hanc machinata sit: inprimis autem chyli portionem aliquam ad viscus istud immediatè deferri, hoc ipso confirmari augurabantur: At parum est, quod hinc roboris ulterioris ei accedit; pariter enim quærere liceret, eccur pars aliqua elaboranda, in hepatis substantiam migret, per cavæ truncum cordi deinceps tradenda, aliqua verò nondum elaborata cordi mox advehatur? nec si antecedens concedamus, pro chyli ad hepar transitu, tantillum evincitur, succus quoniam sub colore rutilo reconditus, multo purior & elaboratior est chylo, per intestinorum tunicam porosam in vasa lactea sequestrari solito: vana nihilominus non est ista venæ pertusio, uti Aquapendens eam vocat, sed eum in finem præcipuè instituta, ut particulæ salino sulphureæ in teneris glandulis elicerentur & combinarentur, suum usum deinceps præstituræ, sicque ab iisdem liberatus succus nutritius, per arterias postea universo corpori commodùm impertiretur: fortè etiam ista hepatis actio fœtu accreto potissimum obtinet: Scimus quidem Clariss. Needhami ratiocinium, qui cap. IV. ita de hac anastomosi fatur: *In quadrupedibus vena umbilicalis hepati non solùm adnectitur, sed & inseritur, & in portæ sinum exonerat: at neq; tunc in hepatis substantiâ distribuitur liquor sic delatus, verum per canalem venosum à Clariß. Glissonio accuratè descriptum in cavam facessit*: ast pace hujus

Viri dixerimus, nihil sanguinis ex umbilicali illabentis, per portæ sinus propagines, in jecoris parenchyma transmitti, cùm circa primum venæ ingressum plurima conspiciantur foraminula, sanguini in ramos minores transmittendo haud dubiè destinata, & neutiquam probabile est, sanguinem omnem ista præter lapsurum: si verò guttæ decem colentur, quare non centum temporis tractu: sibi quoque similis omnino non videtur laudatus Vir, cap. quoniam in sequenti inquit: *sanguis huc utrinq; allatus,* (scil. ex trunco portæ & venâ umbilicali in tubulum venosum) *aliquâ sui parte per usitatos canales in hepar distribuitur, eodem prorsus ritu, quo in natis fit, & exinde bilis separatio more vulgari contingit &c.* Nec urachus heic prætereundus est, licet de ejus officio post demum acturi simus; hunc in homine etiam, postquam unicus à vesicæ fundo exortus fuit, in minutissimas fibras findi, Fabritius asserit, in cornigeris verò intestinulum referre, quod ultimum pari evidentiâ animadvertere omnibus non licuit, atque hinc contigit, ut illustr. Harvéus, non in homine modò, sed aliis quoque animalibus talem urachum negaverit, utpote qui aliud nil pręter vesicę processum conspicatus est, cujus delineationem alii exhibent, figura vero 2. allantoiden ostendit, cum uracho ponè umbilicum resciso, qui an talis sit, uti Fabritius depinxit, alii haud difficulter cognoscent: quod autem Harvéus isti contradixit, farciminalis tunica de quâ valdopere dubitârat, in causâ fuit, alias si hanc ad usq; sui initia separâsset, remotis chorio amniové, intestinulum Fabritii, non potuisset non videre: sed ad secundam tertiamvé vasorum anastomosin, quarum illam inter venam cavam & arteriam venosam, foraminis ovalis ope, hanc verò inter venam arteriosam & arteriam magnam, per canalem arteriosum natura machinata est: Mirari hic maximopere subit, quòd Needhamus membranulę, quam instar operculi ibi conspicere licet, non meminerit, cœtera de circulo sanguinis in fœtu satis sollicitus, quem malè intelligens Galenus l. XV. de usu part. atque ejus assecłę, satis incongruè de eo differuerunt: Clarisș. Bauhinus l. 2. Anatom. cap. XXIV. Arteriam venosam in fœtu, pulmoni officium venę, in adultis verò munere arterię fungi ait: Ita quidem ut cùm in fœtu cor non moveatur, pulmones tamen nutriri & augeri oportuerit, viam prędictam natura fabricata sit, quâ sanguinem per cavam sursum latum, non in cordis ventriculum effundat, sed rectà in arteriam venosam: Experientię verò ista & rationi, (quod pace tantorum Virorum dixerimus,) minus conveniunt; Pulmonibus enim per venam pulmonalem quidquam accedere, figmentum est, cùm etiam in fœtu nonnisi officium venę prestet, quin imò si liberè loqui fas sit, officio ad tempus frustretur, neque enim in hujus cavum tantillum deponitur, sed ex foramine ovali, quod ad venę pulmonalis exortum notatur,

tatur, in auriculam & ventriculum ſiniſtrum ilicò recipitur, quia autem ex ſiniſtris illa egreditur, ejus confinium natura planè ſubterfugere non potuit, ſecus quàm Veteres putârunt, neceſſariam aliquam transfuſionem inde evinci: nec ſcio quî ratiocinia illorum, de pulmonum rubedine, (quę alia non eſt quàm ſuperficiaria) ſanguinis item per dictam venam allati revectione, ſubſiſtere poſſint: nèc minus abſonum, quod in fœtu cor non moveatur, cum vel ſola vita, ſeu pulſus vitalis unicuique iſtud dictitet, ceu qui citra cordis motum ſubſiſtere nequit: & ſi prout negari non poteſt, arteria pulmonalis canalis ope in arteriam magnam pertunditur, nonne ſi quid in hanc transfundit, aliunde prius reperiiſſe neceſſe habet? unde autem quæſo, quàm ex dextro cordis è quo ipſa prodit, thalamo ſeſe conſtringente? aut monſtranda eſt immediata cavæ cum arteriâ dictâ communio! jam quid abſurdius, quàm dextrum ventriculum pulſitare, ſiniſtro feriante? Os verò adverſariis, ut ſperamus, prorſus obturabit, punctum ſaliens, vel triduo poſt, in incubato ovo conſpicuum, quod cor eſſe, quisquis negaverit, Anatomicorum choro inſeri vix merebitur: In abdomine ventriculorum ſeries & ſtructura, ulteriorem ruminationem poſtularent, quia verò ſingula hæc in elegantiſſimâ ſuâ merycologiâ Clariſs. Pythagoras abſolvit, è quâ ſymbolam noſtram inferius adjiciemus, operi iſti heic ſuperſedemus, id modò addentes, etiamſi liquorem nutritium ſinguli continuerint, fœtum propterea ruminatum non eſſe, cùm ſubactus ille jam ſit, nec multâ contritione opus habeat, ſufficiatque ſymbola quæ in ultimo ventriculo forſitan, ac inteſtinis ipſi confertur.

Observ. IX.

Fœtuum leporinorum & cuniculorum Braſilienſium Anatome.

Die 6. Maji 1679. Leporis femellæ gravidæ uterum cum Affine noſtro attentius luſtravimus, in cujus cornu dextro, tres notavimus protuberantias, cum eleganti ovario, quod paulò ſupra appenſum conſpiciebatur: *Illarum* media præter cotyledonas nihil continebat, cœterarum verò utraque binos fœtus, ſuis membranulis involutos, cum *placentula*, cui vaſorum umbilicalium ope firmiter adnectebantur: Duo horum fœtuum parvuli omnino erant, præterque *caput* & *puncta nigricantia*, nihil diſtincti videndum exhibuerunt, duobus reliquis è contra erucam æquantibus: in iſtis caput cum binis labiis prominulis,

& *punctis*

& *punctis* nigricantibus ad latera ſitis, ſpina inſuper dorſi, cum pedibus ſuperioribus & inferioribus verſus interiora reclinatis, ac caudulâ evidentiſsimè conſpiciebantur: bihorii tamen ſpatio fœtus iſti diffluxerunt, ut non à multis ſeptimanis ipſam concepiſſe augurati ſimus.

In Porcellis Indicis res eadem ferè contingit, quæ in leporibus, niſi quod ſæpius concipiant; vix dum enim cum pepererunt femellæ, marem rurſus admittunt; Infinita eſt in his oculorum ſeries & admirandus generationis ordo, ſumit enim ſecum fœtus quilibet *placentulam* cum *glandulâ* ipſi cohærente, ceu iſtud figur. appoſitæ docent: Id quoque vidimus citra vitæ periculum illas quandoque abortire; Anno enim 1682. quùm plures aleremus, una è femellis, quam per aliquot ſeptimanas gravidam exiſtimabamus, à frequenti abdominis contactu, fœtus quatuor immaturos excrevit, quorum binos placentulâ & membranis liberatos, reliquos verò iisdem adhuc involutos, aliquandiu aſſervavimus.

SCHOLIUM.

Ex ovo prodire, quidquid animantis eſt, alibi docuimus: ſui tamen incrementa fœtus in iis pariter non recipiunt, ceu id ὠοτόκων καὶ ζωοτόκων differentia evincit, quarum illa ovum non fœcundum modo, ſed liquore nutritio inſuper inſtructum excernunt, hæc vero in utero demum fœtui ſuccreſcenti eundem ſuppeditant, inque his variat natura rurſum ſecernendi artificio, dum quibusdam per manifeſtas uteri glandulas, aliis per cotylas, aliis placentæ ope, aliis verò aliter *ille* largiter affunditur, ceu iſtud in ſuibus obſervatur, quibus toto geſtationis tempore carnei nihil accreſcit: *Lepores & porcelli* Indici duplici placentâ gaudent, quarum utraque tempore partûs cum fœtu abſcedit, atque hinc Clariſs. Needham animalia iſta inter glandulifera & placentifera media eſſe aſſerit p. 28. *Æquè*, inquit, *benigna eſt natura cuniculis, ut & aliis illius claſsis animalibus, nempe ſorici, ſuculæ Indicæ, muri, talpæ, quibus duplicem quidem placentam dedit, alteram rubram & chorio immediatè adhærentem, alteram albam glanduloſæ ſubſtantiæ, quæ inter rubram prædictam & uterum intervenit, ad uterum verò non pertinet, utpote quæ cum fœtu exit & ſecundarum partem conſtituit: Adeò ut hæc animalia inter placentifera & glandulifera media videantur.* Difficilè ſanè heic eſt propriæ experientiæ reluctari, & placentulam albicantem utero adſcribere, in quo nuſquam niſi geſtationis tempore conſpicitur: dicendum potius hujus ipſius primordia, cum alterius quæ rubra eſt, in ovu-

in ovulo identidem existere, quæ sensim adaugeantur, ulteriori materiâ accedente; nec enim in utero facultatis formatricis beneficio, istas primùm generari verisimile vel sanæ rationi congruum est: id tamen in lepusculorum uteris animadvertimus jam sæpius, cujus neque Needhamus nec alii, quantum novimus, meminerunt, stipare cornuum parietes, plurimos undique loculos, quos parvæ apiculæ glanduloſæ occupant, evidentiores in iis, quæ jam conceperunt, quam quæ Venerem nondum expertæ sunt: atque his albida placentula porulis suis, ceu convenientissimis succi nutritii futuris filtris inosculatur, cujusmodi foramina in cuniculi sectione vigesimo nono à coitu die etiam notavit Clariss. de Graaf: *Albicans*, inquit, pag. 409. de Mulier. organis. *placentæ substantia, quæ inter rubram & uterum medium occupat, sex vel septem plurimùm foraminibus perforatur, quibus inflatis rubra placentæ portio, spongiæ instar intumescit*; adeò ut eundem ferè, quem cotylæ in aliis animalibus, usum sibi vendicare videatur: Clariss. Segerus Observ. 94. Ann. 3, Ephemer. placentæ particulam candidissimam exasperatam, & è multis quasi fibrillis albis contextam dicit, nec tamen leviusculè cum uteri apiculis placentulæ cohærent, ut facilè inde decidant liberatæ, quamvis ex abdominis contactu, cuniculus quatuor excreverit, dubium siquidem non est, illo iterato fibras cum musculares abdominis tum uterinas irritatas fuisse ad intempestivam excretionem, quam num vicissim promoverit succus cicutæ terrestris, Ann. 1679. femellæ exhibitus (de quo vide Cicut. aquat. Celeberr. Wepferi) aliis ruminandum relinquimus: Cæterum notare exhinc licet providam naturæ industriam, quæ vel paucorum dierum spatio, integram animalis fabricam ostendit, in lepusculis equidem non perinde evidentem; *illi* enim exigui fuerunt prorsus, & præter caput ac puncta nigricantia distincti nihil exhibuerunt: in *his* verò partes singulæ accuratius cernebantur: quæ hujus rei causa sit, adhuc dum ambigimus; nequé enim nobis constat, facto semel conceptu, femellas ordinariè mares adhuc admittere; obstat quoque heic orificii interni arctior clausura, auræ genitali commeatum necessarium præcludens, quamvis in iis animantibus, quæ fœtus teneros in cornibus præcipuè gestant, ista infallibilis pariter non sit: difficultatem omnem *Philosophus* adimet, dummodo audire ipsum libuerit, lib. 4. de gener. animal. cap. 5. sub finem, ita differentem: ἔνια γὰρ τῶν ἀπικυισκομένων, καὶ πολὺ χρόνον ἀφελιπόσης τῆς ὀχείας, ὀλίγαι λὰ κυήματα ἐκτρέφει, ὅσων σπερμαλικὸν ἐστι τὸ γένος, καὶ μὴ τὸ σῶμα μέγεθος ἔχει, καὶ τῶν πολυτόκων, ἀφ' μὲν γὰρ τὸ πολυτοκεῖν, εὐρυχωρίαν ἔχει τῆς ὑστέρας, ἀφ' ἧς τὸ σπερμαλικὸν εἶναι, πολὺ προΐεται περίττωμα τῆς καθάρσεως &c. & paulò pòst: τοῖς γὰρ τοιούτοις τῶν ζώων, καὶ φύσιν ἔλαιον γὰρ τὸ σῶμα συνέσηκεν ἐξ ἀρχῆς, οἷον τὸ τῶν ἀλασυπόδων: τοῦτο γὰρ ἀπικνίσκεται τὸ ζῶον ὅλε γὰρ τῶν μεγάλων ἐστὶ, πολυτόκον τε καὶ σπερμαλικόν· ὀλιγάκι δ' ἀλασυπὸς: ὁ μὲν

ὁ μὲν ἓν ὁλοσύπτως, τὰ μὲν τ κνημαίων ἀέλλῃ πολλάκις ἔχει, τὰ ἢ πρόσθεται πεπλεισμένα τ πίνων. Quid de ſuperfœtatione ſtatuendum ſit, quî item illa accidere poſſit, alibi diximus, prolixius dicturi deinceps, cùm occaſio ſe obtulerit: Lepores eidem obnoxias eſſe, abſit ut inficiemur; (cùm vel ex hoc exemplo fas ſit, quippiam concludere) nihilominus in iis animantibus, quæ ſtatum congreſſus tempus, vel naturæ decreto obſervant, infrequentiorem eſſe autumamus: *Philoſophi* quoque rationes, ob quas lepores ſæpe numero ſuperfœtare tenentur, leporino innituntur talo; ſunt enim alia animantia æque ſeminifera, hirſuta, καὶ ἓ περιτώματος πολλοῦ ἔχουσιν, & excrementi copiâ (cui potiſſimum innititur) abundant, quæ rarenter tamen ſuperfœtant: Aliquibus fortè de præſenti negotio ita judicâſſe ſufficiet: ova ſingula, quæ uno ſolenni coitu fœcundantur, unâ eâdemque die, pari neceſſitate non decidere, ceu in gallinis notamus, in quibus à Gallo ſemel compreſſis plura ova ſimul fœcundari conſtat, quæ tamen ſingula ſimul non parit, notum autem, quantam vel unius diei interſtitio mutationem ovum non ſubeat: aſt ſepoſitâ hâc hypotheſi, ceu incertâ ac fallibili, differens omnino ratio eſſe videtur, ovorum quæ gallina excludit, ac eorum quæ facto conceptu intra uteri parietes recipiuntur: ex illis multo pòſt tempore, accedente incubantis auxilio pulli excludi poſſunt, ex his non item, niſi neceſſario motu &c. ilico foveantur: ſatius inde ad aliam, ob quam fœtus priores tantiſper diffluxerint, cauſam confugere, ſi quidem in aliis femellis eadem differentia non obſervetur, aut ſuperfœtationem admittere nolimus: De leporum ſexu, quæ Prodr. phyſiolog. aſſeruimus his confirmantur: falluntur ſane, quotquot vel ſexum mutare, vel utriusque eſſe ordinariâ naturæ lege contendunt; delineatio partium genitalium, quam eleganti penicillo *Pythagoras* noſter Ann. 1. Dec. 2. Ephemerid. inſeruit, nosque in pluribus, quâ maribus quâ femellis diſtinctè animadvertimus, omnem dubitandi anſam adimit. (vide ſis inſuper quæ Clariſſ. Bartholinus & Stenonis in Act. Hafn. eruditè ſcripta reliquerunt) Cauſam erroneæ hujus ſententiæ explicat Excellentiſs. Wepferus Ann. 3. Ephemer. Obſerv. de Ariete hermaphrodito: prominet nempe à compreſſione clitoris in ſinu pubis abſcondita, adſuntque glandulæ duæ in perinæo, quæ caſtoreo comparari ſolent, penis teſtiumque figurâ plurimis imponentes: Diſtinctius in hæc inquirendi anſam ſuppeditavit Illuſtris & Generoſiſs. D. à Gemingen, Sereniſſ. Principi Durlacenſi Domino noſtro clementiſſimo à conſiliis, in lepore gravidâ quâ nos donavit, quam præſente Viro Clariſſ. D. D. Theodoro Zvingero Orat. Profeſſ. & D. Næbelio Heidelberg. cum D. Facio Viviacenſ. Med. Stud. d. 8. April. 1684. diſſecuimus, reperimus enim uteri orificium hians, cum clitoride (vid. ſis fig. 1.) cartilagineâ oblongâ, quæ tantiſper propende-

propendebat, muſculisque in viciniâ oriundis fortibus erat inſtructa: ad latera conſpiciebantur glandulæ duæ ex albo flaveſcentes, quas ambiit utrinque corpus tortuoſum, ſubfuſcum, epididymis ſimile: hoc ductu tortuoſo ceu ejaculatorio prope orificium externum interius inſerebatur, prout iſtud ſetâ intrusâ oſtendimus: glandulæ hæ, magis quoad externam faciem quam internam conglobatis ſimiles, diſſectæ & preſſæ, humorem è ſuis porulis heic illic reddiderunt, albidum craſſiuſculum, qualis alias in nonnullorum animantium proſtatis à nobis fuit deprehenſus: Cornu uteri dextrum protuberantias exhibuit duas, à vaſis numerosè ipſas perreptantibus ſubrubentes, utpote exteriora fœtuum quos continebant domicilia ſiniſtrum verò vacuum erat, hujusque portio aliqua inciſa apiculas glanduloſas, (vid. ſis fig. 2.) evidenter monſtravit, à præfat. Clariſſ. Zvingero heic adumbratas, cujuſmodi in dextro etiam videre licuit: locus autem quem fœtuum placentulæ occupabant, his remotis, plurima oſtendit minutiſſima foraminula, ceu totidem glandularum oſcula, mentemque ſubiit, fœtu ſenſim augeſcente, allabente majore ſucci nutritii copiâ, hæc ipſa majora & patentiora fieri: In ovario dextro cicatriculæ duæ recenter prominentes, locum ovulorum, quæ fœcundata deciderant, ſufficenter probârunt: adeo certum eſt femellas ſemen fluidum iſthinc non profundere. De porcelli Indici internâ ſtructurâ, quæ obſervationi non inſeruimus, hæc præcipuè addimus: œſophagum tenuitate, longitudine & inſertione, cuniculorum leporumque imitari, licet ventriculum pariter diviſum, diſtinctè oſtendere non liceat: ambiguum etiam eſt, unde vel quid puncta nigricantia in eodem conſpici ſolita portendant: id verò nobis animadverſum & probatum, longè poſt cibum ſumptum illos triturare, unde ferè exiſtimamus, inter ruminantia aliquem ipſis locum concedendum eſſe: & ſanè res ſalva foret, ſi ratio quam Mercur. variar. lect. c. XV. leporum & cuniculorum ruminationi prætendit, infallibilis eſſet; gaudent enim etiam iſti inteſtino cæco, amplo & cellulato, plexibusque glanduloſis areatim diſpoſitis inſtructiſſimo, ceu in Exercit. 2. de gland. inteſt. Clariſs. Pejeri videre eſt: quàm labilis autem illa ipſa ſit, in Schol. ad hiſtoriam Inteſtin. Cervi docebimus.

Observ. X.

Uteri Porcinus & ovillus prægnantes.

D. 11. Octobr. Ann. 1684. allatus nobis fuit uterus porcinus novem fœtibus plenus, in cujus utroque cornu, ovarium

primò elegans & quasi duplicatum intuiti sumus, glandulòso corpore in variis locis comparente: separavimus hinc ovula aliquot, quæ majuscula vasculis exiguis perreptabantur: Uteri verò ipsius facies interior blandè rubebat, vasis sanguiferis eleganter per hanc dispersis: chorion singulorum fœtuum huic undique contiguum fuit, licet ad apparentiam commune & simplex, ac unius cujusque vasa ad certam tantum ejus partem spargi viderentur, cætera densiusculum & tenerum, cum amnio, ubi fœtum ambit, ex vasorum confinio ita arctè cohærens, ut isthoc incolumi separari vix potuerit: præterea glandulæ innumeræ albicantes, oculis evidenter præditæ illudstipabant, ceu in portione, quam abscissam exiccavimus, adhuc dum videre licet: Tunica farciminalis, unicuique cum appendicibus peculiaris liquorem turbidum continebat, *pellucido* & verè *lymphico* in amnio existente: Ejus ideam portio inflata etiamnum nobis exhibet: Testes sunt Viri Clariss. & Præstantiss. D D. Schorkopf Hildesiens. D. D. Hanhardus Vitodur. D. Kartscher Silesi. D. Näbel Heidelberg. & D. Anton. Astorinus Italus.

D. 19. Martij 1686. cùm in agro Ægrotorum curæ vacaremus, fortè fortuna ovem monstrârunt, in ipso enitendi actu occupatam ut curiositati nostræ satisfacerent: prominebat sub orificio uteri exteriore, corpus pyriforme, insigniter rubens & aquâ distentum: rem accuratè examinantibus, vesicam esse patuit, prorsus inflammatam: petiimus inde, mactari frustrà laborans pecus, uterumque quem nostris manibus exemimus, nobis afferricurarent; annuerunt facilè, ceu ipsorum solet esse in nos affectus & benevolentia: Postridie præsentib. Viris Literatiss. D. Philippe Hanov. & D. Zuicky Claronens. Med. Licent. cultro reliqua indagavimus: fœtus in utroque uteri cornu unus, hæsit suis membranis involutus, ita tamen ut chorio communi investiri primum viderentur, ejus, qui sinistrum occupabat, allantoidis appendice per dextri chorion protensa, vel potius cum isto connexâ, reapse enim citra damnum separari potuit: caruncullæ plures glandulis excavatis inosculabantur: amnij liquor copiosus, isque pinguis admodum & glutinosus: allantois uti vitulorum duplici appendice gaudebat, urachus vero prælongo

satis

satis ductu è vesica in eam perrexit (vid. sis fig. adject.) cœterùm fœtus uterque perfectus.

SCHOLIUM.

QUò magis arduum est generationis negotium, eò diligentius scrutinium à Medico efflagitat, & accuratum singulorum examen: Natura equidem simplicitatem amat, & sibi usque similis est, pari tamen partium structurâ, actiones easdem peragere quandoque non videtur: interdum ipsamet ludit, obicemque ponit, qui nî prudenter auferatur, causa est non rarò sententiæ malè mutatæ. De partibus generationi dicatis exterioribus, cum in histor anim. tum lib. de generat. Aristoteles plura dicit, at non perinde vera, quid enim experientiæ, (ut ratiocinij inertiam linquamus) magis obstat, quàm ejus cap. 3. lib. 1. de gener. anim. effatum: Αἱ δ' ὑστέραι πᾶσαι μέν εἰσι δίμερεῖς, καθάπερ καὶ οἱ ὄρχεις τοῖς ἄρρεσι δύο εἰσι πᾶσι: nihilominus facile istud condonari posset, modò partium interiorum, tunicarum præcipuè unitatem, simplicitatem, ac in variis animantibus structuram usumvé attigisset: Accuratius longè Fabritius ab Aquapendête, & post ipsum alii Medici longè clarissimi, ceu supra meminimus, animantium uteros varios postquam concepissent lustravit; nos magnorum Virorum vestigia secuti, præter modo nominatos, identidem examini subjecimus suillos, ovillos & caprillos, in quorum his glandularum excavatio cotylarum ad instar, evidentior adhuc visa fuit, quam in illis, utrobique autem caruncularum sive placentularum insertio, pro imbibitione succi nutritij patuit, digitis admotis paulatim cedens: in suillis cum ejusmodi quid animadvertere non licuerit, quid obstet, non vidimus, quo minus tunicam interiorem secretionis munere fungi assereremus, utpote vasorum conceptus tempore suaviter rubentium, satellitio appositè instructam, respondentibus illinc poris chorij expansi glandulosis, quos in tubercula succrescere, cùm Fabritius tum Clariss. Needhamus, jam ante nos notârunt; Verba utriusque apponamus, ne quid gloriæ, quam meriti sunt, decedere possit: *In porcis autem*, inquit *ille* (parte 2. de format. fœtu) *& equis quibus carnea moles nulla conspicitur, quid dicemus? Nihil habeo quod afferam, cur porcinus & equinus fœtus eâ destituantur. Nisi fortè dicamus, non prorsus deficere, cùm exterius per totum chorion exigua, imò minima, innumeraq; tubercula quasi se tangentia conspiciantur, cavitates illas in utero respondentes intrantia, quæ sanè carneæ substantiæ vicem subeunt*: & *hic* cap. de format. fœtu: *In sue*, ait, *cujus uterus omnium simplicissimus est, desinunt vasa prædicta in membranam tertiam, sive interiorem, variisq; ambagibus ibidem pulcherrimè disseminantur. Si in prioribus septimanis fere usq; ad medium gestationis tempus sectionem instituveris, invenies membra-*

nam hanc ſerum tenue paulatim exudantem, quod à chorio confeſtim imbibitur. Minimè tamen adhæret utero chorion, ſed quotquot ſunt fœtus porcini, quaſi totidem ova teſtis nondum veſtita, in utero tum ab invicem ſejuncti jacent: ut matrice tantum apertâ ſponte elabantur. Nulla hic glandulæ, nulla placenta: ſed chorion quod molle & poroſum eſt liquorem ſpongiæ inſtar exugit, à venis poſtmodum deglutiendum: & paulò inferius; *In fine geſtationis res paulo aliter ſe habet, chorion nempe craſſitiem non contemnendam acquiſivit, item tubercula quibus utero (licet non admodum pertinaciter) adhæret.* Negotium certè, quod uti multam naturæ induſtriam, ſummi præprimis Opificis providentiam clariſſimè arguit, noſtramque de ſecretione animali ſententiam apprimè confirmat, ita laudato Aquapendenti explicatu obſcurum pariter ac difficile viſum fuit, unde pergit l. cit. *Cur verò in equino & porcino fœtu ita habeant, explicet ille, qui me felicius tantarum potuit rerum cognoſcere cauſas.* Et mirari ſubiret omnino, ſi vel ſucci nutritij ſecretioni hinc aliquid decederet, vel placentulæ nullæ adeſſent, ratum quoniam apud nos eſt, ea ipſa, quam præfati Viri nobiſcum in ſuibus viderunt tubercula glanduloſa, illi officio ſtrenuè vacare, cui carunculæ in aliis, utpote cum verſus illa vaſcula ſanguifera accuratè intuentibus ſingula pergere videautur, nec deſunt primis conceptus ſeptimanis ut aliqui putant, licet pariter evidentia non ſint, grandeſcentibus enim è quibus præcipuam partem compinguntur vaſculis ſanguiferis, horumque cum chorij poris fibroſis expanſionibus, ipſa in apricum ſatis prodeunt: Ea quoque ſejunctio fœtuum tum ab utero tum ab invicem intelligenda non eſt, quaſi prorſus cum chorio ſoluti fluctuarent; eſt ſane contiguitas vel ſuperficiaria inter tunicam uteri interiorem & chorion, qualis pro ovi, quod delapſum eſt, complexione neceſſario requiritur, ut merito ambiguæ veritatis videantur, quæ Vir cætera maximus, Harveus aſſerit Exercit. LXX. de gener. anim. *Quapropter merito caruncules has vel hepar uterinum, vel mammas uterinas dixeris: nempe organa albuginoſo iſti alimento concoquendo, venarumq; attractioni præparando idonea: Ideoq; quibus viviparis, caruncula & placenta deſunt*; (ut equis & porcis) *eorum fœtus ad partum uſq;, humoribus duntaxat intra conceptum repertis enutriuntur: neq; uſpiam illorum conceptus utero adnaſcitur.* Id verò hinc potiſſimum eluceſcit pro ſecretorii organi ſtructurâ ſecretum variè habere, & inde ſuccum nunc aquoſiorem & tenuiorem, nunc craſſiorem vel oleaginoſum magis ſuppeditari, unde forſan eſt, quod amnij ſuilli liquor pellucidus & verè lymphicus extitit: cui etiam alias rationes, jungere poſſemus, nî ubi ad hominem, canes, aliaque animalia attendimus, eæ mox evaneſcerent; ſufficiat addidiſſe, actione, cui glandulæ & carunculæ plurimæ in iis vacant, in homine & canibus, placentulam unicam defungi, pro magnitudine fœtus proditurі, incrementum variè capeſſentem. Obſtaculum majus, oppoſuit nobis chorio-

rum,

rum, non in ſuibus modò, ſed & ovibus arcta cohæſio & in his allantoidis in illud uſque expanſio, etenim nî ex contiguitate illam naſci arguere potuiſſemus, cæteris utpote membranis unicuique peculiaribus, & dictæ allantoidis appendice ab illo facilè ſeparabili exiſtentibus, ſententia quam ad evitandum facultatis formatricis impetum aliis cùm fovemus, de membranis unicuique ovo & hinc fœtui in eo deliteſcente propriis, imò in illo jam contentis, ſatis obſcura evaſiſſet, chorio communi, primo intuitu ſuillos & ovillos fœtus ſingulos involvente: ſuſpicionem noſtram pridem Clariſſ. Pejero ſignificavimus, docuitque experientia in ovillorum examine, illam fundamento prorſus non deſtitui, partim quod contiguitas circa cornu utriusque exortum tantum obſervabilis fuit, partim verò, quod chorii duplicaturâ incisâ, aër injectus, non ultra ſupra dictam allantoidis appendicem perrexit, & quod jam adſtruximus, membranæ reliquæ unicuique peculiares fuerunt: ſcrutinio verò iſti intentos apprime confirmavit Excellentiſſ. Needhamus in cujus embryotomiâ comparatâ iſta legimus: *interim fœtus* (ſuilli intellige) *invicem ita arctè adnaſcentibus choriis, agglutinantur, ut vix ullâ arte niſi tum choriis tum inteſtinalibus tunicis ruptis ſeparari poßint. Idq; eò magis quia ſarciminis illius portio oblonga, quæ ab uno porcello exporrigitur, ſuper chorion proximi recumbit, eiq; paulatim accreſcit.* De ove idem author memoratu digniſſima reliquit, præprimis quod ſi ad prima uſque anatomiæ incunabula redire placeat, hiſtoriam generationis ab ovium ſectionibus initium ſumpſiſſe, conſtare poſſit; de allantoidis autem fœtus unius, cum chorio alterius, cohæſione heic non meminit, forte quod in porcinis iſtam jam indigitaverat: amnij liquorem conſiſtentiæ ratione variare, in utroque dictorum animalium, oppidò ex hiſtoriâ liquet; ferè autem dixerimus nec in vaccinis vel caprillis ita oleaginoſum & pinguem nos ipſum offendiſſe: idem animal lac pinguiuſculum conficit, & lanam ſuccidam perproos cutis promit, materiam ſimilem pro causâ haud dubiè agnoſcentem, quæ in primâ generatione tenello fœtui abundé obtigit, foretque opus æque laudabile illius ortum indagare, atque pilorum horumque varietatem, de quâ nugaciter nonnulli ſcripſerunt; pariter ac Ariſtoteles qui obtrudere conatur l. VI. de hiſt. anim. c. XX. λάχνα δὲ τὰ ἔκγονα γίνεται καὶ μέλανα, ἐὰν ὑπὸ τῇ τῆς κεφαλῆς, λάχναι φλέβες ὦσιν ἢ μέλαιναι; λάχνα μὲν ἐὰν λάχναι; μέλαινα δὲ ἐὰν μέλαιναι: ἐὰν δὲ ἀμφότερα, ἀμφότερα. Candidos nigroſvè effici fœtus, ſi ſublinguâ arietis, venænigræ aut candidæ habeantur, &c.

Observ. XI.

Fœtus humanus cum ſuis involucris ex utero feminæ maleferiatæ.

M. H. annorum 40. & quot excurrit, cum Vidua, ex nefariâ ſcortatione utero concepiſſet, illicitâque Venere thorum caſtitatis turpiter violâſſet, d. 23. Octobr. 1681. fato ſubito, eoque violento periit, & ſui & fœtus, quem ſub præcordiis ſegeſtare, ſola ſciebat, malè oblita: Morte tam inopinâ per urbem delatâ, rumores incerti variiq; inprimis de veneno aſſumpto, paſſim ſpargi ceperunt: Unde Ampl. Magiſtratus Excell. D. D. *Joh. Rodolpho Burcardo* Poliatro, cœterisque quibus iſtud officii incumbit, cadaver aperiundi & exactè luſtrandi curam commiſit: Cui actui cùm & nos, quæ ſolet ejus eſſe humanitas, aliosque nobiscum, è quibus Viros Nobiliſſ. & Clariſſ. D. D. *Pejerum* Scafuſ. & D. D. *Haësbaërtium* Clivenſ. Collegas noſtros honoratiſſimos, præcipuè nominamus, intereſſe libenter paſſus ſit, quin imò Proſectoris munere facilè defuncturum, benevolè incitârit, præſentibus præfatis Viris Spectatiſſ. plurimisque inſuper Philiatris & Chirurgis: Interanea cultro ſoluta accuratius mox conſiderare cepimus, ut quid tandem mali funeſti perpeſſa ſint, deducere liceret: Et quidem externa cadaveris facies, ſatis naturaliter habebat, niſi quod hinc inde qualiſcunque livedo conſpiceretur: nihil tamen in abdomine inflati, nulla præ ore ſpuma comparuit: *Ventriculus* ſeparatus & per medium ſectus, circa orificium inferius paulò vehementius rubebat, glandulis heic loci egregiè micantibus: in *fundo* autem, reliquâque hujus parte nil p.n. animadvertere licuit, fortè quòd copioſus liquor, quo inundabatur, oculis impoſuit; domi enim quum aliquam ventriculi portionem luſtraremus, *pulveris* albidi, qualem in œſophago omnibus prius oſtenderamus, aliquam doſin adhuc offendimus: Oeſophagus potiſſimùm exterius ſanguine extravaſato rubuit, intus verò inflammati nihil oſtendit, ſecus quàm aſpera arteria, cujus interna etiam facies ruborem contraxerat: *Hepar*, *lien*, *pancreas &c.* naturaliter ſatis habebant: *Veſicula* autem *fellis* bile

bile distentissima: *Uteri*, qui fœtum mensium circiter quinque continuit, elegans fuit contemplatio, vasis etenim *extus* elegantibus rubebat, pariter ut oviductus, in quorum extremitatibus ornamentum foliaceum conspicuum, curiosam mentem admodum oblectavit: *Intus* verò fœtum masculum, placentâ fundo adhærentem exhibuit, quem unà cum suis involucris exemptum, àque his, quâ licuit dexteritate separatum, adstantibus ostendimus, suis membris perfectum, vasorumque subcutaneorum jucundâ & per universum corpus continuatâ serie instructum: atque hunc inter curiosa nostra cum oviductu altero, etiamnum servamus: *Pulmones* ab omni labe non immunes, utrinque costis paulùm adhærebant; in collo quoque strumam non mediocrem observare licuit: cæterùm sana & incolumis paucis diebus antè adhuc fuit, neque de ullo incommodo querelas movit: Notârunt tamen qui easdem ipsâcum ædes incolebant, quòd pridie mortis, ubi prius subtristem ob putatitij proci discessum animadvertissent, pulverem quendam ex theculâ sumpserit, jusculoque carpionum quod paraverat, immiscuerit, à quo (referentibus iisdem) malè statim habuerit, & vomere, admodumque angi ceperit: Rogata hinc ab unâ alteravé συνοίκων, num purgans (quale haud ita pridem binis vicibus hauserat) sumserit rursum, obticuit & in perpetuo vomendi conatu, quem theriacâ primùm, hinc aquâ fontanâ eludere frustra tentârat, substitit, alteroque mane, domesticis tale nil vel cogitantibus vel sperantibus, brachiis prorsus incurvatis, mortua reperta fuit. Concluſum fuit inde, perfidam matrem, cùm medicamentorum fortiorum ope, fœtum expellere satageret, sibi fœtuique vitam ademisse, utpote à quibus suffocari strumosa, pulmonibusque utcunque laborans, & convelli facilè potuerit.

Vomitoria, quantum quidem per Pharmacopolarum fidem rescire licuit, fuerunt seqq. d. 20. Aug. ℞ tartar. emet. gr. III. m. cum aq. cent. min. d. 30. ejusd. ℞ gutt. gamandr. gr. III. cum conserv. rosar. f. bolus.

SCHOLIUM.

LUstravimus in præcedentibus, quæ circa diversorum animantium uteros, fœtusvé notatu digna videbantur; jam hominis ipsius gene-

rationem, habitaculum, involucra &c. tantiſper ſcrutabimur, mentis oculis aſſecuturi, quod corporeis indagare ſatis non licet: Fœminæ quæ ſteriles prorſus non ſunt, in utero concipere poſſunt, eſtque hæc conceptio ex Authorum Vett. opinione, nunc vera, nunc falſa: de hac inferius agetur Obſervat. *de Utero tuberoſo*: *illa* nobis dicitur, cùm ovum fœcundatum reapſe per oviductum in uteri fundum ſuſcipitur, quæ quî fiat, arduum ſatis eſt dicere: Quî fœminas ſemen è teſtibus putatitiis ejaculari ſentiunt, cum maſculo deinceps convenienter miſcendum, & ope facultatis formatricis in fœtum humanum transformandum, verbis negotium protenus abſolvunt, modò experientia reſponderet: De ovarii humani ſtructurâ dicere heic ſuperſedemus, cùm alibi illud actum ſit, & quod reſtat, Obſervat. *hydropis Ovarii Muliebris*, inſerere conſtituerimus: In ipſo interim ſuſceptionis actu, motum obſervamus, quî fœcundationi complementum affert: nempe fibrarum muſcularium ad extremitatem tubæ, in muliebri ſexu elegantiſſimè locatarum, verſus ovum deciduum expanſionem, quas ornamenti foliacei nomine inſignivit Clariſs. de Grăef, illudque heic monere neceſſe habemus, in quibuscunque animantibus, quæ noſtrâ manu ſecuimus, illud reperiri, muſculoſam verò fibrarum ſtructuram, quam fimbriarum nomine *ille* denotat, pari ſerie & elegantiâ, uti in mulieribus non videri, quamvis nerveis carneas intertextas eſſe, perſuaſum firmiter habeamus: de motu iſto expanſorio, etiamſi plura addere non poſſemus, eum tamen fœcundationis partem aliquam abſolvere, vel inde eluceſceret, quod nonniſi conceptus futuri tempore vigeat, atque ſine hoc irrita foret ovi protruſio: audacter verò inſuper dicimus eodem tempore, quo ab aura genitali motus, cùm ſpiritibus tum maſſæ humorali matris illatus eſt, ut cùm ovuli interiora, illibatâ determinatione agitari poſſint, ſi quidem pluribus Viris Eruditis ita viſum ſit, tum materiæ idoneæ ſecretio, pro glandulosâ globulorũ ovum ſenſim è cellulâ fibrosâ ceu pedunculo abrumpentium & protrudentiũ generatione inſtituatur, eodem (infimus) momento, dictatâ iſtâ naturæ lege à ſummo opifice parilem, accedente ſpirituum legitimâ copiâ, in dictis fimbriis, pullulare & magis magisque vigorari, ita quidem, ut ovarium integrum ferè involvant & expetitum fœtum amplexentur: Opus ſanè quod ſi humanæ mentis ratiocinium ſuperat prorſus, Creatoris digitum eò illuſtrius repræſentat, experientiæ omnino conſonum, ceu in ſuibus, aliisque animalibus, pluribus poſt conceptum diebus, etiamnum curioſis ſpectatoribus monſtravimus: Eædem fibræ ad priſtinam figuram & ſitum paulatim redeunt, motu hoc ſpirituum identidem in imprægnatis ceſſante: In hoc autem cum laudatiſſimo *Græfio* ſentire non poſſumus, quòd ſubſtantiam tubarum membranoſam eſſe, ait, non *nerveam* aut *carnoſam*; perinde enim uti in ſubſtantia ipſa-

tia ipſarum interiore *glandulas* nobis facilè imaginamur, quarum ope cùm ſerum lubricum, è ſanguine arterioſo, (vaſis enim ſanguiferis, inprimis in gravidis elegantiſſimè muniuntur) ſuſceptum exſtillatur, tum ſi p. n. ovum fœcundatum intra ipſarum parietes hæſerit, nutritium idem cum ſanguine, poris placentæ indeque vaſculis venoſis fœtus exugendum traditur, ita dubitare nequimus, quin continuato fibrillarum per ipſas motu, ovum in uterum ſenſim trudatur, carnearum maximè, utpote quæ à Vir. Clariſs. Stenonio aliisque, huic actioni unicè deſtinantur, ſpiritu irrorante per *nerveas* accedente; ut ſilentio prætereamus, ſubſtantiæ membraneæ *iſtas* minus commodè adimi: ſi verò nec iſta omnibus placeant, explicent adverſarii, quî ovum anguſtias oviductus evadat, & in latebras uteri veniat, ut κύημα factum eſſe dici queat: Eſt ergò conceptus, ſeu potius embryonis in ovulo deliteſcentis, habitaculum naturale uterus, in fœminis ita efformatus ut pyrum referat, & extra graviditatem ſecundum omnes ſui parietes corrugetur; ſitum cætera obtinens, inter veſicam urinariam & inteſtinum rectum, ceu eleganter Hippocr. exprimit l. περὶ φύσιος ἀνθρώπου. ἐξῆς ὑδρώδης κύστις ἰχίῳ σῶμα ἐνηλεγμένη, συμπεπλεγμένων ἀγγείων, ἔρων ἐκκείσιος αἰδοίηγένες. ἡ πυλωρὸς μυχοῖς ἰχίων βεβῶσα σὰρξ σφίγγεται ὑδρωπικῶν· ἐκ ἧς πλήθος ἐκχέεται γαστρὸς φύσιος. ἡ ἧ γεγληνῶσα παῖδησι μήτης ἐρεφέων, ἡ λεινὸν ἄλγος· ἢ ἐν γυναικὶ μόχθων μυελῶν σπαραλὴν, πεφώλδκεν μήτης ἐκ ἰόκης πεφυκώς: In regia iſta excipitur ſponſus hic, baſia figentibus uteri parietibus, poriſque illius glanduloſis, ſerum cum ſanguine nutritium ilico ſtillantibus: de quo ſanè cùm cogitamus, meritò obſtupeſcimus, enim verò nec fluctuare patitur natura tenellum ovum, ſicque iners fieri, nec temerè eliminat, quin ſi alterutrum latus ſive fundum proximè attigerit, motu alimenti neceſſarii confeſtim ſubvenit: nempe per univerſam membranam extimam vaſculorum umbilicalium veſtigia diſperguntur, porique adſunt idonei, quibus illud filtratum recipi & ad cor fœtus, indeque reliquas partes deferri poſſit, commeante portione non exiguâ ad membranam intimam, fœtum proximè involventem, per venoſos ductus, umbilicalis propagines, ejusdemque reliquiis per arterioſos dehinc ad illos, in placentam unà faceſſentes remeantibus, atque iſte membranarum & placentæ ortus ac officium, hæc fœtus vita & nutritio eſt: Illas extra ovum diu multumque quæritârunt Eruditi Medici: hanc pari dexteritate omnes non explicuerunt; de ſingulis quædam fabimur ulterius: Membranas & hepar uterinum, ad fœtum præcisè pertinere, non uterum, jam Vett. quibusdam viſum fuit: ab initio autem præ reliquis partibus eas primùm formari, traditio eſt, falſę hypotheſi innitens, quàm ovi glorioſum inventum deſtruit; etenim cui bono entia multiplicare citra neceſsitatem & membranę materiam ex ſemine deducere, quod in uteri cavo vel nuſquam

vel eo saltem tempore non reperitur, ut taceamus, magnam utique affinitatem illi cum volatilium ovis intercedere, in quibus putamine denudatis, plures occurrunt membranæ, quarum alia ovum arctissimè complectitur, alia albumen tenuius, alia pulli colliquamentum &c. adsunt ergo & heic membranæ eodem quo conceptus fit momento, suoque muneri diligenter adhibentur: nec enim vasorum simpliciter fulcimentum chorion est, sed porosæ suæ substantiæ vi, tantum non succum vitalem ex uteri interiore tunicâ exugit, actione primis præcipuè diebus, ubi placenta nondum conspicua est evidenti: scimus equidem cùm carunculis in aliis animantibus tum in homine placentæ uterinæ istud officii ttibui: at accuratè rem scrutantibus, hanc ipsam ad chorion pertinere, aliudque ferè non, quàm vasorum per istius substantiam porosam artificiosam expansionem & compigmentum esse patebit, ita quidem ut illius ministerio, vasculorum capillarium oscilla sanguinem nutritium recipiant, particulasque reliquas arteriolæ revehant, quarum portione aliquâ ipsorum interstitiis & fibris agglomeratâ, magis magisque prodire incipiat id, quod hepar uterinum communiter vocant, quodque expansis vasorum ductibus, fœtu augescente, legitimum incrementum identidem suscipit: atque hinc est quod chorii tubercula in suibus, pariter placentularum nomine venire posse supra innuimus, color siquidem rutilus de essentia ipsarum esse nequit, unde etiam injectione calidâ factâ, prorsus dealbatur placenta muliebris, ceu sæpius ostendimus, cum vasorum ramificationi, sententiæ quàm modò proposuimus stabiliendæ ergo, pro viribus intenti essemus: nec obstat quod nudas venarum arteriolarumque propagines non vidimus, cùm impossibile sit, quin in sanguinis isthoc commeatu, particulæ quæpiam ramosæ, si vel cum cruore redeant, osculisque arteriolarum elabantur, (anastomo sis siquidem mutua hactenus non fuit ostensa) paulatim accrescant, de quibus friabilis placentularum substantia testari potest: an verò præter ista, glandulæ aliæ adsint insuper, multum non disquirimus, cùm sufficiat secretum per uteri tunicam liquorem, dicto modo à venis resorberi: apage autem heic cum mutuâ unione vasorum matris & fœtus, ceu hæc illis inoscularentur: somnium certè non illepidum, sed quod placentam uterinam destruere valet, cum actione quam ipsi attribuerunt ejus Patroni, quid enim istâ opus fuit, si rami umbilicales cum uterinis per anastomosin junguntur? imò unde commodus ejus ortus, si osculis ipsorum nihil elabitur? quò præcipuè accedit autopsia refutans; nihil enim injectione institutâ sive per ceram, sive liquorem alium ex arteriis matris in vasa placentæ, & viciſſim meare comperies, imò nec vasa fœtus sibi mutuò immediatè communicare illâ edocti sumus: nihilominus fœtum vitâ matris spirare, sive ut Vett. Anatomici loquuntur, spi-

tur, ſpiritum vitalem ex vaſis matris haurire, prorſus non inficiamur, modò diſtinctè & clarè ſingula explicentur: videlicet ille ipſe ſpiritus qui in arteriis maternis reſidet, & conſtanti motu vigoratur, dum venæ umbilicalis ramos ſubintrat, atque eodem continuato, cordis auriculam & thalamum dextrum ingreditur, ex iisdem protruſus leniter in ſiniſtrum, hincque per arterias in totum corpuſculum, nec dum viſibile, vivere primis diebus embryonem efficit, ut male decipiantur, qui vitam fœtus ex motitatione certo tempore perceptibili, cùm feminis augurari ſatagunt: Vita ſanè noſtra, uti in perpetuante ſanguinis motu, quem apprimè ſuſcitat & conſervat materiæ æthereæ, ſive ſubtilis influxus, præcisè conſiſtit, ita fœtui tribuenda eſt, quamprimum ille incipit, id quod primis ilicò diebus fieri, punctum ſaliens in ovo incubato, apprimè commonſtrat; augeſcit verò ſenſibiliter dum ſpiritus animalis, (dictæ materiæ motum jugiter ſuſcitanti maximè affinis,) in tenelli cerebri glandulis ſecernitur, eque fibræ ductibus in nervos cardiacos fluit copioſius, vid. ſis Diſſertat. noſtr. de Struct. Viſc. Eodem actu nutrimentum quoque partibus veriſſimè accedit, de cujus qualitate ſollicitus ſatis fuit Illuſtris Harvéus: *Placenta*, inquit, Exercit. LXX. *muliebris, gibba ſui parte, quâ utero adhæret, plurimis tuberibus inæqualis eſt, videturq; iſtorum operâ eidem adnaſci: Adeò ut non ubiq; utero affigatur, ſed iis ſolum locis, ubi vaſa in eum porrecta, nutrimentum eliciunt, & in quibus propterea vaſorum quaſi fines abrupti cernuntur. Num autem dictæ vaſorum extremitates ſanguinem ab utero exſugant, an potius concoctum quid albumini ſimile, quale in cervis & damis reperiri diximus, nondum exploratum habeo*: Et paulò inferius. *Verùm ut dixi ſanguinem*, (intelligе carunculæ) *ne mulſæ quidem aut compreſſæ emittunt, quippe non tam illo quàm albumine plenæ ſunt, neq; illius organa concoctricia ſunt, ſed hujus promptuaria: Ut manifeſtum ſit fœtum in utero non ali ſanguine materno, ſed albumine hujusmodi commodè adparato.* E' quibus licet ſententiam, quam veriſimilem propoſuimus, de particularum albuminoſarum adhæſione & accreſcentiâ confirmare quodammodo poſſimus, huc tamen nequimus venire, ut colliquamenti fontem, ſive concoctionis organum placentam ita faciamus, etiam in damis, ceu vaſa cruor non ſubingrederetur, contrarium quoniam umbilicalium apertio edocet, quod cùm laudatus Vir ipſe agnoverit, dum è vaſorum finibus ex conceptu prodeuntibus ſanguinem effluere ſcribit, aut nova vaſa monſtranda erunt albumen hujusmodi vehentia, aut ſtatuendum, in illis tuberibus ſuccum gelatinoſum præcisè elici, & à reliquo cruore ſequeſtrari, eidem denuò, ſi quidem fœtui advehi debeat, miſcendum, atque ſic elaboratorium ejus carunculæ forent: Quicquid ſit relictâ hâc hypotheſi, dicimus particulas balſamicas, nutritias, ἢ αἷμαλ@- τὸ γλυκύτατον appellat Cous, reliquo cruori permiſtas, arteriolarum ope, quæ ab umbilicali venâ illas acceperunt,

versus singulas partes deferri, & ab isto convenienter separatas, ipsis agglutinari, artificio quod partium musculosarum sive carnosarum elegans structura detexit. At non subsistit heic sollicita mater Natura, sed idoneum liquorem membranâ amnios dictâ, quæ fœtum intimè amicit condit, per vascula venosa exilia allatum atque sequestratum configurationis pororum ope, eum in finem ut nusquam fœtum alimentum deficiat, licet nutrimenti satis per umbilicum advehi videri posset: estque hæc altera per os fieri solita nutritio, de quâ Hippocr. l. περὶ σάρκων καὶ φύσιος παιδίου: τὸ παιδίον ἐν τῇ γαστρὶ συνέχοντα χειλέα μύζει ἐκ τῆς μητρέων: ἕλκει τὴν τροφὴν καὶ τὸ πνεῦμα τῷ καρδίῃ ἑαυτοῦ. Enim verò negari nequit succi hujus portionem ventriculo recipi, cum & in dissecto illam reperire liceat & excrementa intestinalia de eo testentur, longè major verò ejus est copia, inprimis etiam in animantibus brutis, quàm fortè pro tenello fœtu requiritur eaque primis mensibus palpabilis: nempe solenni dictato motu, materiæ alimentaris, quæ in illis in lactis materiam aliaque ordinariè facessit, potissimum versus uterum amandatur, cumque omni fœtus ilico opus non habeat vel deinceps habere possit, in amnio commodum asservatur, ne majori copiâ tum cruore ad placentam denuò delata stagnet, taliasvé molestiores turbas excitet; quidquam enim ejus, quod porosam uteri tunicam semel evasit, & umbilico fœtus exceptum fuit, per vasa matris deinceps resorberi probabile nobis non fit: Liquori isti, fœtu in angustiis detento, fœculenta misceri, experientia variis in animantibus nos docuit, idque tum maximè, quando mater ipsâ de vita periclitabatur, adeò fœtus spirituum auxilio illi intimè compatitur, urinæ verò nihil unquam confunditur, sed omne per urachi productionem in membranam, allantois dictam effunditur, quam urinariam commodiore vocabulo in muliere dici posse, aliis cum arbitramur, nec enim farciminalem figuram, prout in brutis magna ex parte obtinet: tenuis hæc est admodum & pellucida, ac chorio arctissimè cohæret, adeò ut nî cautè separaveris, ilicò rumpatur, factum est hinc ut viri cœtera magni, humoris excrementitii receptaculum chorion constituerint, quod imprudentius separatum, serum urinosum profundere animadverterunt: cæterùm integrum fœtum complectitur, vasisque prorsus destituitur, quòd certissimum membranæ hujus indicium est, reliquæ enim omnes legitimâ eorum cohorte stipantur: Cadit ergo quod de mictione per penem in fœtu, uteri claustro etiamnum detento aliqui excogitârunt, quum hujus membranæ intuitione frui ilico non possent: Assertum certè ratione satis non suffultum, etiamsi tunicam dictam tantisper seponamus, præterquam enim quod urachus in adultis etiam monstrabilis, cùm sui tum *illius* officium satis arguere potis sit, (nî frustra factum dicere velis,) locus probandus est

dus est insuper, quò urina recipitur, & ita vel cum amnii nutritio liquore, male ipsum commisceri asserendum, vel tunica singularis constituenda est, nec enim ex urachi foramine per uteri cavum effluit acris humor orificio interiore pertinacissimè clauso: sed satis de membranis & nutrimento humani fœtus, quo fruitur usque dum maturus, è tenebris in lucem prodire ac liberius spirare incipit: quæ singula sanè eò magis nos alliciebant, quò generationis primordia admirari pariter ac speculari hominem præcipuè decet, ut quam artificiosè Deus ipsum formaverit grato animo ubique ruminet, suique ortus memor humilis esse discat.

Observ. XII.

Intestinorum Cervi Anatome.

Mense Febr. 1683. Intestina Cervi juvenculi adhuc calentia lustravimus, ut cum ventriculorum quadrigeminam seriem, tum alia abdominis contenta lustraremus: Illi equidem vaccinis structuræ ratione similes, ingestis pleni erant, ζέοντ in χειλίῳ μεγάλῃ evidentissimâ, uti nobiscum Clariss. D. D. Kŏnig, aliique exenterationi adstantes notârunt: Ista verò, intestina viz. cum mesenterio, renibus & partibus genitalibus eleganter fabrefactis, paulò penitius intuiti sumus, præsentibus Viris Clariss. D. D. Zuingero, D. D. Wæberskii Dantisc. & prof. D. D. Kŏnig, aliisq; Arti Apollineæ operam dantibus: Intestina tenuia variè involuta, glandulosam faciem hic illic ostenderunt, inprimis ileon, quod prope terminationem sui, duas ulnas & ultra mere glandulosum fuit, exitu præditum satis angusto & rugoso, qui *Valvulam* decantatam constituere videtur: Intestinum cœcum, elegans, oblongum & amplum fuit, cujus fibræ circulares, dum inflabatur, egregiè micuerunt: simile cœterùm tubæ venaticæ: (vid. sis fig. 1.) Inprimis autem in admirationem nos rapuit sacculus glandulosus, cui pancreas Asellii, ulnam circiter longum, circa medium sui arctissimè, uti testibus Epididymi, connectebatur: hoc primo intuitu, corpus ex glandulis in scirrhum induratis compactum credidimus, incisione autem factâ suspicio cecidit, prorumpente materiâ rutilâ, consistentiâ musti crassioris, quod ex pyris nostrates conficiunt, glutinosâ, sapore lub-

re ſubdulci, quâ detersâ prodiére cellulæ plures, areis glanduloſis eleganter ſtipatæ. (vid. ſis fig. 2. & 3.) colore luteo, ſeu croceo hinc inde tinctæ: ſacculus ipſe quoad reliqua, membraneus erat, modiceque denſus; pancreas verò coloris ſubfuſci exterius, interius glanduloſum, manifeſtâ cavitate donatum: Ponè iſtud glandulas plures videre licuit ſubfuſcas, figurâ linguam bovinam æmulantes; Renes non uti in bobus, quos tamen æmulari vulgò creduntur: Egregia fuit pariter partium genitalium ſtructura: Teſtis alter parvulus, alter maximus: Veſiculæ ſeminales reapſe glanduloſæ & ductibus evidentibus inſtructæ, ſub vaſis ejaculatoriis in urethram cum hiſce diſtinctè inſerebantur: Priapum præter ordinarios muſculos, duobus aliis, teretibus, oblongis, ponè inteſtinum rectum incipientibus, & ultra medium ipſius pergentibus, donari notavimus, haud dubiè validioris extenſionis ergô.

SCHOLIUM.

De Cervis plura dicenda haberemus, ſi modò illud ferret inſtitutiratio; Quantæ enim obſcuritatis ſunt adhuc, quæ de lacrymis ipſorum, cornuum generatione ac ætate, oſſe circa baſin cordis conſpicuo, aliisve enarrantur, multâ utique experientiâ & ſolidis ratiociniis opus habentibus: pariter & peculiaris vermis in capite cervi reperiri ſolitus, aliquam ſibi attentionem vendicaret, quam alibi tantiſper adhibuimus, cum pilarum generatione & coagulo: ſed nolumus in ea jam diffundi, quæ vel non vidimus diſtinctè, vel datâ occaſione demum explicare conſtituimus: Ventriculus quadrigeminus, inteſtina, reliquaque imi ventris, ſatis materiæ ſuppeditant, genium exercendi: Et quidem ille veritatem prodit ejus, quod Ariſtot. l. IX. cap. 50. Hiſt. Anim. aſſeruit ὅσα ἢ τ ἀγελαίων, δοκεῖ πως συνωπίσαι, ὅσα μὴ συντρεφῆ ἐνίοις, οἷον ἐλαφῳ, αὐτὴ ἢ μηρυκάζει, πάντα ἢ κατακείμενα μηρυκάζουσι μᾶλλον: μᾶλιστα ἢ ἔχεμῶνῳ μηρυκάζουσι: Quem locum Celeberr. Velſchius diſſert. I. de Ægagropil. à tacitâ objectione vindicat, dum inquit: *ſic autem poſteriora ad ſenſum vertenda putamus*: Ex feris nullum adhuc ruminare viſum eſt, ſicut cervus, niſi quale etiam domeſticum alatur: *Hoc ſibi velle* τὸ ὅσα καὶ τὸ συντρεφεσθαι, *iis præcipuè perſuademur, quæ ipſe* lib. I. hiſt. anim. cap. 1. *docuerat*, πάντα, inquiens, ὅσα ἡμερά ἐστι γένη, καὶ ἀγελαῖά ἐστιν, οἷον ἵπποι, βόες, ὗες, ἄνθρωποι πρόβατα αἶγες, κύνες. *Quæ igitur ex his domeſtica aluntur, & ruminant, agreſtia quoque id facere ſolent, quæ autem fera tantum, nec paria domeſtica habent, nulla*

omninò

omninò ruminant, excepto ſolo cervo, ſub cujus tamen nomine plura genera comprehenduntur : Et ſanè liberatur ita ab errore Philoſophus, quem alias abſurdè erraſſe dici poſſet, cùm multus ſit omninò ferorum ruminantium numerus, non hyberno modo tempore; ſed toto, quod trahunt, vitæ curriculo ruminantium: unde & illud μάλιστα χειμῶνος μηρυκάζειν, ni ad pabuli ruditatem, quæ iſto tempore major eſt reſtringatur, minus commodè dicitur: Majori longè cum fundamento, τὸ κατακείμενα μηρυκάζειν, non quidem quòd exhinc Clariſs. Gliſſonio argumentum ſuppetere velimus, ac ſi ex phantaſiæ imperio, ſitum hunc expeteret animal, quo bono parto eò commodius & ſuavius frui poſſit, ſed ut eluceſcat arduum eſſe ruminationis opus, prò quo felicius peragendo, plures ſpirituum manipuli requirantur, quibus conſervandis quies optimè conducat, & commoda ſituatio pro ſuſtinendis ventribus, κοιλίᾳ præprimis μεγάλῃ, pabulo tum præ reliquis turgente: adeò certum eſt, pariter ac in aliis animalibus, ex mera naturæ providentia, quam animantibus brutis Deus implantavit, ſpirituum plurimam cohortem, chylificationis tempore terminari: Iſta autem quî fiat, prolixius heic exponere opus non eſt: id memorâſſe ſufficiet ζέσιν ſeu efferveſcentiam, quàm non modo vapores calidi, factâ inciſione copiosè exhalantes, ſed etiam innumeræ bullulæ, ceu in aqua bulliente conſpici ſolent confirmârunt, ſatis inteſtinum quendam motum, eumque fermentaceum arguiſſe, in particularum ingeſtarum, attritione, maceratione & majori ſolutione potiſſimùm conſiſtentem: Confert ſanè huc aliquid, liquor turbidiuſculus, tempore iſto ſatis graviter olens & copioſior, quicquid demum contradicant, fermenti ſtomachici oſores! cui & ſi non inficiabimur, à ſaliva maſticando ſeſe uberius inſinuante, fomentum accedere, illud tamen ex Adverſariis ſciſcitabimur, an liquori, quem glandulæ ſtomachicæ ſtillant, ſive tunica ventriculi interior, hâc ipsâ actione glanduloſa, ſimiles particulas, (quæ ſalivæ) ineſſe negent, vel negare poſſint, ex experientiæ aut ſanæ rationis dictamine? Activa certè, ſi quod aliud, ſalia ſunt, præſertim ubi ſpiritus connubium acceſſerit tantiſper, junctaque cum aliis inteſtino motu, pabuli ſolutionem ſedulò promovent, tantum abeſt, ut ſub liquoris formâ, vehiculi loco unicè inſerviant: Hæc ipſa tamen fermenti ſpirituoſi ἐνέργεια in reliquis ventriculis nobilior ac evidentior eſſe videtur, ceu ad chyli laudabilis generationem propius collimantibus, quibus inteſtina accedunt, cum liquore glandularum ſpirituoſo uberrimo. Elegantiſſimam harum cohortem, ilei ferè tota interna facies exhibuit, cujusmodi in alio animante hactenus non animadvertimus, firmiſſimo argumento inteſtina & glandulas & glanduloſa eſſe, licet aliqui minùs ſenſati, de iſthoc aſſerto & invento ſiniſterius judicent, ineptè objicientes: Univerſum corpus noſtrum ita

ſtrum ita glandulam fore: Etſi enim quod uni alterivé parti ob prægnantes rationes tribuitur, de toto ſtatim dici non debeat, graviaque ſint rationum momenta, ob quæ cerebrum, ventriculus, inteſtina, aliæque partes glandulæ dicuntur, quibus illi ſapienter obſtrepere non poterunt, abſurditatis tamen nodum ita inſolubilem non videmus, ſi *corpus glandula eſſet*, quin ſanæ mentis acie diſſolvi confeſtim poſſit; longè enim plures in illo glandulas dari, quàm creditum fuit olim, experientia certiſſima rerum Magiſtra & ratio nos docent, non quidem ad ſenſum tales, uti Medicorum vulgus deſiderat, conglobatis vel conglomeratis, figurâ ſimiles, cujusmodi ut ſibi demonſtrentur, ab homine Philoſopho non credimus iri expetitum, ſimiles tamen ſecretionis actu, ad quem ritè perficiendum, conveniens ubique ſtructura requiritur, vaſorum non modo præſentiam, ſed partis præcipuè configurationem decentem, poros meatusque &c. involvens, atque iſthâc ratione cùm innumera in corpore animali peragantur, non interius modo, ſed & exterius, quid vetat, quò minus illud ſummè glanduloſum appellemus? glandulam vocitent alii, dummodo clarâ & diſtinctâ explicatione ſubveniant: Id quoque de inteſtino jejuno dicendum eſt inſuper, malè illud tale vocari, ceu perpetuò vacuum reperiretur, propter meſaraicarum numerum & magnitudinem inſigniorem, chylum copioſius attrahentium, quò quidem cum Vett. aliis Ariſtotelem collimâſſe videmus cap. XIV. l. 3. hiſt. animal. dum ita ἐπεὶ δ' ἐν τῇ ἄνω μὲν κοιλίᾳ, καὶ τὴν πρώτην εἴσοδον τῆς τροφῆς, νεαρὸν ἀναγκαῖον εἶναι τὸν τροφὴν, κάλλω δ' πλοῖσαν, καπνώδη καὶ ἐξικμασμένην, ἀναγκαῖον εἶναι καὶ τὸ μεταξὺ, ἐν ᾧ μεταβάλλει, καὶ ὅτ' ἔτι πεπόσθαι, ὅτ' ἤδη κόπτειν: Διὰ τοῦτο πάντα τὰ τοιαῦτα ζῶα, τὴν καλουμένην ἔχει νῆστιν, ἐν τῷ μετὰ τὴν κοιλίαν ἐντέρῳ τῷ λεπτῷ: τοῦτο γὰρ μεταξύ τῆς ἄνω καὶ τῆς κάτω· γίνεται δ' ἐν πᾶσι μέν· δῆλη δ' ἐν τοῖς μείζοσι καὶ πολυσάρκοσιν: Obſervavit ſanè jam ante nos Cliſſ. Gliſſonius, ſignum iſthoc accidentale eſſe, & ſi animalia ſtatim à primo paſtu aperiantur, jejunum non magis quàm Ileum plenum deprehenſum iri: nec idonea eſt ratio, quam afferunt; arteriarum enim copia ſufficiens, etiam ileon perreptat, eò frequentiore numero, quo plexus glanduloſi frequentiores ferè in hoc quàm illo conſpici ac reperiri ſolent, videturque ſuppoſita hæc jejuni inanitio, ileique impletio, officium in perfectione & ſequeſtratione chyli à fæcibus alvinis, huic ultimo magis, quàm illi confirmare, utpote in cujus circumvolutionibus, accedente liquore glandularum ſpirituoſo, ingeſta in ventriculo ſoluta, præcipuè ſubigerentur ac depurarentur, quò tamen nec nobismet ipſis devenire volupe eſt, utpote quibus de utriusque parili actione conſtat: Laudamus magis anguſtum ilei exitum, quem fibrarum rugoſarum agmen conſtituit; eluceſcit inde robur quod habent in ſui conſtrictione, tantum certè, quantum in aliis animalibus

valvula

valvula unquam præstiterit; nec enim verisimile nobis fit, ex intestino cœco (de cujus in ruminantibus usu jam) quidquam ob valvulæ ordinariæ absentiam regredi posse, reluctante fibrarum agmine, neque certi sumus in quibusvis animantibus illam adesse: plura quoque dicenda haberemus, de fibrarum intestinalium pertinaci corrugatione, in affectibus præprimis spasmodicis, nî alii meditationî ista servaremus: Ad cœcum pergimus, τυφλόν, Græcis dictum, monoculum aliis: de hoc Arist. supra cit. loc. Πᾶσι δὴ τοῖς μὴ ἀθυεντέροις ᾠοφιξιν, ἀρύτερον γίνεται τοῦτο τὸ μόριον, καὶ τὸ καλούμενον κῶλον ἔχουσι καὶ ἕ ἐντέρω τύφλόν τι καὶ ὀγκώδες &c. ταῦτα δὴ πάντα μεμηχάνηται τῇ φύσει πρὸς τὰς ἁρμοττούσας, ἐργασίας πρὶ τὴν τροφήν καὶ ἕ γινομένω περιττώματα &c. Nec dissentit Galenus, qui appendicem hanc, cùm sit veluti venter quidam crassus, excrementis recipiendis ita accommodatam dixit, ut si quid in transitu per tenue intestinum distributionem fefellerit, & venas mesaraicas sit præterlapsum, id omne in cœco diuturnâ morâ exugatur: cujus autem sententiæ fundamentum ruinosùm est penitus, cùm vasorum mesaraicorum fuctio pridem corruerit: In homine, canibus, vulpibus, aliisvé carnivoris, cœcum angustius occasionem præbuit Authoribus varia de ejus usu in brutis herbivoris comminiscendi, quæ an veritati sint congrua omninò, tantisper videbimus: Waldungus l. de lepore cap. 32. cœcum in cuniculis & leporibus, ultimi ventriculi loco esse putat, in quo absolvatur concoctio, hocque intestinum materiâ chylosâ semper plenum inveniri dicit: Pariter Excellentiss. Glisson. lib. de ventric. & intestin. cap. 10. paragr. 10. inquit: *In homine vix lumbrici masculi crassitiem, mediamvé longitudinem cœcum superat: in brutis verò nonnullis, ipsius coli crassitudinem vincit, hujus diversitatis ratio aliqua heic expectabitur: Dicendum itaq; est in homine, fortasse ob diætam quâ utitur, delicatam & multum nutrientem, cujus sufficiens quantitas in minore cavitate continetur, non opus esse ampliore cœco: Verùm in equis, porcellis Indicis & similibus animalibus, quorum diæta ignobilior est, & cujus magna quantitas ad portionem succi nutritii sufficientem suppeditandam requiritur, necesse fuisse, ut majora asservacula comparentur: Oportuit itaque vel unicus ventriculus sit, satis amplus, vel idem multiplicetur, vel alia cavitas quasi ventriculi vicaria, sufficiatur, qualis cœcum: In homine unus ventriculus sufficit, in ruminantibus quadruplex requiritur, in non ruminantibus præsertim vilioris diætæ, præter ventriculum opus est largo insuper cœco: In equis ergò, cuniculis & Porcellis Indicis, cœcum duplex & peramplum utrumque deprehenditur: Ratio cur in iis secundum hoc receptaculum, tantâ distantiâ à ventriculo sejungatur, cùm in ovibus μεγάλη κοιλία, omaso atq; abomaso immediata sit, videtur, quod hæc animalia non ruminent, cibumq; vix satis commansum, ventriculo damnent: ut ergò hoc alimentum elaboretur, opus erat ut per longas ambages, & tractus intestinorum remoretur, priusquam ad vicarium ventriculum, cœcum duplex appellat: Verisimile itaq; est, in his animalibus è ventriculo & intestinis*

tenuibus, aquoſum crudumq; chylum, è cæcis pinguem & ſuccolentum elici &c. hæc ille, quibus addit pag. ſeq. obſervationem peculiarem de equis avenâ, pane fabaceo & ſimilibus diu veſcentibus, quorum abdomina temporis tractu multò contractiora fiant, quàm ſi paſcerentur fœno, gramine & ſimilibus, concluditque in brutis, quorum cibus herbaceus eſt, & corruptioni minus obnoxius, receptaculum ſatis amplum, tantâ diſtantiâ à ventriculo diſſitum, non incongruè naturam indulſiſſe: Quæ quidem ſingula eleganter ſatis dicta ſunt, aſt non prorſus ad veritatis normam; Etenim *prima* cui innititur hypotheſis, ficulnea eſt, cœcum ceu vicarium ventriculo ſuffici, ac ſi ventriculus & inteſtina tenuia, ad ingeſtorum digeſtionem abſolvendam ſat virium non habuiſſent, quin inſtructo longo itinere, natura provida cœco has partes demandârit inſuper, cùm tamen nobis in iſtorum ventriculis materia chyloſa viſa fuerit, ceu in prodr. phyſiolog. monuimus: tacemus quod alia ingeſtorum facies ſit in tenuibus, fermentationis actui maximopere implicatis, alia eorundem in cœco exiſtentium, falſumque arbitramur maximè, quod Waldungus de materia chyloſa in inteſtino hoc ſemper reperiri ſolita, imprudenter aſſeruit: fortè glandularum mucus, quem ſtillant, ipſi impoſuit: *ſecunda* à ventriculorum vel multitudine vel amplitudine neceſſariâ petita, æquè fallit, ſiquidem quadruplici ventriculo inſtructus cervus, cœco nihilominus gaudeat ampliſſimo: pariter etiam ovis, aliaque hujus generis: *tertia* vaſorum lacteorum ex cœco prodeuntium numerum aliquem aſſerit, quæ tamen accuratiſſimi Anatomici hactenus non viderunt, necdum ſcimus quî illa ſalva fieri poſſint, cùm verè fœculenta ſint, quamvis paulò liquidiora, quæ in ruminantibus iſto in inteſtino reperiuntur, ut ſilentio prætereamus ἄτοπον aliud, chylum pinguem & ſuccolentum ex eo potius elici, quàm tenuibus, quod quî conveniat cum ratione quam ſubnectit, equidem non videmus: *Ratio*, inquit, *hinc tradi poteſt, cur animalia ruminantia, lac craſſius pinguiusq; fundant, quàm non ruminantia, carnesq; dulciores obtineant, magisq; nutrientes, quòd nulla pars chyli ab eorum inteſtinis extrahatur cruda & aquoſa, utpote quatuor ventriculis, in quibus cibus perfectè digeratur, præditorum*; Ut enim linquamus ultimum iſthoc præſuppoſitum, ſiquidem cœcum duplex & ampliſſimum ventriculo ideò potiſſimum ſufficitur, ut chylus ſuccolentus inde eliciatur, cuniculi, porcelli Indici &c. quorum cœca ventriculorum numerum ſupplent, lac æquè craſſum ac pingue fundent, certo reſpectu, atque ruminantia Gliſſonii: *Quarta* denique & ultima, cui priores quadantenus ſuperſtruuntur, ruminationis defectui innititur, qui in equo certus, in leporibus verò, cuniculis & porcellis Indicis incertus, imò falſus eſt; oſtendimus enim cùm in Exercitat. noſtris, tum alibi, eam eſſe ventriculorum ſtructuram & œſophagi, contentorumque faciem &c.

quæ

quæ ruminationem aliquam arguant, docetque hoc ipsum erudité in sua merycolog. Nobilis. Peyerus: nec si à ruminatione abstinerent, vicario hoc opus fore, Glissonius firmiter probat; sunt quoniam ex non ruminantibus plura, quæ habitâ ad corpus proportione, nec ventriculo, nec cœco ampliore instruuntur: de ignobili autem diætâ quod addit, talis illa non videtur, è qua succus nutritius, nobilis omninò ac laudabilis non sufficienter suppeditetur, cûm ferè eâdem vaccæ, oves & capræ fruantur, ventriculorum quadrigeminâ serie aliis de causis donatæ, de quibus supra laudati Viri meletemata videantur: posse tamen ad nobilioris creaturæ victum, ignobilem dici bestiarum victum, pertinaciter non inficiabimur, dummodo fallaces inde hypotheses non eruantur: fortè etiam succulenta hæc herbacea in equis majorem ζέσιν & fermentationem producunt, fœnum præcipuè, quàm avena & panis fabaceus, à quorum commansione abdomina contractiora acquisiverunt: nec tamen hinc sequela infallibilis: Ergò in cœco equorum, ingesta herbacea ulterius elaborantur, vel cœcum ventriculo in subsidium venit, herbaceis referto potius quàm avenaceis; si enim avenæ & pani fabaceo probè digerendis, (uti quidem nostra fert hypothesis) ventriculus cum intestinis tenuibus sufficit, cur non fœno etiam & gramini? de duplici cœco quod in hisce animalibus idem Vir Clarissim. prætendit, idem ipsocum pronuntiare nondum audemus, cùm nobis nec in leporibus nec in cuniculis tale animadversum fuerit unquam, licet ejus amplitudinem & cellulatam faciem, qualem in cervo aliisque non obtinet, sæpius mirati fuerimus: Vacillante proin hac de intestini cœci usu, in dictis animantibus sententiâ, ad aliam recurrendum erit, quæ menti avidæ magis satisfaciat, atque hanc adeò facilè invenire non est: Ni colon in ruminantibus, equis aliisque pariter cellulatum esset, dici fortè posset, fæcibus tantisper retinendis illud destinatum esse, in canibus verò cœci exilitas & angustia, istique contraria coli facies, nodum rursus obtrudit; dicimus ergò sed per probabilem conjecturam, siquidem, quæ ex animalibus herbis fruuntur maximè, cœca habeant ampliora, illud inde sortiri emolumentum, ut cùm herbacea, crudi phlegmatis pariter feracia, nec ad consistentiam solidam æquè redigi apta, copiosè ingerant, exantlatâ in intestinis pugnâ, & à massa chylosa sequestratione, fæcis fluidæ portio, eaque non pauca, intra cœci cellulas propulsa recipiatur, fibrarum circularium ministerio, paulatim in colon deinceps ableganda, in quo portio alia, tenuium finibus vicissim elapsa, fœcum consistentiam tractum intestinorum peragrando, majorem interim acquirit: In equis avenaceum pabulum hanc consistentiam adjuvat, (in porcellis verò, cuniculis aliisvé intestinorum una structura:) si quidquid ex tenuibus venit, in cœcum reciperetur

prius, quàm colo inferatur, usus ejus nobilis magis patesceret, licerétque concludere, fortè per venarum oscula, aliquid succi alibilis permisti resorberi: reluctante verò experientiâ, & stante glandularum cœci & coli homogeneitate & usu, aliud emolumentum, præter modò memoratum, ab ipso postulare nondum possumus, nî huic idem vicissim tribuere velimus: hanc nostram conjecturam ipsa Clariss. Glissonii observatio confirmare videtur de equis, quibus pane fabaceo vel avenâ merâ vescentibus, abdomen contractius evasit, utpote quæ excrementa & pauciora & sicciora post se relinquunt: inprimis autem suspicionem augeret, sententiamque verisimilem magis redderet, si injecto cultro cœcum in se rediisse deprehendisset, ejus amplitudine imminutâ, cujusmodi quid in infantulis accidere inquit, de quibus in subseqq. Sufficiat interea hæc dixisse tantisper, dum majorem certitudinem experientia nos edoceat: De sacculo glanduloso quid judicii ferre ausimus, hæremus adhuc: Magma sanè ejusmodi singulari naturæ providentiâ secernitur, cellulis glanduloſis hunc ob finem studiosè exstructis: num ad Asellii pancreas pertineat, vel ex massa sanguinea certarum particularum in ejus glandulis fiat secretio, uti quidem contenta docuerunt, heic firmiter decidere non licet, donec iteratò in cervis aliis ista experiamur: scrutati interim sumus sedulò in Virorum Clarissimor. Elaphographiis, an aliqua de his animadvertissent vel peculiariter notâssent? verùm altum apud illos silentium: satisfecit præ aliis Celeberr. Wepferus, quem in Principum aulis versantem, horas otiosas, ejusmodi curiosis sectionibus & speculationibus gloriosè terere novimus: Ille quum præterito Ann. 1683. de sacculo dictô literis à nobis consuleretur, d. 14. Febr° seq. respondit: *Præterito Autumno similes cum folliculo tumores in Cervo Doneschingæ observavi, ingentis molis plenos liquore albumini simili, item pultaceâ materiâ, alicubi fluidiore, alicubi crassiore & compactiore subdulci: sunt pn. reperiuntur enim rarius, & quamvis plures cervos jam lustrârim, nonnisi illâ vice illos conspexi:* Forsan exhinc ad coaguli cujusdam lactei præsentiam, sensim succrescentis aliqui argumentabuntur: nostrum albicans non fuit sed rutilum & quod asservatum paulatim induruit, uti quidem ejus pars aliqua, quam nobis servavimus, etiamnum testatur: sique sacculus hic membraneus pancreatis Aselliani expansio fuit, ob humorem secretione glandularum succrescentem, ejus primitiæ à transeuntibus liquoribus forsan erunt deducendæ: in quę autem diligenter inquirendi, aliis quoque occasionem relinquimus. De vesicularum seminalium structurâ & usu in prodr. quædam proposuimus, addituri plura in schol. ad hist. de cerebri meningib. adnatis: pariter etiam de renibus in historiis infantulorum convulsionibus peremptorum, plura differere dabitur.

OBSERV.

Observ. XIII.

Hinnuli interanea.

Menſ. Octobr. Ann. 1684. præſentib. Vir. Clariſſ. D. Schorkopf D. Hanhardo, Med. Doct. D. Kartſchero & D. Aſtorino Ital. Med. Licent. hinnuli ſubitò corruentis, interiora luſtravimus: Epiploon hujus plurimis hydatidibus ſcatuit, majuſculis & minuſculis, præprimis circa ſui cum ventriculis connexionem: harum aliquæ liberæ inter ejus duplicaturam detinebantur & diſruptæ liquorem fuderunt, qui vaſe exceptus ſuper carbonibus, non ſpiſſeſcebat: Κοιλία μεγάλη ingeſtis plena fuit, ἦνυστρον autem parvulum, in ſe quaſi redierat: Hepar elegans, ductu oblongo, amploque, ceu inferius dicetur, inſtruebatur: In cordis auriculâ & ventriculo dextris, ſubſtantia adipoſa, tenaciter impacta delituit, pauco contento intus ſanguine: conus ejusdem denſus atque renitens, columnæ carneæ robuſtiſsimæ &c.

SCHOLIUM.

Ex appendic. Merycolog. Nobiliß. Pejeri.

Rari ſunt Authores, qui de Ruminatione accuratius ſcripſerint: Nos quidem ita judicavimus hactenus, eſſe illam opus divinæ induſtrię, & inde potiſſimum deducendam, unde vitæ ſuæ ſuſtentationem, imò vitam animantia habent ſingula. Motus autem eſt, eâ providentiâ à Deo naturæ authore ipſis inditus, ut ſine eo nulli utcunque actioni alii vacare poſſint; iſto enim ſuccum nutritium vel primo momento corculum deliteſcens in ovulo accipit: eodem ſpiritum vitalem toti impertit, quin imò & animalem, pro partium motu ſenſuque ciendis, potiſſimum in iis quæ mente gaudent. Iſto inſuper internæ actiones principes, chyli ſanguinisque generatio unicè abſolvuntur, ſecus quàm putant aliqui, caloris naturam ac eſſentiam minus probè intelligentes: Atque ultimarum harum actionum ratione, bruta pariter cum homine ambulare arbitramur; ſunt enim illæ neceſſariæ, ut veteri termino utamur, nec in noſtra poſitę voluntate ex ipſiſſima Ariſtotelis hypotheſi. Agit nempe in alimentum aſſumptum fermentum ventriculi ſpirituoſum, agunt in chylum adventantem univerſæ maſſæ particulæ, in ſolenni motu poſitæ, nec liberum nobis eſt iſta impedire. Voluit autem ſagaciſſimus Naturæ dictator, ut aliqua ex animantibus, non modò pro ſui con-

sui conservatione, sed pro aliorum etiam aptâ sustentatione, motu isthoc agerent, carnemque gratam & sapidam, si aliud non, homini creaturæ nobilissimæ si velit suppeditarent. Atque iste perinde simplex esse non videtur, ac in aliis intestinâ assumptorum agitatione contentis; sed talis præterea accedit, quo ingestorum particulæ minus sufficienter comminutæ in os remittuntur, ulteriorem manum, ut macerationi aptæ evadant, experturæ. Indeq; ruminatio decantata in cornigeris aliisque animantibus proficiscitur: actionem hanc motu perfici, fibris ventriculi certo modo dispositis, spiritusque animalis eas irrorantis ope agentibus, nemo sanæ mentis inficiabitur. Quibus utique lebetis artificiosa structura accedit. Fibrarum harum compagem tu accuratius evolvis: In homine sanè ejusmodi regurgitatio, fibrarum circularium ministerio succedere videtur, eò fortiùs agentium, quo istiusmodi accidens naturam magis pervertit. In cornigeris verò aliisvé, eam nobis ipsarum structuram imaginamur, spiritusque accedentis copiam, quibus ingestorum partem aliquam instituto iteratoque motu blandè in os refundant. Neque enim quidquid ingestum fuit, pabulum omne regurgitare existimamus; siquidem partes aliquæ ore satis comminui, indeque accedente fermento in primo ventriculo ita macerari ac subigi possint, ut iteratâ comminutione opus fortè non habeant: neque etiam eam pabuli multitudinem requiri credimus pro ruminationis actu ciendo, quâ ventriculus quâquaversum impleatur, cùm in mediocri etiam quantitate, ea possit esse particularum crudarum, crassarumque copia, quæ ruminationem necessariam postulet. Taceo quod ista fermenti actio & digestio plurimum promoveatur novâ subinde accedente salivâ. Videtur etiam cum gramine herbisque vescantur ruminantia, quarum fibrillæ primâ masticatione penitus nec solvuntur nec subiguntur, externum aliquod ruminationis calcar inde peti posse. Eluceſcit interim ex his motum hunc necessarium esse, singularique naturæ instituto animantibus illis, (si ita loqui fas sit) imperatum pro sui conservatione aliisvé usibus, quibus Deus sapientissimus illa destinavit. Potuisset forsan creator etiam citra ruminationem fine suo in cornigeris potiri, si non ex operum varietate admirandâ, & stupendâ organorum serie omnipotentiæ suæ indicia nobis suggerere maluisset. Laudem sanè ineffabilem meretur divina providentia, quâ pro succi nutritii nobilioris commodâ confectione, motum etiam hunc determinare voluit in complurimis animantibus, ita quidem ut promptissimè & studiosè machina illi obsecundet. Quis autem quæso vel lætari bruta vel malè affici ex isto dixerit? Hoc certè posterius esset divinam bonitatem illicitè impetere, illud verò non parum detraheret Deo ipsi, qui homini soli hanc prærogativam concessit, ut de fruitione bonorum

cogitans

cogitans lætetur, vel eâdem fruſtratus triſtetur. Sat ædepol dignitatis bruta habent ruminantia, quòd nobili huic operi Deus ipſa deſtinarit, huncq; ob finem organis mirè fabrefactis, motuq; (quem plurimi nec intellexerunt hactenus, nec etiamnum capiunt) donârit, quo humano ingenio miraculo pariter eſſent ac inveſtigationi. Excellentiſſimus Gliſſonius gravem ſanè hoc in negotio errorem erravit, ceu ſuperiùs de inteſtin. cæci uſu monuimus: Dolemus interea valdopere ejusmodi errores in Philoſophiam denuò irrepere, ob effictas, quibus multi malè nituntur, & ruinoſas hypotheſes. Nonne ſatiùs Anatomen, & quæ per hanc minutiſſima nos docet, naturam ſequi, quàm Ariſtotelis aliorumvé opiniones deperire fallaces? Motus certè naturam & originem, machinæque ad iſtum ſtructuram accommodatam, ſi meliùs perſpicerent, vix ad cogitationem vel phantaſiam lætantem impetuosè currerent. Perperàm quidem Ariſtoteles dixit, τὰ μηρυκάζοντα χαίρει μηρυκάζοντα, nec, ſi figuratè, accuratè ſatis locutus eſt. Sed pejùs adhuc Gliſſonius par. 13. cap. 2. tract. de ventr. & inteſt. *Collectâ*, inquit, *bonâ cibi portione, & aliquandiu in μεγάλης κοιλίας penu coacervata, lætatur phantaſia, & de fruitione bonorum partorum cogitare incipit. Hinc paulò fortiùs ſolito tenſis muſculis abdominis, & unà diaphragmate, magno ventri dat anſam ſe quoq; conformiter comprimendi, adeoq; motus periſtalticus ab infra ſurſum excitatur, qui aſcendens in reticulum, & inde in gulam, cibum in os refundit.* Bone Deus, quid hominis erimus ampliùs, ſi ruminantia nobiſcum cogitent, actumque edant ſoli ſubſtantiæ immateriali convenientem: Craſsè auſim dicere cogitant, quotquot ejusmodi cogitationem excuſant. Quid diſcriminis eſt intet nos & bruta, ſi eam habent boni parti cognitionem, quâ ſciant, quid comederint, quem inde ſint habitura fructum, quâ verè exultent, inque motus geminatos inſurgant. Nunquid dici poteſt inconvenientius? ſed alia ſunt porrò, quæ in hac ſententia deſiderari poſſunt. Muſculorum abdominis motum ruminationem æquè ac chylificationem juvare poſſe, inprimis ubi κοιλία μεγάλη pabulo plena, & ſecundùm ſui parietes ſatis extenſa fuerit, non inficiamur, juvat & diaphragma chyli motum pabulique aſcenſum, id quod nonnemini abſurdum videbitur, muſculi ejus inferioris fibras, inter quarum amplexus œſophagus pergit, penſitanti, è quarum actione utique orificium ſuperius magis ſtringitur: ſed pariter, ut in chyli motu illæ guttulæ, quæ, ut ductum noviter ingrediantur, in procinctu ſunt, diaphragmatis expanſione propelluntur, reliquis in receptaculo contentis, eâdem actione viâ tantiſper præclusâ ſubſiſtentibus: ita quoq; ingeſti portio cominutionis indiga, ac egeſtioni fibrarum motu proxima, per orificium propellitur in os, fibris ſpiralibus œſophagi uno ictu in eandem actionem conſpirantibus, & diaphragmate tum illius aſcenſionem juvante, tum novi regurgitationem paulùm cohibente: Utrum

autem ſupradictarum partium actio eo commodùm explicetur modo, quo Gliſſonius contendit, equidem dubitamus, nî ſimiæ adinſtar ventriculos (quos ille allegat) muſculos pariter imitari velimus: accedit huc quòd in mente præditis à voluntatis imperio horum motus tantiſper pendeat, illorum non item, ſicubi pluribus homo inſtructus eſſet, maleque iterum phantaſiæ dictamini heic innititur. Valdè quoque incongruum nobis videtur, quod de motu in ventriculum aſcendente propalat, quodque in ſuperioribus apertiùs adhuc aſſerit, paragr. 11. ubi ita: *Finitâ autem cibi collectione animal ad ruminandum ſe convertit, h. e. magnus venter gramen probè maceratum & ad teneritudinem coctum in reticulum & reticulus in os refundit: in ore comminuitur, iterumq; in reticulum ſine delectu deſcendit*: Nos verò cùm ex reticuli ſtructura & contentis, de quibus Exercit. XVII. quædam meminimus, tum ex ipſismet Gliſſonii verbis contrarium contingere arbitramur; Etenim gramen taliter ad teneritudinem coctum & maceratum, ruminationem vel expertum fuit jam, vel macerari hujus iteratione opus ampliùs non habet, minimeque veriſimile nobis fit, ex reticulo ingeſta aſcendere potiùs, quàm κοιλίᾳ μεγάλῃ, reluctantibus ejus ſtructurâ, hujusque contentis, quæ cruda craſſaque adhuc ſunt, ſi cum iis comparentur, quæ in echino conſpiciuntur, ruminatione hinc quàm maximè indiga: confirmat iſta ventriculus magnus hinnuli, ingeſtis ſatur, reticulo prorſus vacuo & p. n. coanguſtato; nec tamen à ruminatione abſtinuiſſe, unquam attendentibus animadverſus fuit, quin potiùs denegato in illud macerato tranſitu, damna non exigua profilire potuerunt. Laudanda interim eſt provida natura, quæ ſacco longè ampliſſimo cornigeris proſpexit, in quo ingeſta obiter comminuta & ad aliquam teneritudinem redacta reconderentur, deinceps tum motu fibrarum periſtaltico versùs gulam & os pellenda, ulterioris comminutionis ergò, cùm interno fermenti maceranda, ita quidem ut propulſo eo quod indigeſtum eſt, tenerius & ſubactum per foramen patens reticulo transmittatur, ulteriùs fermentandum, hincque reliquis ventriculis: Nobis ſanè obiter iſta ruminantibus commodum fuit viſum hæc adjicere, ut videres, quanti ponderis apud nos tua ſint monita: Breviter jam aliquid ad Gliſſonii rationes & fundamenta dicamus, quibus phanthaſiam brutorum μηρυκαζόντων evincere ſatagit: i. inde petita eſt, quòd animalia, quandiu laboribus duris aut curis diſtringuntur, à ruminatione abſtineant, ſimul ac verò placidam quietem ac ſpem ſecuritatis nanciſcuntur, ad ruminandum ſe denuò convertant. Sed bruta non ſemper à ruminatione abſtinent, poſt paſtum ſub jugum miſſa. Deinde ſpirituum magis à motu periſtaltico ciendo ceſſationem aliquam naturalem, quòd aliorſum impenduntur, quàm cogitationem aut phantaſiæ nutum vel imperium implicant, id quod in homine à paſtu ſtudiis vel exercitio

exercitio vehementiori vacante viciſſim accidere conſtat. Et hæc ratio eſt haud dubiè, quare non ſtatim à pabulo aſſumpto ordinario labori bruta admoventur, atque etiam admota ante finitam macerationem primam, deinceps ſi quid in ventre hæſit indigeſtum, ruminant quieti reddita. 2da nititur motu ipſo, qui nunquam immoderatus eſſe ſurſum cernitur, ſed pro arbitrio animalis conſtanter regitur. videſis par. 13. ſub finem. Ἀφιλοσόφως hæc rurſum dicta ſunt, ſi ſententiam liberè exponere debeamus: quid enim indigniùs quàm à motûs determinatione, quam ceu ſanctam legem Deus naturæ animantium inſevit, & à qua ſingulæ penè brutorum actiones derivandæ ſunt, in brutis ad arbitrium argumentari, ac ſi à phantaſia ipſorum unicè dependeat ruminare vel non ruminare, aut æqualiter ruminare, Sunt fatemur, quæ ſpirituum hanc per fibras in ventre actionem imminuere, impedire vel ſuſpendere poſſunt, quieſcentibus tum ipſis ex naturæ lege & totius corporis emolumento, quibus dehinc remotis ad operam ordinariam, ſicubi neceſſum fuerit, ejusdem inſtituto redeunt, ab animâ ſentiente vel phantaſiâ nec retracti priùs nec deinceps juſſi. Id quod facilè alii nobiſcum intelligent, ſi ſepoſitis erroneis hypotheſibus, naturæ actiones ſtudioſiùs rimari voluerint. De corpore adipoſo in corde & hydatidibus in epiploo inferius, dabitur loquendi occaſio.

Observ. XIV.

De Rupicaprarum interaneis & ægagropilis.

Ad

Splendidiſſ. S. R. I. Acad. Nat. Cur.

HELIANTHUM.

Abdomen reſeratum epiploo ſuperbiit pingui admodum, cujus ductus adipoſi, luci cùm obverteretur, egregiè conſpiciebantur: hoc remoto in hypochondrio dextro emicuit hepar, rubore ſuavi loborum ſuorum viſum reficiens, in cujus cavo veſicula fellis delituit, ſuis ductibus versùs inteſtinum duodenum vergens, hinc tertius & quartus ventriculus prominebant, quorum ille, prout in hircorum noſtratium anatome olim animadvertimus, folia ſeu cellulas habebat ſerratas, hærentibus inter interſtitia alimenti reliquiis penitus exuccis: hic verò membranis foliaceis undique ambiebatur, conſpicuis inter interſtitia hinc inde plexibus glanduloſis: Ille inſuper pilas exhibuit duas, mi-

nores, nec dum cortice obductas, virides, fragmenta stirpium comestarum referentes, odoris summè fermentacei: de quibus aliquid adhuc infrà: Sub finem hujus & initium duodeni valvula appositа fuit insignis, regurgitationem ex intestinis versùs superiora impediens: Ventriculus primus, & secundus ingestis pariter turserunt; formati ceterùm ut hircini, de quibus Exercit. 17. ad Pythagor. Oesophagus pariter oblongus fuit, & angustus, fibrosus tamen & glanduloſus: Intestinorum tenuium tractus multiplex fuit, isque tortuosus, quæ cum crassis undique connectebat mesenterium, glandulis scatens maximè circa medietatem sui subfuscis molleculis: post colon appendicem notavimus, oblongam, in qua glandulæ solitariæ Pejeri hinc inde protuberabant.

In siniſtro hypochondrio, ventriculum secundum amplexabatur lien, orbicularis omninò figuræ: Renes bini, (quibus superius appensi erant succenturiati subpingues intus & cavi) cum suis ureteribus ad vesicam pergentes, pone cujus collum vesiculæ seminales propendebant, aliquot ℥ à prostatis duriusculis, & in juvenculo hoc capro parvulis adhuc distantes, ductibusque propriis in urethram tendentes, quos etiam in tauro ibidem loci ostendimus: Reliqua quæ de Prostatis & utero hujus animantis animadvertimus, inserta sunt Exercit. IV. & XII. ad Pythagoram.

Medius venter cor ostendit majusculum, pericardio obvallatum, cum suis vasis, & pulmones, quorum vesiculæ cum sanguine ferè exhaustæ fuerint, eleganter admodum videri poterant: de horum structura, aliarumvé partium prolixiores esse nolumus, cùm Exercitatiss. Malpighius & alii nobiscum, illam eruditè enuclearint: Illud dixisse sufficiat, ex ventriculorum pluralitate, quibus quadrupes istud gaudet, pateſcere, ruminantium perfectorum numero illud utique accensendum esse.

SCHOLIUM.

De Rupicapris, Animali sylvestri, plures scripserunt Medici & Historici, nullus tamen, quantum quidem nobis scire datum est, earum interanea plenè expoſuit, quin aliqui circa vocis Etymologiam, variasque hujus species enodandas maximam partem sunt occupati, omissis

iis,

iis, quæ rei Medicæ addictis & curiosis omnibus lucem afferre, famemque sæpiùs auctam satiare possent: Sunt tamen, qui cùm Veterum monumentis, tùm propriâ diligentiâ adjuti, ac investigandi industria incitati, in cornigeri hujus naturam, mores, domicilium, cibum, usumq; varium, quem corpori nostro præstare compertum est, studiosè inquisiverunt; uti ex Gesnero & Aldrovando l. 1. de quadrupedibus prolixiùs haurire licet. Ex recentioribus Beatus Velschius, Academiæ nostræ Nestor, Vir Celeberrimus, suis de Ægagropilis, quarum occasione de Rupicapris eruditè etiam quædam inseruit, dissertationibus, æternam sibi famam comparavit, adeò ut labor frustraneus videri possit, post Homerum hunc Iliada velle scribere: Ast quia ipsa veritas aliorum etiam fide ac autopsiâ confirmari desiderat, quò triumphi nobilioris omnes habere possit Spectatores & Fautores, malè nos non acturos speravimus, si ea, quæ cum Velschianis experimentis longè accuratissimis consentanea, tum ab aliis hactenus, vel non animadversa, vel saltem publico non prodita deprehendimus, heic in chartam conjiceremus, imprimis, quòd Amicorum exhortationibus dubiisque quantum quidem pro tenuitate nostra licet, satisfacere æquum est. Et quidem animus heic non est Caprarum sylvestrium plurimas similitudines enodare, aut rupicaprarum synonymias, vel differentes Authorum sententias excutere, quæ singula pro summâ quâ emicuit ingenii acie in suprà cit. opusc. feliciter ille peregit: Sufficit heic monuisse Rupicapræ vocem in sensu paulò strictiore nos sumere, quàm Scaligerum feciſſe videmus Exercit. 207. qui Ibicem & Capream illius species facit, à Plinio inter caprarum genera, cum illâ recensita, ut & Oryge, Damâ, Pygargis &c. quod ipsum Gesnero ansam dediſſe arbitramur c.l. eleganter multorum πολυονυμίαν culpandi: Si accuratiores, inquit, singulorum descriptiones haberemus, minus molestum esset singulis convenientia nomina indere: Hâc autem deficiente multa ex his nominibus non intelliguntur aut confunduntur, vel aliena interpretatione obscurantur: Nobis Rupicapra Αἰγαγρὸς est Oppiani, qui lib. 2. Κυνηγετ. p.16. edit. Paris. ita:

Αἰγῶν δ' αὖτε πέλᾳ πεδβάτων τε πανάγελα φῦλα
Οὐ πολὺ τύτων ὄϊων, λασίων τε χιμαίρων.
Μείζονες, ἀλλὰ θέᾳν κερσιπνοὶ, θεναροί τε μάχεσθε
Στρεπτοῖσιν κεφαλῇσι κορυσσόμενοι κεράεσσι.
Est agreste genus caprarum oviumq; ferarum,
Non multò nostris ovibus capriq; petulcis
Aspectu referens majorem corpore formam
Sed multò levius celeres rapiuntur in auras,
Pugnaciq; armatæ reflexis cornibus acres
Miscent terribiles,

Ubi non opus esse autumamus diu dubitare, num reapse rupicapras intellectas velit: an Strepsicerotem, siquidem de cornibus reflexis sermo ei sit, quæ isti non competunt, & postquam in antecedentibus de eurycerote, damâ, bubalo, dorcade multum disseruisset, pòst de ægagro dicere incipiat, seu rupicaprâ nostrâ, majorisque declarationis ergò statim subnectat

Αἰγάγροις δέπας ἐστὶ δι' αὐτῶν αὐλὸς ὀδόντων
Λεπταλέης πνοιῆς κεράων μέσον, ἔνθεν ἔπειτα
Αὐτὸν εἰς καρδίην ἢ πυκάμονας ἔνδυς ἱκάνει.
Est autem capris agrestibus ore foramen
Angustum, medios per dentes cornua versùs,
Pervadens flexis anfractibus intima cordis.

Quæ qui in rupicapras quadrent mox explicare conabimur: Sitne autem hæc Æliani κεμὰς quam lib. 14. c. 14. λεγομὲν ἀκίδων ἀνέμης δίκην, ἰδεῖν ἢ ἄγαν πυρρόθριχα ἢ λασιωτάτην, instar turbinis cursus esse citissimi, quoad speciem verò pilis rufis, & perquam hirsutam ait, equidem ignoramus: Utrique saltem magna est pilorum affinitas, quæ fortè etiam Celeberrimum Bochartum movit, ut κεμάδα pro Rupicapra sumeret in Hierozoico p. n. 912. l. III.

Sed propiùs ad externam hujus animalis faciem delineandam accedamus. Rupicapras tres cultro subjecimus, mares duos & femellam unam, quarum hæc cum Mare ansam dederunt in thermis Leucensibus, partes genitales præcipuè examinandi, utpote cæteris visceribus jam destitutæ: mas verò alter nupero demum Julio in thermis Favarien-sibus, ubi Venerandi Domini Parentis curæ itidem vacavimus curiositatem nostram magis explevit, utpote quem nondum exenteratum per venatorem Reverendiss. Abbatis Favar. sex à thermis leucis, apportari curavimus, cùm olim Nobiliss. Pythagoras noster de ventriculorum pluralitate quædam edoceri cupierit, nosque quoad ægagropilas, de quibus antè sermonem nonnullum cum Excell. Celso habuimus, plura scire desideraverimus. Capræ hæ agrestes singulæ magnitudine & figurâ villaticas nostras optimè referunt, cornibus instructæ nigricantibus aduncis, & sub finem sui non parum incurvatis, ab exortu horum ad usque medietatem evidentes sunt plurimi nodosi circuli, quibus exasperantur; quos excipiunt minores aliquot, minùs conspicui, in unco nullis planè existentibus: Ceterùm duplicem substantiam reapse videndam exhibent, unam exteriorem corticalem, ligneam quasi, quæ se rursum dividit in corticem exteriorem & interiorem, quorum uterque nigricat; alteram interiorem osseam, albicantem, cranii substantiæ congenerem, quæ solida admodum est & compacta, neutiquam pervia, minus cava: Color his fuit inter fuscum & rufum, albas tamen nigrasque distinctis

ſtinctis coloribus dari Albertus affirmat, cujus autopſiæ nihil detrahemus, cùm Philoſophus libr. de color, καὶ λευκὸς ἐλάφου πέφυκε καὶ ἔλαφος καὶ ἄρκτος: Album quandoque viſum eſſe & cervum & urſum aſſerere auſit: aures oblongæ, pedesque ut in aliis animantibus biſulcis, cauda latiuſcula: ex quibus patet, cùm malè Rupicapris (voce preſsè ſumptâ) accenſeri capream unicornem cujus mentionem injecit præfatus Bochartus p.967. & Euſtath. Antiochenus, utpote quæ Orygem Plin. & Ariſtot. magis æmulatur, ita enim hic lib. 2. hiſt. Anim. Μονοκέρατα ἔστι μάνυχα, ὀλίγα ὅσον ὁ ἰνδικὸς μονόκερως· Μονόκερων ἔστι καὶ δίχηλον ὄρυξ. Cui non contrariatur Oppianus l. 2 Cyneget. p.18.

Ἐσὶ δέ τις ἀλεύμοῖσι παρέστιος ὀξύκερως θήρ
Ἀγελόθυμος ὄρυξ κρυερὸς θήρεσσι μάλιστα.

Eſt etiam fera, quæ ſylvas perluſtrat opacas, cornu acuto oryx, feris maximè horrendus: tum etiam errâſſe illos, qui cornibus ſpirare ægagros ſcripſerunt, è quorum cenſu Oppianum eſſe volunt ſupr. cit. libr. canentem:

Εἰ δέ τις αἰγάγρῳ κηρὸν κέρασιν ἐνείχευε
Ζωῆς ἐξέκλεισεν ὁδὸς, πνοιῆς τε ἀϊάυλος.

Quæ Bodinus ita reddit:

Quòd ſi quis fuſa ſenſim per cornua cera
Intercludat inane, citò reſtinxerit auras
Vitales, animamq; & reſpiracula cordis.

Nobis verò dubium utcunque videtur eſſe, per τὸ κηρὸν κέρασι ἐνείχευεν intelligendam eſſe ceræ in ipſa cornua injectionem, partim quòd in præcedentibus foraminis meminit κεράων μέσῳ, quod Nos inter cornua interpretamur, partim quòd juxta cornuum ſoliditatem, ultimum rupicapræ examen nos docuit, poſt cornua eſſe duo foraminula patentia, quibus aërem haurire venator, aliique confirmârunt: quod primo intuitu abſurdum videbatur, cùm ſub foramine ſtatim cranium delituerit, ductusque patentes alios invenire non licuerit: pòſt autem fidem aliquam ipſi adhibere fecit, & naturæ ſolertia, quæ animali iſti in ſummis alpibus degenti, viis hisce non fruſtrà proſpexit, & gratiſsimæ Pythagoræ noſtri, quem ſuper hâc re primùm conſuluimus, Amici verè fraterni, literæ: ita autem ille die 10. Auguſt. labentis anni 1682. Quæ de Rupicapris notas, omninò ſunt memoratu digniſsima, nec tamen nova: Nam & Oppianus pridem ita cecinit Cyneget. l. 2. 339.

Αἰγάγροις δέ τις ἐστὶ δ' ἀυτῶν ἀυλὸς ὀδόντων.

Quibus equidem non potuimus non acquieſcere, utpote exinde edocti Veteres plurimorum notitiâ non merè ſuperficiariâ imbutos fuiſſe: ſcrupulus tamen animo hæſit adhuc, quem ob finem ulteriori aëris com-

meatu

meatu animantia ista indigeant: unde die 25. Aug. seq. reposuimus. Locus quem ex Oppian. tuis inseruisti, evidenter & inventum nostrum confirmat, & cereas injectiones Veteribus notas fuisse commonstrat: Illud autem mirari subit etiamnum, quare natura alia foramina pro aëre transmittendo huic quadrupedi insuper parârit, iisdem aliàs quoad structuram partibus pneumonicis cum capris villaticis donato, num quòd locos excelsissimos scandunt & inhabitant, majori pabuli nitro-aërei copiâ indigere dicendum est? hæremus: cùm oves sylvestres, de quibus idem Oppianus, sedes easdem petant, & uti canit ipse celeres rapiantur in auras: ad quæ eruditè rursus die 29. ejusdem mensis respondit amicissimus vir; uti ex eruditis ejus meletematibus Ephemeridibus nostris itidem insertis videre licebit. His non ingratum fore auguramur, si quæ venerand. Carolus Sponius Medicus quondam Lugdunensis Celebratiss. ad nos Kal. Nov. St. N. dedit, adjecerimus: Quòd te, (inquit à Pythagora nostro monitum scribis de miro foraminum ponè ægagrocerata usu, juxta eximium Poëtam Oppianum: fortassis hoc ipso incitare ac allectare te voluit, ut rationem hujusce eventus singulari tuâ sagacitate investigares: Ego, ut quod sentio, super hoc negotio liberè dicam, nullus dubito, quin foramina ista hoc in animali, orificia sint in respirandi usum, à naturâ τῇ ἀκμονίῳ constructa, ut per hæc ipsa, perque meatum ab ea parte palatum usque fistulæ instar pertingentem, aër facilius, uberiusque tum attrahi, tum cum fuliginibus expelli possit, tanquam per idonea fumaria, in animali, pernicibus cursibus, saltibus & acclivium præruptorumque locorum scansionibus per totum ferè vitæ curriculum indulturo, præcipuè quum venatorum, (ut sæpè fit) incursibus premitur, ac infestatur. Et certò memini, naturæ Scribam Plinium c. 50. l. 8. nec non ipso vetustiorem Varronem c. 3. l. 2. R. R. ex Archelai auctoritate notâsse, Capras auribus spirare, non naribus, quemadmodum & ab Alcmæone proditum fuisse memorat Philosophus, c. 11. l. 1. de Histor. animalium: Quanquam naribus istiusmodi feras eodem tempore non respirare, absurdum putem: Utraque enim parte, καὶ διὰ τῶν ὤτων, καὶ διὰ τῶν μυκτήρων omnino respirant, teste Æliano περὶ ζώων ἰδιότ. l. 1. c. 53. modo aurium vocabulo foramina suprà laudata ponè cornua sita intelligántur, ut certè intelligi debent.

Adeò ut abunde isthinc constet pneumonica esse organa, de quibus veteres paulò obscuriùs, si non omnes, plerique saltem locuti fuerint: Rimari tamen oportebit ulterius distinctam foraminum horum terminationem, quoties ansam vel alii vel nos nacti fuerimus: Illud etiam de cornibus addendum, non inanem, uti quidem aliqui autumant, vel levem esse illorum usum; propterea enim quod ad multam defensionem adhiberi nequeunt, inutilia non sunt, quod Aristot. l. 3. hist.

hist. animal. cap. 2. de bubalis capreisque præcociter afferuisse videtur, cùm vel nostrates iis contraniti certum sit, utpote injuriam iis propellere assueræ, neque penitùs rejiciendum, quod Scaliger præfat. Exercit. habet: Capreæ (sic illas vocat) ibice longè minores sunt: mira earum comparata nobis prudentia, ubi errabundæ quærunt novas sedes aut pastum, perspectâ proximâ rupe, projecto pede sæpè periclitantur ejus fidem, nempe mobilis ne sit, an fortasse lubrica.

Ajunt cornuum mucronibus (quòd satis acuti sint) tergum scabere. Ex eâ scalpuritione, quæ perniciese venerit, opus est cognoscere: Creditum est, tantâ illas illo in pruritu perfundi voluptate, ut extremum cornu vestigium in corium eousque adigatur, unde retrahi nequeat, quod ultimum penès Authores relinquimus, de priori neutiquam dubitantes, quinimò extra omnem controversiæ aleam positum non videtur, quod Gesnerus negat contra Albertum & Isidorum, qui cornibus de rupe se quasi suspendere ajunt, cùm ad istud cornua apta habeant, unde & Martialis de caprea l. 13. epigr. 93.

Pendentem summâ capream de rupe videbis.
Casuram speres, decipit illa canes.

Ast satis de externa quadrupedis istius facie lallavimus, quàm succinctè describere tantisper necesse duximus, ne aliis imponere videremur, de ægagropilarum ex fragmentis comestorum compositione jam acturi, de quarum generatione sagaciissimè etiam Excellentiss. Velschius disseruit.

Antequam autem de ipsarum natalibus plura fari incipiamus, priùs substantiam formamque earum delineabimus, quas in ventriculo cellulato, torcularis vices sustinente reperisse superiùs meminimus: sunt autem quoad substantiam solidiusculæ, subrotundæ, colore virides, magnitudine globuli, ex innumeris fruticum, herbarumque subtilissimè tritarum fibrillis secum invicem arctissimè involutis compactæ: Fibræ istæ implicatæ prima pilæ stamina faciunt, primo generationis momento, sensimque adscitis aliis, quæ pariter implicantur, in corpus ovale, interdum oblongum ac quadratum diversæ magnitudinis exsurgunt, & cortice quodam, qui in hisce evidentior est, investiuntur: dicimus in *hisce* scil. pilis majoribus & magis absolutis: etenim non semper, aut saltem non æqualiter crescunt, nec cute perinde vestiuntur, sed ad sufficientem magnitudinem, quæ naturæ utcunque tolerabilis existit, semel evectæ, aliquo modo ab incremento sui ulteriore abstinere videntur, uti quidem in bulithis res evidentiùs ostendi potest, qui cortice nigricante undiquaque, secundum sui peripheriam obducuntur, relicto in parte superiore parvulo foramine, vel angulo, in quem quod pilorum accedet adhuc, recondi necesse habet, aut è ventriculo eliminari,

ne novo ovo materia ſuppeditetur: cujus veritatem haud parùm nos docuit bulithos inſignis in κοιλίᾳ μεγάλῃ vaccæ ante biennium repertus à lanio, nobisque hinc dono datus: & confirmavit ægagropilus oblongus cute nigricante penitùs obmunitus, quem ex Nobiliſſ. Aretæi noſtri liberalitate poſsidemus, neque forſan contraire poteſt pilarum diverſa magnitudo, ni dicere malimus uno quaſi ictu cute illas obtegi, quod autopſiæ non parùm adverſatur, imò & ſanæ rationi: porrò noſtræ circa baſin ſuam ovalem, quaſi agglutinabantur cellulæ alteri ventriculi, & in peripheriâ majorem fibrillarum coagmentatarum firmitatem oſtenderunt, reliquo ipſarum agmine, quod hisce parietibus ambiebatur, itidem artificiosè compacto, necdum abſoluto, (cujus etiam inæqualis in parte ſuperiore conſpicua cavitas, indicium eſſe poteſt) exiſtente, minusque renitente, quod ipſum ſucci corticem naturaliter conſtituentis, præſentiam aliquam nobis arguere veriſimile ſit; de herbis, è quibus iſta materia accedat, certi quid propalare non auſimus, licèt cum Excell. Velſchio perſuaſum habeamus, doronici ſolius ramenta illas non conficere; adjungamus aliquid de generationis modo, de multiplici illarum uſu viciſſim lectorem ad laudati Neſtoris meletemata remittentes. Ægagropilas per coagulationem potiſſimùm progigni ille ſtatuit pag. 22. dum ait: Quanquam verò Ægagropilas fibrarum & ſucci plantarum nondum perfectè reſoluti coagmenta veriùs ſtatuerimus, haud parùm tamen & aphronitri alpini & ſalis petroſi metallici ac arenarii linctum ad coagulationem acidi ſpirituoſi fermenti in ventriculo facere monebamus, quæ ſententia, ubi acidi ſpirituoſi exiſtentia (quam ab adverſariorum injuriis ſalvam facere ſtuduit) & perverſio vel defectus ejusdem ſubſtiterint, plauſibilis ſatis eſt: nobis verò qui fermentum ſpirituoſum ſubacidum in prodromo phyſiol. pro ciborum diſſolutione gnaviter ex aliorum noſtrâque hypotheſi tum adſtruximus, etiam citra hujus incommoda, ipſarum ortus, ſi non evidenter demonſtrari, ſaltèm adumbrari poſſe videtur: videlicet ſi dicamus, ægagropilas illis potiſſimum in ventriculis progenerari, in quibus vel fibrillæ non ſatis confringuntur, vel etiam fragmenta plantarum minutiſſima facilè hærent, & hinc temporis tractu magis magisque implicantur, ac fibrarum motricium ope, quæ in ruminantibus ſuas partes egregiè ſaltant, tandem in corpus rotundum nunc ovale magis nunc oblongum excreſcunt, quòd ſingulari naturæ providentia ipſius animantis bono ita compingitur, ne detrimentum gravius ventriculi parietes inde accipiant, & muco inſuper viſcido (cui partes ſalinas ineſſe non inficiabimur) oblinitur, corticem dehinc conſtituente: ſententiam iſtam veriſimilem ſi reddere nequeat, bulithi, ex pilis deglutitis, nec tamen ita facilè coagulabilibus, generatio, confirmabunt,

firmabunt, ut ſperamus, tum loculi ventriculorum, in quibus reperiri conſueverunt, 1. vid. & 2. & interdum tertii, idoneam ſtructuræ peculiaris ratione denticulatæ & ſerratæ ſedem ſubminiſtrantes, acidique fontes, hactenus ſaltèm minus decantati: tum quòd grana quæpiam ſalis ſplendentis aut coagulati, in omnibus non conſpiciuntur, ſique deprehendantur, magis de aphronitri ab acido, quàm fibrarum coagmentatarum coagulatione teſtentur, reapſe enim acidum ventriculi rupicapræ peccans (ex hypotheſi loquimur) cum aphronitro coagulatum, pilæ coagulum producere ampliùs non cenſendum, licèt particulæ quædam coagulatæ, iisdem coagmentati involucris impactæ quandoque inveniantur, ut taceamus, nondum extra controverſiæ aleam poſitum eſſe, non niſi in ſtatu morboſo illas ſcaturire, ventriculi fermento (quod hujusmodi aciditate imprægnatum, graviora adhuc produceret ſymptomata) à ſtatu naturali multùm recedente, ſiquidem vegetas & robuſtas, quibus ne gry quidem ex interaneorum ſaltem luſtratione deeſſe dici poſſet, pilas ejusmodi progenerâſſe conſtet: generatæ autem præternaturales fiunt, diſpoſitionemque morboſam, præſertim ubi majus incrementum ſumſerint, tandem inducere poſſunt, cui naturam cùm levitate, quâ corpus illud pollet, tum artificioſo illius compigmento & munimine, obviam ire tantiſper, nos ſanè arbitramur: Accedit huc, quòd ſuppoſitâ nudâ coagulatione, ægagropili mobiles forent (qui autem non ſunt) & generationis primordia adepti, eliminari à naturâ poſſent, ac deberent, nî inertiæ ipſam accuſare velimus, quæ corpuſculum fluctuans, animantis detrimento, non modò non ejiciat, ſed ulteriorem alimoniam ipſi inſuper ſuppeditet: eventu proin & autopſiâ contrarium teſtante, ſatiùs erit dicere, fibrillas iſtas ſolutas in unius alteriusve ventriculi loculo implicari, ac implicatas hærere & quaſi agglutinari: quam agglutinationem faciliorem & frequentiorem reddi aphronitri aut ſalis petroſi linſti copiâ, in aliis magis in aliis minus, ſi quis ſtatuere volet, per nos liberum eſto. Nobis iſta tantiſper delibâſſe ſufficiet, dum cum Deo & otio meliora ac evidentiora edoceamur. In quarto ventriculo ægagropilos conſpectos fuiſſe, æternâ laude digniſſimus Velſchius commemorat, ex aliorum magis fide, quàm propriâ autopſiâ, unde & infrequentes inibi pronuntiat: Nos aliorum teſtimonia irrita non facimus, quin potiùs decenter veneramur, avem tamen hanc raram illic loci videre geſtiremus, mirum enim utcunque, ubi plantarum prima reſolutio, ardua & laborioſa peragitur, fibrillas non hæſiſſe, ſed eò delatas eſſe, ubi ſucci expreſſi fortè ulterior fit agitatio & elaboratio, adque partes inteſtinales immediata transmiſſio: de fermento quoque ſpirituoſo ventriculi, quod nonnulli penitus exulare faciunt, quibus glandularum liquor ſpiritui

animali pro vehiculo tantùm est, quædam adjungere possemus, sed alibi actum istud, nec necessarium amphiboliis hisce diutiùs inhærere.

Observ. XVI.

Aquilæ Anatome.

Aquilam, quàm in tenerâ pullitie captam, per semestre ferè nostris in ædibus aluimus, ex dono Viri Graviss. D. Jo. Conradi Wieland, Præfecti Valdeburgensis, rerum naturalium studiosissimi, d. 11. Jan. An. 1683. cultro Anatomico subjecimus, ut avis hujus, nostris in terris rarioris, partes singulas exactiùs intueremur: Corpus universum pennis in capite fuscis, & ubi excandescebat, obrigentibus, in cauda albidis & circa extremitates nigricantibus maximis, in reliquo verò corpore varii coloris, nigris, albis, albissimis erat obmunitum: Rostrum incurvatum, aduncum, nigricans, nares patulæ, cortice flavo fuerunt intectæ: oculi maximi sub osseo tegmine recondebantur, aurium foramen ingens: *corpus ipsum pro machinæ structura exile*: artus *robusti* & pedes flavi, digitis quatuor nigris incurvatis muniti, inferiùs nodis duriusculis præditi, quibus ubi saxosa scandit, commodùm insistit: Abdomen reseratum *pinguedinem* copiosissimam, præ intestinis reliquis prominentem exhibuit: Sub clavi cutis protendebatur arteria aspera circulis integris cartilagineis, sed parte inferiore paulò depressioribus instructa: secundùm hujus latera utrinque perrexit, musculus gracilis, sterno-broncho-thyroideus: Os hyoides constituebant duæ osseæ propagines oblongæ, quibus insternebantur musculi ceratoidei & cerato-glossi: in medio harum videbatur alia brevior, cartilaginis scutiformis anteriorem partem obtegens, arytenoidis vices fortè sustinens, & à latere hujus musculi duo thyroidéi. Lingua digitos ferè transversos tres longa & unum lata, cum aliquali cavitate, musculis gaudebat gracilibus oblongis, à processu styloide exortis sibique inferiùs insertis, inde duobus aliis, ab hyoidis cornibus superioribus enatis & in linguæ basin tendentibus: rursum pari alio ab ipsa hyoidis basi prodeunte, tandem duobus gracilibus ipsi basi linguæ implantatis: Interiùs circa radicem sui, *denticulos* circiter 14. osten-

14. oſtendit, quibus in palato reſpondit *ſeries ſemilunaris* duplicata, cum lateralibus lineatim diſpoſitis: poſt laryngem dentium ſeriem alatam notavimus, duplici lineâ utrinque conſpicuam, in cujus medio tres adhuc aliæ conſpicuæ erant, reſpondente in palati parte paulò ſuperiore ſerie aliâ ferè circulari: denticuli hi omnes coloris erant cineritii: ipſa verò palati membrana, è *minutulis glandulis* erat conſtructa, quæ preſſæ liquorem idoneum ſtillârunt: œſophagi facies *interna tota glanduloſa* aduſque *ingluviem* (videſis fig. 1.) quæ inſtar ventriculi expanſa membranea, vaſisque & fibris copioſis donata fuit: in *illo* interſtitia viſebantur plicarum inſtar: in *ingluviei* ſuperficie exteriore *glandulæ* minutæ itidem hic illic emicabant: *Ventriculus* oblongus, circa initium ſui & ſtomachi extremitatem, glandulis ſolitariis majuſculis coronæ adinſtar cingebatur, (vid. fig. 2.) quoad externam faciem, membraneus magis quàm carnoſus, reâpſe tamen *tunicis quatuor* inſtructus, extimâ *membraneâ*, cui ſubſternitur *carnoſa*, fibris robuſtis inſignis, ſuperjacet *nervea*, cui *glandulæ* inhærent innumeræ, ſuis apicibus intimam *mucoſam* perforantes, quæ inde *glanduloſa* tota primùm comparuit: *Hepar* duobus lobis rubebat, *veſiculâ fellis* præ pinguedinis copiâ in viſum non incurrente: *hæc* fundo ſuo verſus collum uſque ab hepatis cavo libera erat, illic tamen propagines plures recepit, ponè ipſam portæ inſertionem: *Pori bilarii* duo, quorum *alter* ex hepate immediatè duodenum versùs abit, ramulis ab utroque lobo acceptis, *alter* ex veſiculâ progreditur, tubulis bilariis hîc illic conſpicuis. Pori hi duo cum duplicatis pancreatis circa inſertionem ſui conveniunt. (vid. fig. 3.) In hypochondrio ſiniſtro circiter, *glandulam ovalem* rubram animadvertimus, lienis vices ſupplentem: neque enim in volucrium genere lieni aliquid analogum aliud hactenus invenimus, conſtanterque aſſerimus, carere ipſo volatilia, nî deſcripta glandula intelligatur, ceu pag. 64. Exam. cochleæ monuimus: *Epiploon* vel potiùs membrana adipoſa, ſingulas partes abdominis integens, pinguiſsima, uti & meſenterium: *Inteſtina* circiter ulnas duas cum dimidiâ implebant: Exteriùs circa colon conſpici poterant duæ albæ appendiculæ, cæcæ, oſculis illarum intùs patentibus, quæ junctim valvulam qua-

si constituebant. Musculo pectorali, qui sterno utrinque insternebatur, robustus & magnus, cum subjacentibus duobus aliis, elevato, sternum prodiit, in medio processum habens acuminatum, cœtera latiusculum, cum quo costæ connectuntur, quæ interiùs prope connexionem cum vertebris thoracis, processum formant duplicem: superiorem elatiorem, & inferiorem depressum, quos inter media est cavitas, adhærescentibus undique pulmonibus vesiculosis: Cor auriculis gaudet duabus cum totidem ventriculis, è quibus prodeunt in utrumque pulmonum lobum arteriæ duæ, aortæ & venæ totidem cavæ propagines, (vid. fig. 4.) Pericardio investitur tenuissimo & foraminoso: Aspera arteria sub claviculis ponè insertionem in pulmones, in duos ramos patulos dividitur, cujusmodi etiam foramen patulum pulmones ferè circa sui medium nanciscuntur, pro aëreo pabulo inferioribus communicando, uti in ciconiâ aliisvé: In dextro ventriculo sub ingressum cavæ, ne sanguis refluat, valvulæ tricuspides parvæ notantur & subtiles, sub *columnâ seu pariete carneo robusto* deliteſcentes, ex quo in arteriam pulmonalem stylo pervenire licuit: In sinistro ventriculo conspicuæ erant valvulæ Episcopales robustæ, in utroque verò polypi formati portio: Ad radicem arteriæ aortæ semilunares videbantur, neque suis caruit pulmonalis arteria: Vesiculæ pulmonales protendebantur versùs renes usque, qui agninis similes, appendices sortiuntur duas, glandulosas, ejusdem cum iis coloris, iisdemque vasis donatas: è cavo ipsorum ureteres utrinque unus progreditur, qui ductus urinosos ex dictis appendicibus vicissim nanciscuntur: ad renum capitella conspiciebantur succenturiati parvuli, flaveſcentes, quos perreptabant vascula minutissima: sub his positi erant testiculi oblongi, teretes flaveſcentes, cum adjacentibus epididymis, horumque ductibus ejaculatoriis, (vid. sis fig. 5.) Remotis capitelli integumentis, posterius ad latera notare licuit musculos temporales duos, rotundos, anterius verò obtegmen cartilagineum, oculis inserviens, cui appensa fuit undique tunica, ambulatoria dicta, quam illis obducunt, idoneo propterea musculorum pari instructa: Cranii facies anterior plana fuit, media verò elevata, formatis intus cavitatibus binis, pro binis cerebri corticis globis,

qui

qui ceu in nido inibi reconduntur: cerebrum ambiebat dura meninx, ejusque corticem in globos duos dividebat corpus falcatum, quos perreptabant variis ramis vasa sanguifera: illis tantisper elevatis & separatis, animadvertere licuit protuberantias duas seu crura, eò loci ubi aliàs testes, natesque videntur, minutissimis vasculis micantes, post quas evidens fuit, corpus glandulosum, glandulam pinealem æmulans, quod itidem vasa sanguifera ad latera crurum anteriorum, instar plexûs choroidei dispersa comitabantur, vid. fig. 6. Inde cerebelli cum spinalis medullæ facies patebat: subtus è cruribus anterioribus exsurrexerunt nervi optici, firmissimi, post quos motorii cum patheticis parvulis comparuerunt & acusticis &c. Oculi vitulinorum magnitudine, glauci coloris exteriùs, interiùs ope quatuor oculorum parium, quâ ex intimâ orbitâ, quâ hujus lateribus præcipuè prodeuntium, isti firmiter inhærebant: Musculis separatis, tunicæ corneæ facies posterior, dura & renitens detecta fuit, facies verò anterior pellucida, circulo osseo investiebatur, quo inciso cùm humores tum uvea proruperunt: humor aqueus pauxillus, vitreus maximus, crystallinus mediocris, quem ambiebat circulus nigricans, iris dictus: Tunica retina filamentis suis nerveis, innumeris, corneæ parti anticæ interiùs reticulariter adhæsit: Musculorum examen cùm aggrederemur, illi ubique distinctè notari poterant, copiosâ pinguedine interstitia ipsorum non raro occupante: præ aliis verò robustissimis tendinibus pollebant crurales & alarum, quorum hi fibras tendinosas, versùs universam alæ cutem pennatam sparserunt, secundùm ulnæ longitudinem: Pectoralis de quo suprà, supremi humeri processui tendine suo inserebatur, sparsis quasi ad latus de se musculis duobus, quorum superior tendine longissimo, extremam alam petebat, inferior verò tendine breviori, ulnæ inter & radii caput terminabatur: nec minus elegantes erant, capitis, cervicis & colli musculi &c. quorum singulorum delineationem exhibuisse Stenonium videmus. Act. Hafn. Volum. 1. & 2. qui hac de re legi poterit, num fortè Curiosorum desideria magis expleat,

SCHO-

SCHOLIUM.

Jovis hæc olim habita fuit armiger, cujus examini cùm è Veteribus tum Recentioribus sedulâ curâ plures vacârunt Viri Clarissimi. Quæ de ipsâ Aristot. histor. anim. memoriæ prodita reliquit, pauca sunt, nec usque quaque vera. Celebris verò Olaus Borrichius Vol. I. Act. Hafn. elegantiùs pleraque descripsit, quem secutus est Amicis. Aretæus noster qui Aquilæ Anatomen suo *Vade mecum Anatom.* inseruit: Nostra qui cum ipsorum inventis conveniant, aut etiam illustrationi vel augmento inserviant, alii judicabunt, si volupe fuerit. Icones saltem, si aliud nil, operam nostram cõmendaturas speramus: Prodidit natura providam suam industriam in corpusculi minotis exstructione, quod tamen maximum, ubi femora robusta, reliquamque machinam primùm intuitus fueris, arbitrareris: nec avis rapacitas hypothesi fidem demeret, ob quam utique copiosè nutriri deberet: nempe quia aliti altissimæ petenti, moles ista impedimento foret haud levi, in mediocritate ipsam consistere satius fuit: nescimus etiam quantum devorent aliæ captivitatis expertes, nostra siquidem, quamvis quotidie carnem recentem appositam viderit, per biduum triduumvé jejuna perstitit, pinguiuscula nihilominus, ceu inferiùs dicemus: Verisimile fit insuper frequenti volatu, quem strenuè continuant, multùm dissipare, inque saccum pinguem præ intestinis protuberantem, materiæ oleosæ reliquum commodè recondi: ostendit illum abdomen apertum, eximiæ magnitudinis, ut mirari satis non potuerint, quotquot jejunantem priùs animadverterant: Boreali tempori, quo effluviorum pinguium multa dissipatio cohibetur & carceri isthoc attribuemus tantisper, ob quem à quotidianâ operâ libera, succi alibilis fortè plus cumulavit, quàm corpusculo necessarium erat, dum quid in aliis molis hujus ratione animadversum fuerit addiscamus. Leviter verò conjecturantibus, singulari naturæ solertiâ, cùm pro musculorum agilitate, tum etiam alimento necessario, sicubi opus fuerit, istam colligi videbitur, neque verò præsto sunt rapinæ quovis tempore, quæ esurientis famem sublevent: Unde autem ista generetur, jam non expediemus, sufficit concoctionum organis artificiosè fabrefactis, aquilam esse instructam ingluvie & ventriculo glandulosis, nerveisq; succum fermentaceum spirituosum abundè suppeditantibus, symbolamque suam palati non minùs quàm œsophagi glandulis conferentibus: atque hinc est, quod integra carnium frusta, eaque maxima devorata, probè comminuant, inque saccum fluidum dissolvant: quin imò egregia hæc ventriculi multiplicis structura, ruminationi quippiam analogum videtur evincere: quamvis enim ventriculorum pluralitatem ad ruminationem perinde necessariam

neceſſariam jam non judicemus, nec ſciamus an aquilę pariter cum columbis & ciconiis, cibum ex ingluvie pro pullorum nutritione repetant ac revomant, quia tamen quem ſemel deglutiverunt, ingluvie exceptum, denuò deglutiunt, ut ventri valido & carnoſo inferatur, (vide ſis quæ ex Ariſtot. cap. 2. prodr. de humor. pag. 21. inſeruimus) quidni actum ruminationis æmulari dici poſſent? quæ omnia Amiciſſimum noſtrum Pythagoram eruditè ruminare novimus in ſuâ merycologiâ: Ut verò nutrimenti confectio pateſcat meliùs, dicimus in ingluvie, liquoris quem œſophagi & ingluviei glandulæ (de quibus in prodr. pag. 23.) copiosè eructant, ſpirituoſi ope, fruſta carnea ingeſta macerari, ac compagem ipſorum, ab ejus activitate tantiſper ſolvi incipere, actionem adjuvantibus ipſius ingluviei fibris carneis motricibus, in ventriculum verò propulſa pinſi, ac in maſſam fluidam penitùs diſſolvi, opitulantibus ſuccis fermentaceis, quos cùm μέρ@ περὶ τῆς χειλίας ὀγκώδες, tum ventriculi glandulæ ipſæ affatim ſuggerunt, & ipſius partis fibrosâ compage, quibus extremam manum addunt, liquores ab inteſtinis tenuibus cum pancreate & hepate exhiberi ſoliti: quem uſum ſibi vindicent denticuli, hariolari equidem non auſimus, arrecti tamen videntur non minus bolorum ingeſtionem adjuvare, quàm eorundem regurgitationem impedire, ceu ipſorum ſedes iſtud fortè docere poteſt: id heic inſuper addendum, avem hanc toto quo ipſam nutriimus tempore, nunquam ſitiiſſe vel bibiſſe, cùm tamen pro carnis maceratione iſtud vel maximè neceſſarium fuiſſe videatur, unde confirmari poſſet, nonneminis ſententia, ſitim naturalem non eſſe, quæ tamen nobis nondum fit veriſimilis: ſi enim præter ſeri copiam, quam glandulæ multijugæ affundunt, conſiderare libuerit carnes recentes ſuccolentas, ipſis ut plurimùm in eſcam cedere ſaltem ab ipſis expeti, humidi irrigantis ſubſidium inveniemus prius, quàm ad lympham externam confugere neceſſe habeamus: nec inficiandum eſt, inter homines quoque dari, qui per pluſculos dies defectum humidi externi citra damnum ferre queant, imò ex more ferant, ceu exempla novimus. Sed hi vel juſculis aluntur, vel cibis aliter ſuccolentis aut aquoſis: Felle plurima animalium carere, audacter aſſerit Stagirita l. 1. hiſt. animal. cap. XVII. ſed quo ſucceſſu ipſe viderit, vel ejus aſſeclæ; præterquam enim quod experientia reclamat, rationes quoque, quas l. 4. de part. anim. c. 2. affert, nullius ſunt momenti, cùm bilem ejus neceſſitatis eſſe alibi oſtenderimus, ut citra noxam naturâ eâ carere vix poſsit, ceu quæ particulis conſtat oleoſis volatilibus & activis in ſequeſtratione chyli à fæcibus alvinis plurimùm agentibus: Philoſophi nihilominus rationes excutiemus: ὅσοις μὲν οὖν ἡ ξ ἥπατ@ σύσασις ὑγιεινή ἐστιν, καὶ ἡ ξ αἵματ@ φύσις γλυκεῖα, ἡ εἰς τοῦτο ἀποκρινομένη, ταῦτα μὲν ἢ πάμπαν οὐκ ἔχει χολὴν ὅλως ξ ἥπατ@, ἢ ἐν τίσι φλεβίοις, ἢ τὰ μὲν, τὰ δ' οὔ. Quibus inquit

quit, *jecoris conſtitutio ſalubris, & ſanguinis natura, quæ jecur ſubeat, dulcis accedit, hæc aut nullum fel ſuo in jecore habent, aut venulis quibusdam incluſum, aut partim habent & partim non habent*: Poſſemus hîc vel ſola, quæ ſuperius habet, verba ipſi obtrudere, ἡ περὶ τὸ ἧπαρ χολὴ περίπλωμά ἐστιν ὥσπερ ἡ ἐν τῇ κοιλίᾳ, καὶ ἐν τοῖς ἐντέροις ὑπόστασις: Atqui hæc ipſa non modò in iis, quibus fel denegat, animantibus reperitur, ſed neceſſaria inſuper eſt ac utilis, contra quam ille, οὐκ ἕνεκά τινος εἶναι ſomniavit. Verùm & ἀπειρίαν ſuam prodidiſſe nobis heic videtur Ariſtoteles, ac ſi vel ſanguis in quibusdam naturâ amaricans, fellis copiam neceſſariò argueret, vel ex iſto dulci, particulæ elici non poſſent, quæ certo modo combinatæ bilem ſapiunt, à reliquo ſanguine diverſam: Sapor ſanè qualiscunque particularum variarum legitimam combinationem inſequitur, nec dulcedo hinc de eſſentiâ ſanguinis eſt: interim uti hæc ipſa, ex partium variarum, diverſimodè configuratarum συμμίξει convenienti oritur, ita viciſſim pro illius conſervatione, quarundam non minùs fructuoſa quàm neceſſaria in hepate, ſingulari naturæ providentiâ ſecretio inſtituitur, quæ inde per poros bilarios ad inteſtina ablegantur, ceu hoc ipſum avis noſtra docet, in quâ veſiculam fellis Clariſſ. Muraltus quoque non animadvertit, cujus cauſa fortè fuit, quam in Examine attulimus: vidit tamen eam Excell. Borrichius, totidemque poros nobiſcum nominat: Idem verò lienis non meminit, quem triangularem fuiſſe *ille* refert: Valvulæ coli vices implere videntur appendicum oſcula, quarum mentionem itidem præfatus *Borrichius* facit: De marium partibus genitalibus tacet *Ariſtoteles*, quæ verò de femellis l. VI. hiſt. anim. c. VI. habet, ὁ δ' ἀετὸς ὠὰ μὲν τίκτει τέλεα, ἐκλέπει δ' τούτων τὰ δύο ὥσπερ ἔστι καὶ ἐπὶ τῶν λεγομένων Μασσαίων ἔπεσιν, infallibilia non videntur eſſe; nuſquam enim, quamvis ab aliquot annis, ſedulò inquiſiverint, aquilis inſidiantes agricolæ, plures uno repererunt pullo, eoque ferè implumi, ut, nî regionum varietas & ſpecierum diverſitas, aliquid pro ipſo evincat, Muſæo magis, quàm veritati, auſcultâſſe dicendus ſit Philoſophus: Exploſa etiam eſt ratio, quam in ſubſequentibus addit: alterum pullorum tædio nutriendi, in educando ab ipsâ expelli, quem oſſifraga excipiat; Optimè ſanè laudatus *Borrichius* in Hermet. Ægypt. & Chemic. ſapient. *Oſſifragam pullos aquilæ, nido ejectos ſtatim excipere & benignè nutrire, optarem experimentis demonſtrari poſſe, interea mihi quidem parum ſit veriſimile, nam quomodo ſtatim ad cunabula aquilæ, officioſa ſe ſiſtet oſſifraga, pullo exterminato & præſertim cùm latè habitare par unum Aquilarum ſcribat Ariſtoteles, nec intra pomœria territorii ſui alias temerè admittere*: In ſpiritalibus organis, columna carnea, valvularum tricuſpidum quaſi operculum, prę primis notatu digna videtur, quâ certè ſanguini refluxuro non tam obſtaculum, quàm in contractione, impetum in arteriam pulmonalem concitari exiſtimamus: *Polyporum* mater ſtrangulatio fuit, quam dudum pro

viribus

viribus eluſit robuſta. Inprimis verò ſeriam attentionem merentur, cùm oculorum tum cerebri artificioſa ſtructura, quarum iſta perfectiorum animantium eleganter æmulatur, illa verò viſus aciem ſummam, quâ quibuscunque aliis præeat, evincit adeò, ut oculis apertis, quod ajunt, ſolem ipſum ſine noxâ intüeri queat: nec opus Authorum de his corradere teſtimonia, aliorum effatis ſæpiùs magis, quàm experientiæ innitentia, etenim *obtegmen cartilagineum*, radiorum ſolarium impetum tantiſper cohibens, cum tunica nictitante, quam pro lubitu oculis ſuperinducunt, & *circulus oſſeus* corneam anteriùs inveſtiens, qui munimenti vices ſuſtinet viciſsim, cum humoris vitrei craſſitie, ad radiorum ſolis ingreſſum, efficaciùs inclareſcente, aſſerti veritatem ſalvam faciunt.

Observat. XVI.

Gallinæ ex carbonibus devoratis fatum.

Die 1. Decembr. 1680. Gallinam quæ citra evidentem cauſam vacillare cepit, præſentibus aliquot φιλιάτροις diſſecuimus, in quâ priuſquam corrueret, ingluviem notavimus ſummopere diſtentam, ſubſequentibus paulò pòſt motibus convulſivis, à quibus penitùs deſtructa fuit: In ingluvie præter vaſa ipſam copiosè inveſtientia, reperimus liquorem turbidum, cum granis avenæ, & plurimis carbonibus, aliquantum attritis: pars œſophagi ingluviei protenſa, cum illâ quæ hujus orificium immediatè excipit, *glandulis minutis compluribus* micabat, *fibris carneis* ingluviem ambientibus hinc inde conſpicuis: Corpus tubuloſum ad oſtium ventriculi poſitum, liquorem ſeroſum copiosè ſtillavit: Muſculi à Pejero deſcripti cum tendinibus ſuis validiſsimi: Ipſe ventriculus lapillis majoribus & carbonibus repletus erat, citra tamen gangrænæ indicia: in inteſtino duodeno & jejuni principio, glanduloſos plexus complures conſpeximus: pancreas duplicatum ſolidiuſculæ ſubſtantiæ à vaſis manifeſtè perreptabatur, Hepar cum veſiculâ fellis & renes, ut & partes vitales, vaſis ſuis eleganter fuerunt inſtructæ; Vas quoque hæmagogum inſigne ad ovarium pergebat, quod heic obſcurius & ex parte gangrænatum patuit: Inter *uteri tubulati plicas glandulæ* copioſæ viſum recreârunt: *Veſiculoſum* quoque *corpus* cujus progreſſus incertus adhuc ad latus inteſtini recti hærebat, vulneratumque, humorem

morem lacteum reddidit: Uropigii glandulæ itidem egregiæ: nec minus accurata cerebri compages & cerebelli, quod albidius fuit & quaſi duplicatum, à quo progrediebatur medulla oblongata, variis ſtriis nervoſis, ceu totidem inſcriptionibus donata.

Obsерv. XVII.

Anatome Gallinæ ſubitò enectæ.

Die 16. Martii 1681. allata nobis fuit Gallina plumis & coronâ nobilis, cujus machina ſubitam ruinam paſſa erat: Hujus interanea quùm luſtraremus præſentibus Vir. Clariſſ. D. D. Eman. König Baſil. & D. D. Hochrütinero Sangall. primùm pinguedo plurima ſe obtulit, quâ ſeparatâ prodiére lobi hepatici, *pelliculâ gryſeâ* obducti, & veſicula fellis bile ſubviridi & ſabulo multo referta: Similem colorem inteſtina cum meſenterio exhibebant, quin imò hujus pelliculæ ope ſibi firmiter adhærebant; inteſtinum cœcum duplex, oblongum ſatis & glanduloſum, cum inteſtino tenui, trifidam in rectum inſertionem oſtendit: *Ovarium* pulcherrimum, cum ovis minutiſsimis, minutis & majuſculis, ponè hepatis regiam locatum fuit, vaſis rutilans copioſis, & *oviductu* in *uterum* anfractuoſum ſe exonerans: hujus ut anfractus, gyrique varii magis paterent, ab extremitate alterâ versùs oviductum uſque inflavimus, *Inferiorem* uteri *ſubſtantiam glanduloſam* vaſa complurima perreptabant, ſuperiore albicante magis & plicoſâ exiſtente, ad latera ejus decurrebant *ureteres* ſatis diſtenti, terminationem ſuam in inteſtino recto nanciſcentes, quorum *dexter* ſuperiori Renum appendici primordia ſua debuit, & diſſectus internam faciem foraminoſam, inſtar bronchiorum aſperæ arteriæ, à tubulorum renalium inſertionibus oſtendit, cætera humore limoſo, viſcido plenus fuit, *ſiniſter* verò *Ren* deerat, (vid, ſis Exercit. 49. ad Pythag.) Ventriculus robuſtus, Pancreas minutulis vaſculis, Pericardium humore turbido, & ingluvies ingeſtis ſaturata fuerunt, micantibus hinc inde glandulis: Cor verò pelliculâ ſimili obtegebatur.

SCHO-

SCHOLIUM.

De gallinis heic quædam propalamus, animali non minus ſapido quàm utili & ſtructurâ ſuâ admirabili, quarum interanea prident ante nos, cùm Harvéus, ſuis de gener. animal. ex ovo ſcriptis inclytus, tum Exercitatiſſ. Pejerus Ventriculi gallinacei accuratiore anatome detexerunt: licebit tamen Virorum horum experimentis etiam noſtra adjicere, fatumque præſentium tantiſper examinare, *uteri glandulosâ ſtructurâ*, aliisvé ſeq Obſerv. ſervatis: Tria autem ſunt, ad quæ in œconomiâ ipſarum naturali maximopere attendemus, *ingluvies* viz. *ventriculus* & *inteſtina*, ſuppleturi ita, ſi quæ in ſcholiis ad Aquilæ Anatomen dicere omiſimus: ſingulæ hæ partes ubi muniis ſuis probè funguntur, ſuccus utique alibilis bonus toti corpori impertitur, caroque ſapidiſſima evadere poteſt: *In ingluvie*, inquit Harvéus, *aves grana integra devorata retinent, indeq; cum epotâ aquâ madefacta macerata atque emollita, in ventriculum poſtea transmittunt, ut ibidem molantur & comminuantur*: Ante ipſum autem digitum ad iſta intendiſſe *Philoſophus* videtur, cum lib. 3. de part. anim. cap. XIV. ἐπεὶ γὰρ ἔνια τὸ τῶν ὀρνίθων γένος τὴν τῆς τροφῆς ἐκδίδωσι λειτουργίαν ζώμαλον (ἀνόδουλα γὰρ ἐστὶ καὶ ἄτε οὐ διαιρήσει ἄτε οὐ λεαντῆ τὴν τροφὴν ἔχει) διὰ τοῦτο τὰ μὲν πρὸ τῆς κοιλίας ἔχουσι τὸν καλούμενον πρόλοβον &c. tum l. 2. de hiſt. an. c. ult. οἱ μὲν ἔχουσι πρὸ τῆς κοιλίας πρόλοβον, οἷον ἀλεκτρύων, πτέρδιξ, φάσυα, πέρδιξ: ἔστι δ' ὁ πρόλοβος, ἄρμα κοίλον καὶ μέγα, ἐν ᾧ ἡ τροφὴ πέπτει ἐστὶν ἀπεπὴς ἔστιν. Receptaculi itaque vices ſuſtinet ingluvies, ſed non otioſi, in quo crudè ingeſta lapidis inſtar ſubſideant, ſiquidem liquor turbidus in illâ repertus manifeſtum macerationis indicium ſit, quam quî perficiat, cùm nervea tum glanduloſa ejus facies, in omnibus, quotquot ſecuimus nobis viſa, ſatis illuſtrant, ſtillant nempe glandulæ ſuccum quendam fermentaceum, ſpiritu animali irroratum, cujus ope cibus tantiſper alteratur & comminui incipit, fibræ verò carneæ ejusdem in os regurgitationem in columbis promovent: Equidem obſervavimus etiam Gallinas pipiones ſuos circumducentes, cibi objecti partem aliquam roſtro devoratam, mox revomuiſſe, quo tamen explorare potiùs eſcam, & ſi craſſior ſit, confringere videntur, antequam pullis offerant: in ventriculo quî cibus emolliatur & concoquatur, ope liquoris corporis tubulati, ipſiusque ventriculi ſtupendâ ſtructurâ, eruditè docet præfat. Pejerus: Sufficiat heic monuiſſe, cauſam interitûs in gallinâ priore in ingluvie, forſan & ventriculo hæſiſſe: an à ſolâ diſtenſione motus convulſivi ſuborti ſint, dicere non auſimus: videntur nihilominus carbones copioſiùs devorati, in ingluvie ceu parte totâ nerveâ ferè ac membraneâ, irritationem quandam inſtituiſſe, ex nimiâ ſui aggeſtione, quam iteratam & exacerbatam, motus convulſivi deinceps

exceperunt: Ventriculus robuſtior, mucoque munitus, inſultus iſtos commodiùs ſuſtinuit, & ſi quid mali pertulit, inde deducendum maximè, quod carbonibus plenus, actioni ſolitæ commodè vacare non potuit: fortè etiam lixivum acre, quod iis ineſt, ſolutum, fibras nerveas adoriendi vim habuit; attriti enim erant in ingluvie, nec prorſus integri: nec minus conſtat, quanta ſymptomata carbonum fumus apud plures exuſcitet, quin imò quàm facilè varia heterogenea aſſumant: operæ pretium tamen erit, iteratis experimentis, dubium ſucceſſum denuò experiri, ad quæ Curioſos alios viciſſim extimulamus: aliàs picâ laborantes mulieres, devoratis, quos abſurdè appetierunt, carbonibus, convaluiſſe, Medicorum fert authoritas, quod correctione fermenti vitiati perfici, utplurimum creditur: de appetitu verò clariùs & diſtinctiùs ſentientibus, iſthoc ſolum non ſufficit, videturque in iſto depravato, vel ex ſolâ imaginatione objecti quod videmus, vel de quo cogitamus vehementiùs, ſubſequentem ſpirituum ad ventriculum ὁρμὴν, tum vellicationem, tum cibi abſurdi digeſtionem ſæpiùs promovere, dicimus ſæpiùs, neq; enim picam ſine damno omnes pariter ferunt, quin ſi Authorum ſcriptis fides habenda eſt, cacochymiæ proximæ ſunt, utpote indicio humorum, quibus ſcatent, pravitatis, quam licet non inficiemur, ejus tamen effectum valdè obſcurum eſſe monſtravimus, quem in malignâ qualitate fibris nerveis infeſtâ, Vett. aliique etiamnum quærunt, cùm ejusmodi irritatio inconveniens, appetitum potiùs deſtrueret, aut ſummè dolorosum redderet, quàm eundem ſola depravaret: de quibus autem nunc ὡς ἐν παρόδῳ, dum exempla crebriora ſuppetant, quibus hypotheſin noſtram obfirmare poſsimus: Id ingluviei occaſione notatu dignum nobis occurrit adhuc, renaſci ipſam poſſe, cujus rei exemplum vidimus cum Affine noſtro honoratiſſ. Pharmacopolâ, in gallinâ juvenculâ, cujus ingluvies, in ſuperficie circulari, paucorum dierum ſpatio eroſa fuit penitus, ita ut digiti apice eam facillimè ſeparaverimus, exteriùs undique nigris comparentibus maculis, ceu Salis corroſivi evidentiſsimis veſtigiis, cum qualicunque fœtore, quem graviorem ſpiravit ſeparata, intusque prorſus nigricans, ac ſi aduſta eſſet, inerrantibus adhuc granis aliquot avenæ: Hac materiæ morboſæ ſede remotâ, circumcurſitavit iterum, parteque vulneratâ ſolo butyro aliquoties inunctâ, in loco paulò depreſsiore ingluviem deinceps recuperavit, jamque ovipara, vegeta circumſtrepit. Eò uſque natura provida animalibus granivoris proſpicit, ut nihil deficiat eorum, quæ pro meliori nutritione prius ipſi neceſſaria viſa ſunt, prodiditque denuò ſuam in extruendis membranis felicitatem, vaſorumque iteratam expanſionem, quæ in tumorum p. n. ſuccretione, non rarò manifeſtiſsima eſt: ſequitur nempe ſtudiosè ordinem motumque, quem vel in utero Creator venerabilis ipſi indidit, èque

reliquiis

reliquiis ſuperſtitibus, ceu partis extruendæ principiis, ipſam noviter producit: pariter enim nec heic ad facultatem formatricem etiam in adultis vegetam recurrendum cenſemus prius, quàm quid ipſa ſit clarius patuerit: *Inteſtina* tenuia, prout in aliis animantibus, chyli perfectioni itidem præſunt, ſymbola ſùa hunc in finem conferentibus plexibus glanduloſis, quos egregiè heic rurſum conſpeximus, ejusdem verò diſtributioni vaſa meſaraica inſerviunt, lacteis ſiquidem volatilia deſtituuntur: inde autem pro vaſorum vel hepatis aſſerto ſanguificationis munere parum evincitur, pro ſanguine plurimum: hunc enim ſine inteſtino motu concipere non valemus, nî vitâ pariter privemus: ſubit proin chylus ſanguini immiſceri incipiens ſenſim mutationem, éque portæ ramis in cavæ truncum means, cor versùs & arterias, indeque ſingulas corpuſculi partes pergit: In *renibus* maſſa ſanguinea ab excremento ſeroſo ſalino commodùm liberatur, quod ſequeſtratum, per ureteres ad inteſtini recti fines, cloacam versùs amandatur: Negat illos, ut etiam ſuperiùs monuimus, pennatis Ariſtot. l. 3. de hiſt. anim. cap. XI. dum ita: ὁλὴν νεφρὸς ὁλὴ τ πιεροῖων ἢ λεπτολῶν ἔχει, ὅπ τ φολιδωῖων, ἀλλ' ὡς τ εἰς τὰς νεφρὰς πταμένης σαρκὸς οὐκ ἐχόσης χώραν, ἀλλὰ διεσπαρμένης εἰς πολλὰ, πλατία νεφροειδῆ ἐν ἐνίοις τ ἐρνίθων ἐσίν. Qui autem hoc ipſo ſibi ſimilis non eſt, ſiquidem verus Philoſophus non externâ facie, ad partis unius vel alterius præſentiam argumentatur, ſed ex officio potiſſimum, quo illa fungitur, & ſtructurâ ſimili, quam provida Natura ipſi propterea conceſſit: aut num renes in aliis animalibus, homine brutisvé aliud quid eſſe credidit, quàm corpus ex carunculis glanduloſis & fibræductibus conflatum & coagmentatum? cujusmodi coagmentationem ob machinam paulô aliter configuratam in volatilibus inſtituere nequiit: Inprimis autem conſiderari meretur interna ureterum facies, ponè ipſorum è carunculis renalibus exortum, quâ ipſa renum functio evidenter confirmatur, recipiuntur namque per foramina iſta particulæ ſalinæ & aquoſæ, è glandulis corticalibus in fibræductus prius ſecretæ corporique ipſorum anguſto, maximè propè exitum inferuntur: quin imò ea interdum eſt materiæ hujus ſequeſtrandæ copia, ut nunc in renibus, nunc ureteribus ſubſideat, & in calculos concreſcendo, labem cùm partibus hiſce, tum toti funeſtam quandoque inferat, ceu iſtud docet Gallina altera, cujus ren dexter calculoſus erat maximopere, ſiniſter verò prorſus defuit, hærente in uretere calculo non exiguo: atque hinc etiam quâ ruinæ cauſam, reſtagnante ac regurgitante ejusmodi materiâ ſalinâ & gypſeâ in totum (quod materia fabuloſa in veſiculâ fellis reperta comprobat) quâ pelliculæ gryſeæ ortum in Exercitat. noſtris deduximus: Renis verò ipſius defectum ſimili materiæ exedenti & rodenti, infractâ prius ejus compage, attribuendum cenſemus: Antequam hinc abeamus, de organis

ſpirita-

ſpiritalibus adhuc qnædam monenda, quæ in gallinis, reliquorum volatilium ſimilia ſunt: anſam de hisce diſſerendi exhibuit illuſtris Harvéus, qui Exercit. 3. Fabricium tacitè reprehendit, quòd Ariſtotelem caſtigârit ſeptum transverſum pennatis tribuentem, cùm tamen hujus vices membranam tenuem, quæ Ariſtot. cinctus dicitur, ſupplere mox agnoſcat, ſeptum quoque, quod muſculus ſit, Philoſophum nunquam agnoviſſe, perperam poſt contendat, *Certum eſt*, inquit ille, *Ariſtotelem & muſculos agnoviſſe, & membranas in avibus, diaphragmatis vices ſubire, & ad reſpirationem conferre*: Nos verò nondum perſuaſi ſumus, membranam iſtam, vel Ariſtot. cinctum eſſe, de quo cap. X. l. 3. de partib. anim. vel diaphragma muſculoſum, præterquam enim quòd fibræ carneæ, quas in cygno Excell. Càſp. Bartholinus in membranas hasce ferri obſervavit, & nos poſt ipſum, non videntur ipſi notæ fuiſſe, eum inſuper ob finem à naturâ præcipuè extructi creduntur ſacculi membranacei, ut ceu in receptaculo peculiari, aër ſubintrans recondatur, prout Clariſſ. Suammerdamius, aliique pridem obſervârunt, ſicque æmulentur aliorum animantium pulmones, qui ab aëris expanſione quaquaverſum implentur, diaphragmate ſive ſepto, ſi accurati eſſe volumus, motui voluntario contractionis & dilatationis inſerviente: Neceſſe tamen habemus fateri Bartholini eruditum experimentum, de fibris dictis, in reſpiratione non ocioſis, ſecus quam Stenonius voluit, pag. 31. nos non parùm movere, ut harum ope ſacculis dictis, motum aliquem accedere, ſicque volatilia aliquod diaphragmati analogum nacta eſſe ſtatuamus, nihil interim exhinc pro Ariſtot. qui inſuper, non præter rationem nomen immutâſſe videtur, cap. enim modò citato ἐν τοῖς ἐναίμοις, iisque perfectioribus, ſeptum διάζωμα vocat, l. verò 6. hiſt. anim. cap. 2. locum ubi fœmina poſt coitum ovum peperit ὑπόζωμα appellitat, ὅταν ᾖ ὀχλοδῆ, ἄνω πρὸς τὸ ὑπόζωμα λαμβάνει ἡ θήλεια: & paulò inferius: τοιαῦτα καὶ ἐν ἀλεκτορίδι διαιρεμένῳ ὑπὸ τὸ ὑπόζωμα, ὅπερ αἱ θήλειαι ἔχουσι τὰ ᾠά: de quibus pro more, obſcurius agit cap. IX. de Reſpirat. ut alia ſilentio jam prætereamus.

Observ. XVIII.

De Gallinarum ductibus choledochis, Veſiculâ lacteâ &c.

Ex literis ad Clariſſ. PYTHAGORAM *d.*

Nuper de ductu hepatico triplici nonnulla memoravimus: in Gallinæ exenteratione præteritis diebus ductum cyſticum & he-

& hepaticum è ſuo unumquemque loco prodire notavimus, neque in communem ductum (quod in homine & canibus equidem fieri, Gliſſonius jam animadvertit) humorem ſuum, ſed ſeparatâ inſertione prope ductus pancreaticos, in duodenum deponere. Perquam etiam ſcire cupimus, quid veſicula infra renes prope uterum ſita & humore lacteo plena, uſus gallinis præſtet, quam quidem in ſingulis pari evidentiâ reperire non licet. In eâdem hydatidem deprehendimus maximam, humore oleoſo turgidam, abdomini innatantem, cujus folliculum inflatum cum utero longiſsimo adhuc ſervamus.

SCHOLIUM.

De ovi generatione, varioque totius uteri uſu heic diſſerere, anſa ſuboritur, materiâ ſcitu eò magis neceſſariâ, quò generatio aliquorum animantium ex ovo, illâ magis illuſtratur: Locus ubi ova incrementum ſuum ſumunt, ſenſimque perficiuntur, convenienti accedente materiâ, ovarium dicitur in quibuscunque femellis: in Gallinis verò, aliisve volatilibus ibidem perfici non videntur, ſi quidem Graviſſimorum Virorum ſententiam audimus: *Vitellus*, inquit, Clariff. Harvéus, *in racemo exigua duntaxat papula eſt, ſenſimq; auctus, colorem & magnitudinem vitelli adipiſcitur, indeq; abruptus per infundibulum deſcendit, & per ſpiras cellulasq; proceſſus devolutus, albumen induit*: & Fabritius ovorum generationem in pennatis, uteri actionem eſſe aſſerit; Equidem certum eſt, etiam uterum quandam ovo partem largiri, ceu inferiùs dicemus, illa autem fœtui ita eſſentialis eſſe non videtur, ſi accurati eſſe volumus, utpote ex quâ ejus partes non procuduntur, ſed nutrimenti ſolius vices ſuſtinet, pariter ut in viviparis aliis liquor nutritius ab utero ſuppeditatus, ad ovi maturitatem, minùs neceſſariam fœcunditatem nihil confert: atque in volatilibus iſta ſucci ſecretio evidentior eſt, quàm in viviparis: Dicimus itaque ovorum primordia, in ovario uniuscujusque gallinæ jam adeſſe, licèt tam exigua, ut visûs aciem primùm ſubterfugiant; etenim nec minutiſſimarum fibrillarum ſeries, quarum ope ex maſſâ humorali materia conveniens pro augmento ſecernitur, ab omnibus æquè conſpici poteſt: fallitur hinc Harvéus, quando Exercitat. X. efficiens ovi adæquatum & immediatum in ovo ipſo contineri aſſeverat, ceu à cujus principio naturali interno, ſibique proprio tum generetur tum augeatur; cùm ſententia de calore innato vel facultate formatrice exploſa pariter ſit ac obſcura: Fatemur equidem non parvæ difficultatis rem eſſe, ſtatuere in-

numeras illas papulas, quas Gallina à Gallo ſemel compreſſa evidentiùs oſtendit, in pipione eâdem jam fuiſſe, vitellorum numero & magnitudine ejus corpus excedente: aſt materiæ diviſibilitatem ex verioris Philoſophiæ dogmatibus edocto, iſta facilè patebunt: ſimiliter ut abſurdum non eſt, in ovario vituli, ſingulorum ovulorum ſeriem licèt vix viſibilem ſibi concipere, è quibus temporis tractu & ætate ſuccreſcente totidem fœtus pullulare conſueverunt: nec obſtat, quòd gallinæ nonnullæ ova non pariunt, cùm vel ex pabuli defectu primordia oblite-rentur, vel ipſius ovarii ſtructura exoleſcat, vel denique ob uteri vitium aliquod, ova in ovario ſubſiſtere & corrumpi neceſſe habeant. Ita nuper gallinæ uterum vidimus, ſuperiore ſui parte, quæ infundibulo proxima eſt, penitùs coarctatum & ſcirrhoſum, intùs hærente liquore tenaci, viſcido. Id forte majore enodatione dignum, an cicatricula vel macula perpuſilla, omnibus ovis, etiam à primâ eorum origine inſit in vitellario, quod quidem Clariſſ. Harvéus Exercit. XII. indubitanter aſſerit: nec nos contraimus, ceu qui pulli ſtamina ex ipſo ovario petimus: arduum tamen eſſet ex ejus hypotheſi rationem dare, quare ex ſingulis ovis pipiones pariter non prodeant, hâc tamen parte, ex quâ originem ducunt æquè inſtructis: Ad virtutis prolificæ defectum cùm Exercit. 34. tum alibi paſſim recurrit, quam gallinæ aut ovo gallus impertire ſoleat: quæ autem iſta ſit, ipſi pariter obſcurum fuiſſe videtur, ac nobis: nec ſcimus an Ariſtot. quem Exercit. 29. redarguit, uſquequaque à ſcopo aberrârit: *Supereſt*, inquit, *diſquiramus, quomodo à gallina fiat ovum, idemq; à Gallo fœcundetur: Videmus enim ova ſubventanea eaq; animata à gallinâ gigni, non tamen absq; galli coitu prolifica: Ideoq; tum mas tum fœmina ovo fœcundo ſua ſymbola conferunt: non eo tamen modo, quo Ariſtot. voluit, nempe ut mas ſolùm motus & generationis originem teneat, fœmina autem materiam duntaxat præbeat: quippe contrarium in ovis ſubventaneis liquet, ovumq; animatum absq; galli ope à gallinæ producitur.* Nos arbitramur maris genituram motu potiſſimùm agere: vél nudo ſuo contactu in ovi germine vitalem actum excitando, ceu ignis ſtramen propiùs admotum accendit, vel è longinquo per nervos matris agitatos, velut per internuncios, quemadmodum torpedines etiam per retia ſtuporem manibus inferre dicuntur: atque præter hunc motum ovo ſubventaneo nihil deeſt, inde particulæ in cicatriculâ ſufficienter non exaltantur, neque ad eam, quæ neceſſaria eſt maximè, (ſiquidem fœtus inde pullulare debeat) perfectionem perveniunt, quin à gallinæ incubantis fotu, confuſaneitatis ac ineptitudinis indicio, omnia turbantur: quod ipſum etiam accidere poteſt ovis à galli genitura fœcundatis, ſicubi intra domeſticos parietes detenta, diutiùs exoleverint; fatiſcit enim, quod in cicatriculâ eſt, & corruptelæ ſuccus nutritius appropinquat, ut ad id, quod debebat, opus ſiſtendum, ovum aptum ampliùs

pliùs non ſit: Vitellus ad maturitatem & fœcundationem perductus, quandoque decidit è vitellario, inque uterum recipitur infundibuli ope, (quod oviductum dicimus in aliis animantibus) ovarium undique ambientis, membranei & tenuis, inque extremitate ſui patuli & fibroſi, ut cùm ulterius incrementum acquirat, majus enim attendentibus conſpicitur, notante etiam Cl. Pejero) ovo ex utero prodeunte, quàm autem fuerat in Ovario, tum albumine deinceps inſtruatur. Admiranda heic fuit naturæ induſtria, vitellum jamjam deciduum, non modò infundibili, ſed dictæ præprimis extremitatis fibroſæ ſingulari expanſione, eâque determinatâ involventis ac ſuſcipientis: cujus quidem in lepore à paucis diebus gravidâ præteritâ æſtate, in ornamento foliaceo, cujus illa vices ſuſtinet, evidentia veſtigia adhuc dum deprehendimus, ut obſtupeſcere debeant, quotquot ſeminis ejaculationem à femellis, eodem quo in viris contingit modo, fieri ſibi perſuadent. Qui autem ovum & ubi albumine augeatur? in diverſa abeunt authores, ceu iſtud Cl. Harvéus Exercit. XXXVII. confirmat: videtur quoque hic ipſe ſibi conformis non eſſe: citato enim loco ad Philoſophi ſententiam accedit, albumen ex vitello per modum ſeparationis generari contendentis, diſertèque aſſerit: *Nec ſanè verum eſt, vitellum priùs fieri & albumen ei adjungi poſteà: Quod enim in ovario conſpicitur, ovi vitellus non eſt, ſed aliquid compoſitum potiùs, quod ambos liquores permixtos in ſe contineat, colore quidem vitellum refert, ſed conſiſtentiâ ſuâ ad albumen propiùs accedit*: cùm Exercit. VIII. & IX. affirmet: *in plicis & cavo uteri liquorem albuminis ſaporem referentem, copioſiſſimè abundare, atque hoc pacto vitellum paulatim deſcendentem albumine cingi*: Nobis certè uteri gallinacei interiora ſæpiùs ruſpantibus, glandulæ copioſiſſimæ, quas vaſa varii generis undique cingunt, in ipſo videbantur, uſui peculiari deſtinatæ, nec alium ſuſpicari potuimus, quàm ejusmodi humoris lenti, lacteſcentis ſecretionem, pariter uti per glandulas uterinas ζωοτόκων ſuccum nutritium ſequeſtrari in placentæ poros conſtat: docuit inſuper experientia, in ſtatu p. naturali veſiculas ejusmodi humore ſaturatas, in utero femellarum quandoque reperiri, ceu Exemplum ab Excell. Boneto nobis communicatum, & cùm Dec. 2. Ann 2. Ephemer. tum Obſervat. de Molâ inferiùs inſertum & annexum commonſtrat, ut circa generationem membranarum quibus albumina veſtiuntur, multum laborare opus non ſit: nihilominus Harvéi ſententiæ difficile foret contradicere, ſi præter albuminis in vitello neceſſaria veſtigia, ratum eſſet in deſcenſu uteri glandulis adhæreſcere, prout ovum fœcundum in animantibus viviparis, enimverò pro albuminis augmento, materiam idoneam, quam arteriæ advehunt, ab iis ſuggeri veriſimile eſt. Graviùs multò erravit Charletonus, dum Exercit. X, de ſucci nutrit. diſtribut. per nervos: *Ovorum albumen in uterum gallinæ per nervos deferri* ait, *cùm ſanguini valdè diſſimile ſit, nec ullo modo fingi poſſit*

gi poßit è ſanguine produci, niſi per modum ſecretionis, quæ verò in utero præſtari nequeat, quoniam parenchymate ad eam rem neceſſariò omninò deſtituatur: Inventis ſanè glandulis ſecretionis organum præſtò eſt, multò evidentius quàm ſucci talis per minutiſſimos nervos ſequeſtratio. De albumine interim illud monendum adhuc, non exigui eſſe uſus: colliquari enim ab incubantis calore incipit, & in materiam fœtûs nutritiam, quâ per vas umbilicale frui conſuevit, faceſſit, ceu iſtud ante nos Clariſſ. Harvéus & perſpicaciſſ. Malpighius obſervârunt: vide ſis hujus de ovo incubato append. Dubium heic ſuboritur, cùm albuminis materiam in utero demum accedere dixerimus, qui venas & arterias umbilicales ingredi queat, ceu quæ intra vitelli pomœria ſubſiſtere videntur, cui verò vaſorum è vitello verſus albumen expanſio facilis, accedente materiâ fibroſâ, de quâ alibi egimus, & Excellentiſſ. Malpigh. de polypi generat. eruditè diſſerit, occurrere poteſt præſertim ſi ob arctam connexionem, quam chalazarum ope obtinent, materiam colliquatam tranſudare, & à vaſculorum umbilicalium oſculis recipi poſſe ſtatuerimus: nec ſcimus, an cùm chalazarum tum umbilicalis rami ad albumen tendentis, in vitello vel potiùs cicatriculâ, nulla agnoſcenda ſint veſtigia, ut ipſis mediantibus albumen cohæreat, his verò nutritium ſuccum pullus hauriat: diligenti ſanè indagine ſingula hæc explanabuntur. Subſiſtentibus ita in utero vitello cum albumine, præter corticem ſive putamen aliud quid ipſis neceſſarium non eſt, quo in ipsâ ferè excluſione armari creduntur, quod lubrica ſunt adhuc & friabilia: ſuccreſcit illud ex materiâ ſalinâ, ovumque quaquaverſum ambit, unde autem illa verè accedat obſcurum eſt valdè. Ariſtot. l. 1. de gener. animal. c. VIII. οἱ ὄρνιθες, inquit, καὶ τὰ τετράπωδα τῶν ὠολόκων τέλφα ἀπὸ πίλησιν, ἀνάγκη πρὸς τὸ σώζεσθαι σκληρόλεπτα εἶναι: τὸ δ' ὄσπεον γίνεται ὑπὸ θερμότητος ἐξικμαζόσης τὸ ὑγρὸν ἐκ τῆς γεώδους & l. 3. de gener. anim. c. 2. τὸ γινόμενον ὄσπεον, τὸ πρῶτον μαλακὸς ὑμὴν ἐστι, τελειωθέντος δὲ ὠὸν γίνεται σκληρὸν καὶ κραῦρον ἔτω συμμέτρως, ὥστε ἐξέρχεται μὲν ἔτι μαλακὸν, ἐξελθὸν δ' ὑπὸ πήγνυται ψυχθὲν, συνεξατμίζοντος ταχὺ τοῦ ὑγροῦ, διὰ ὀλιγόθηλα δ' λειπομένης τῆς γεώδους: Cui ſententiæ aures primùm etiam Harvéus præbuerat, ceu Exercit. XI. ſub finem videre eſt, dubiumque non eſt, quin ad indurationem aëris ambientis magna ſit vis: aſt non videntur verba iſta, ſi probè capiamus, confirmare id, quod Philoſopho laudatus Vir attribuit intrepidè: Excrementum, nempe, liquidum albicans, quod per ureteres è renibus in communem cavitatem vehitur, putaminis ovo in ſuo exitu conſtituto, materiam conſtituere, cùm diſertè membranam molleculam, quæ ovo exeunte ſenſim rigeſcat ac indureſcat, ſubſtituat Ariſtot. in quo ipſo quidem obſcurus ſatis eſt: nec enim conſtat, an novam membranam intellexerit, an verò quæ vitello cum albumine communis eſt, iſtaque involvit: atque iſta diſtinctè con-

étè conſpicitur in ovis, aliquando ſine cortice à gallinis excerni ſolitis, & heic à nobis in Philoſophi gratiam acceptabitur. Etiamſi autem Harvéus fidenter aſſerat, corticem intùs in utero ex materiâ ibidem oblatâ confici, & non aliter quàm reliquas ovi partes plaſmari à formatrice ejus facultate; nondum tamen de fonte ejus materiæ conſtat, cùm difficile ſit utcunque ex utero eam derivare, ceu cujus facies ejusmodi materiâ gypſeâ oblita non cernitur: Magis idoneus liquor videtur eſſe, quem *veſicula lactea* ponè uterum conſita continet, modò de hujus inſertione meliùs conſtaret: In cochleis certè domiportis, plexus lactei ad latera uteri & oviductus, & in limacibus veſicula amplior, eodem liquore plena, ovula tenellâ membranâ veſtita ita alluunt, ut ſimili cum gallinaceis cortice excreta, ſæpenumero admirati fuerimus. De hydatid. ortu prolixioribus heic eſſe nec licet nec opus eſt, utpote de quibus Authores alibi paſſim agunt. Sufficit in pinguiuſculis humori oleoſo, exuperare & fundi incipienti, involucro naturam mox proſpicere, ut imminenti inde ruinæ pro viribus obviam eat.

Observ. XIX.

Tardæ Avis interanea d. 5. Jan. & 7. Febr. 1683. præſent. Vir. Clariſſ. D. D. Hochrütinero Sangall. & D. Cand. Speckero Baſil. Examini ſubjecta.

In ore interno ad radicem linguæ, ultima anatome, cui Anno 1684. vacavimus, denticulos pariter oſtendit, quibus cùm ſuperius in palato, tum inferiùs œſophagum versùs, alii reſponderunt: Oeſophagi ductus oblongus, plurimisque plicis inſtructus & valde mucoſus eſt, ſub muco glandulæ delituerunt minutæ, ejusdem fontes patuli (vid. Exercit. 44. ad Pythag.) Corpus tubuloſum ad oſtium ventriculi ſuperius jacens, ampliſsimum: Ventriculus prægrandis (vid. ſis fig. adject. in duas quaſi partes ſe dividebat, craſſus valdè, membraneus ac carnoſus, herbis contritis, braſsicâ præprimis, citra ullam lapillorum ſeriem refertus: Parte quæ ſtomachum reſpicit, contenta erant humidiora, quâ verò inteſtinum duodenum egreditur, ſicciora, & tunica interna plurimis denticulis inſtructa: Tunica carnoſa cum ſuis fibris, parte ventriculi inferiore maximè erat conſpicua, alterâ membraneâ magis

magis existente: In ultimo insuper examine, facies ventriculi interna, protuberantias quasdam osculares exhibuit, quæ pressæ serum modicum stillabant. Intestina tenuia glandulosa, variæ invicem implicata, postquam tres ulnas impleverunt, appendicem videndam sistunt duplicatam, satis longam & amplam, quæ unà cum ileo, quod circa finem glandularum serie rectâ copiosè donatur, in intestinum crassum, quod totum glandulosum est, terminatur: facies interna appendicis hujus tota retiformis est, opeque mesenterii intestino tenui connectitur, circa exortum tamen alicubi magis foliacea: in Uropygio glandulæ itidem elegantes prominuerunt: Hepar duobus lobis constitit, membranâ quæ pulmonibus diaphragmatis loco subtenditur, variis partibus cohærente: Vesicula fellis grandiuscula: Testes circa Renum primordia conspiciebantur, extus virides, intus nigricantes: Renes corticem exteriorem glandulosum, substantiam verò interiorem fibrosam, cum vasorum multijugo agmine, ureteribusque ex iis scaturientibus ostenderunt: Pulmones vesiculosi, uti in aliis volatilibus: Pedes tribus tantùm digitis instruebantur: Ossa humeri, femorisque robusta satis, tendinibus necessariis gaudebant.

SCHOLIUM.

Tarda volatile est in nostrâ terrâ peregrinum, quod nusquam videre licuit, quàm urgente pertinaciore Boreæ sævitiâ: Caro hujus adamabilis & grata, nec injucundus externus color, ceu ista ante nos Gesnerus, aliive notârunt: Quæ de illâ Plinius habet l. X. histor. Natur. ex aliis fortè desumpta sunt: Otis, inquit, cap. XXIII. bubone minor est, noctuis major, auribus plumeis eminentibus, unde & nomen illi, quidam latinè Asionem vocant, imitatrix aliàs avis ac parasita &c. quæ eadem de Oto Arist. hist. anim. l. VIII. cap. XII. enuntiat: ὁ δὲ ὠτὸς ὅμοιος ταῖς γλαυξὶ, καὶ περὶ τὰ ὦτα πτερύγια ἔχων: ἔστι δὲ κωβαλὸς καὶ μιμητὴς, καὶ αὐτοχθόνιος, ut Pliniana fides de Otide meritò nobis suspecta sit, adeò facilè fallimur, nî in rem præsentem transimus ipsi: Observârunt hoc ipsum quoque Commentatores super Athen. Deipnosoph. l. 9. perperamque τὸς ὠτὸς ἀτίδας, Authorem illum dixisse monstrant, cùm ad Oti magis quàm otidis naturam pertineant, quæ illic recenset: Magis placent, quæ Clariss. Bochard. Hierozoic. l. 2. cap. XXII. ex Assariphe affert: avis est magni colli, cineritii coloris, rostri utcunque longi, notissima, carnis inter gallinaceam & anserinam mediæ &c. Optimè autem omnium ex

Vett.

Vett. ſatisfacit Ariſtot. qui huncin modum: ἐσὶ μὲν τ ἐκλοπιζόντων καὶ χιδαρονοπόδων, καὶ τριδακτύλων μέγεθος ἀλεκτρύονος μεγάλης, χρῶμα ὄρνυγος, κεφαλὴ σφηνικὴς, ῥύγχος ὀξὺ, τράχηλος λιπὸς, ὀφθαλμοὶ μεγάλοι, γλῶσσα ὀρώδης, σφόβον δ' ἐκ ἔχει, quæ certè eleganter dicta eſſe nuperrimè deprehendimus, fateriſque neceſſe habemus, ingluviei, quamvis ſedulò inquiſiverimus, nulla tum apparuiſſe veſtigia, quam tamen in priori reperiiſſe credebamus, hujusq; meminiſſe Damir inter Arabes deinceps notavimus: avis eſt fortiſſimi, ait volatûs, longiſſimèque evagatur, quod ex eo patet, quia cùm capitur circa Maſoram (ad Euphratis oſtia) in ingluvie ejus granum reperitur viride, cujus arbor terebinthus creſcit in finibus Syriæ Damaſcenæ: Verùm enimverò Ariſtoteli, cujus verba in noſtris quidem exemplaribus non habentur, referuntur autem ab Athenod. d. l. 9 Deipn. cap. X. majorem tantiſper habebimus fidem, dum iteratâ ſectione, ſicubi anſam nacti fuerimus, penitus ſubſcribamus; de volatu verò difficili, quem ob corporis gravitatem incurriſſe, aliqui ſomniant, idem cum Arabibus ſentimus: Subvenit nempe corporis gravitati reliqua machinæ ſtructura, tendines robuſtiſſimi, quibus alæ inſtruuntur, nec neceſſum forſan, quod Plinius vult, ut ponduſcula lapidum apprehendant, aut guttur arenâ repleant præter morem, quo ſtabilitæ volare poſſint: id magis ad rem noſtram, quod Athenęus l. c. ex Mindio profert, αὐτὸν καὶ τὸν τροφὸν ἀναμηρυκᾶσθαι cibum quoque Otidem ruminare, cujus ſuſpicionem aliquam in nobis excitavit elegans ventriculi in duas ſe quaſi partes ſcindentis ſtructura cum denticulatâ internâ facie, aſſumtisque diverſæ conſiſtentiæ, quorum ſubactionem liquor ſpirituoſus, quem oſcula glanduloſa ventriculo identidem ſuffundunt, ſtrenuè juvat, fibris muſcularibus ſuo munere viciſſim defungentibus: Inde Nobiliſſimus Pythagoras noſter cap. 4. l. 1. de Rnminant. ventrium apparatu & actionis analogiâ: ruminationem aves ita imitantur quædam, ut divinæ ſapientiæ architecturæque excellentiam ſpecimine ſingulari demonſtrent. Quò imprimis etiam facit medius ille ventriculus glanduloſus, quem Ariſtot. μέρος ὀγκώδες cognominat: Nos corpus tubuloſum, aliqui echinum, cujus amplitudinem figura adjecta oſtendit. Horſtius ex Geſnero in ventriculo duos lapillos albos, ſin autem nive profundiore capiantur, præter lapillos & arborum cortices, nil reperiri ſcribit: in noſtrâ ne gry quidem horum reperimus, licèt altâ nive, cùm caperetur, terra candida ſteterit, quam etiam nivis altitudinem cauſam exiſtimârint alii, quò minus convenientes lapillos quæritare ac deglutire potuerint, ſubvenientibus interim ingeſtorum piſturæ pro viribus fermento, carneisque ventriculi fibrillis. De inteſtini cæci, quo (ſi Ariſtoteli credimus omnia animalia non gaudent) in volatilibus differentia & uſu jam ſæpiùs cogitavimus, eccur tandem illud tam differenter à naturâ fue-

rit,

rit conſtitutum, in aquila enim & ciconia anguſtum illud planè eſt & vacuum, vermiculũ, ęmulans, contrà in gallinis aliisq́; & hâc noſtrâ tardâ, duplicatum, illudq́ue ſatis amplum, ceu ex icone colligere licet: an in illis voracitas in cauſa ſit, Ariſtoteles viderit, qui lib. 3. de part. animal. cap. XIV. inquit: κ) τ ἄλλων ὁ πάντων ὅσα ἐυθύεντερα, λαίμαργα πρὸς τὴν τροφήν ἐστι: Animalia omnia, quibus inteſtina ſunt recta ciborum avida ſunt, cùm priùs de appendicibus avium (quas nos cœcas dicimus) ita diſſeruiſſet, οἱ δ πολλοὶ πρὸς τὴν κοιλίαν ἐκφυάδας φυκνὰς, ἵν' ἐν ταύταις ὥσπερ ἐν φάλαγκίῳ θησαυρίζοντις συσήπωσι, καὶ πέπωσι τὴν τροφήν. ἔχουσι δ ἐναντίως οἱ ἰχθύες τοῖς ὄρνισι τὰς ἐκφυάδας οἱ μὲν ἰχθύες ἄνω πρὸς τὴν κοιλίαν, τ δ ὀρνίθων οἱ ἔχοντες ἐκφυάδας, κάτω πρὸς τῷ τελ ᾗ ἐντέρῳ: è quibus conjecturamur, utcunque Philoſ. in dict. animalibus cœcum non vidiſſe, ceu ſub talium appendicum figurâ non conſpicuum: Quicquid ſit, habent ſuum appendices in piſcibus uſum, quem ille eleganter explicat: habent etiam volatilium: eundem tamen eſſe, quis crediderit? cùm inteſtina alia jam adſint, coqui vices ſubeuntia, eademq́ue magnitudo & ſtructura in ſingulis perinde non obſervetur, quæ tamen neceſſaria eſſet, ſi ceuin lacunis ingeſta ulteriùs concoquerentur: minoris quoque voracitatis indicia eſſe non poſſunt, cùm quæ iis inſtructa ſunt volatilia, æquè ciborum avida eſſe videantur: ſi carnivoris aliisque rapacibus vel nullum vel exiguum eſſe conſtaret, aliquam iis, quæ in communem alimoniam & victum cedere ſolent volatilibus, prærogativam addere poſſet, ceu in quorum cœcis ſucci nutritii particulæ reliquæ ſequeſtrentur: ſed arduum de his judicare, niſi plena accedat experientia, ad quam augendam Naturæ curioſos ardenter hortamur: Aliquid interim de inteſtini hujus in volatilibus uſu profatos eſſe, ſimulque Clar. Gliſſonii ſententiam, quam tractatui de ventriculi & inteſtinis inſeruit, expendiſſe heic ſufficiet: ita autem ille pag. 112. *Fabritius ab Aquapendente rectè notat, cœcum in pennatis duplex eſſe, & utrumq; valdè longum, at colon deeſſe. Fortè duplex illud cœcum coli defectum ſupplet. Fallitur autem ubi quadrupedibus omnibus ſimplex cœcum aſſerit*: Uſus iſte veriſimilis ſatis eſt, inprimis ſi conſiderare libuerit, recto ferè ductu inteſtinum craſſum verſùs cloacam pergere: Vaſorum verò, glandularumq́; in illo conſpicuarum copia, nobiliorem adhuc evincunt, ſucci viz. chyloſi reſidui per vaſa venoſa, reſumptionem perſuadẽt, quæ in volatilibus nonniſi per meſaraica, lacteorum, defectu contingit. Fallitur autem ſimul Gliſſonius, quando hunc cœci duplicati uſum volatilibus quibusvis adſcribit, cum in non paucis perexiguum ſit.

OBSERV.

Observ. XX.

Ductus Hepaticus triplex. Glandula canum pinealis.

D. X. Decembr. A. 1681. in hepate canis laqueo ſtrangulati, ductum hepaticum triplicem, cum cyſtico versùs ductum communem pergentem animadvertimus, vaſis lymphicis ſecundùm portæ ramos, cujus truncum coronæ inſtar ambiebant, & veſiculæ fellis productionem egregiè micantibus, quod ipſum iterata abhinc canicidia, magis confirmârunt. In iisdem in glandulæ pinealis ſtructuram, (de quâ multa Celebris Carteſius) inquiſivimus, ſed talem, ceu vulgò deſcribitur, nec tum, nec An. 1683. quum præſentibus pluribus Philiatris, hanc ipſam ſtudiosè denuò ſcrutaremur, reperimus,

Scholium.

Bilem in glanduloſis hepatis acinis ſequeſtrari, variisque particulis pollere, prodr. Phyſiolog. cap. 3. p. 39. docuimus; ſecretionem hanc neceſſariam eſſe, ſive emolumentum, quod in maſſam humoralem inde redundat, utpote, quæ à particulis in luxuriem pronis ita liberatur, ſive uſum non exiguum, quem in chyli à fæcibus alvinis ſeparatione præſtat attendamus, ductus extra hepatis pomœria conſpicui ſatis evincunt, ceu apertiſſimæ viæ, quas provida natura, pro ſequeſtrati humoris ſufficienti exoneratione cudit: In homine equidem cui hepar in plures lobos non eſt diviſum, præter ductum hepaticum ſimplicem, qui cum cyſtico deinceps jungitur, alius non animadvertitur, eò quòd hic omnem humorem, quem ejus ramuli ex tubulis integri hepatis advehunt, recipere poterat. In iis verò animantibus, quorum hepar lobuloſum eſt, plures etiam ductus natura extruxit, ut nuſquam in actione ſuâ præpediretur: Neque tamen ductuum illorum conjunctio, in omnibus perinde ſimilis obſervatur, ceu in gallinæ examine docuimus, quin imò cyſtico deſtituuntur plurima animalia, quæ poro bilario nunquam carent, ſi Excellentiſſ. Gliſſon. credimus, (vid. ſis cap. XVI. Anat. hep.) id quod impoſuiſſe videtur Ariſtot. ut l. 1. hiſt. anim. cap. XVII. τὸ ἧπαρ ὡς μὲν ὅλῃ τὸ πολὺ, καὶ ἐν τοῖς πλείοσιν οὐκ ἔχειν χολὴν aſſereret. & l. 2. cap. XV. catalogum aliquem ſiſteret (vid. Schol. ad Anat. Aquil.) eorum quibus fel deeſſe comperit, quæ tamen ſingula majori indagine opus habere videntur; nec

enim propterea huic vel bili, in usu suo quidquam decedit, quem varium omninò Authores hactenus inquisiverunt, sibi nec dum prorsus congrui: in equis vesiculæ felleæ vices præstat porus hepaticus, propter intestinum expansus ac dilatatus sacci similitudine, quod notavit Nobiliss. Pejerus, Professor maximè industrius: In hinnulo, quem mens. Octobr. 1684. præsentibus Viris Clariss. D. Theodorico Schorkopf Hildesiens. D. Ulrico Hanhardo Vitoduran. jam Med. Doct. & D. Daniel. Kartschero Med. C. Brig. Siles. dissecuimus, vesicula quidem fellis defuit, at non ductus hepaticus, qui oblongus amplusque ad ʒ aliquot, parti hepatis cavæ inhærebat, quod ipsum deinceps in cervis, singulari Sereniss. Princ. Durlacens. Friderici Magni, Domini nostri Clementiss. gratiâ nuperis venationibus mactati, evidentissimè deteximus: pariter etiam de aliis sentiendum videtur, quibus vel ipsius ductus artificiosa structura, vesiculæ vices naturâ supplet: Guilielmus Cole Anglus, quâ emicuit ingenii acie, secus quàm Clariss. Glisson. cap. XX. Anat. Hep. sensit, vesiculam fellis non tam per radices suas, quæ tamen pluribus in animalibus nobis evidenter visæ sunt) quàm à bile ductus hepatici impleri, pluribus argumentis contendit, ad quæ priusquam aliquid dicamus, Celeberr. Malpighii sententiam tantisper audire libet, cujus ille in suo de secretione animali libello erudito, mentionem injicit: *Et sanè*, (inquit) *partem bilis in vesiculâ contentæ, ex glandulis miliaribus, quas per ejus tunicam dispergi observavit Cl. Malpighius cap. 4. de hep. delibari rationi consentaneum videtur.* Certè in locum cit. studiosè inquirentibus, verba ista non comparuerunt, sed contraria potiùs cap. 5. ubi, quòd porus biliarius, velut peculiare vas hepati inserviat, demonstrat, addendo certum esse, porum biliarium cystisque radices, solas esse vias, quibus bilis commeatus habeatur, quod ipsum confirmare videtur p. m. 13. cap. VII. habetur verò præfati Viri locus cap. VI. de liene p. 235. petitque illic Malpighius humanissimus, ut ista in additamentum & moderationem à se dictorum de hepate benignè accipiantur. Nos autem, (præterquam quòd D. Cole sententiæ roboris nihil hinc accedit, imprimis cùm nec ratione consistentiæ liquoris in vesiculâ contenti usquequaque consentiat, quam *hic* à morâ, *ille* verò à glandulis ferè ipsis evomentibus derivare videtur) glandularum miliarium omni laude dignissimum inventum, vesicæ per proprias radices impletioni, in iis saltèm animalibus, in quibus tubuli versùs ipsam pergentes negari nequeunt, prorsus obstare non arbitramur, nî ἀυλοψίαν & ratiocinia hinc desumpta, omninò repudianda esse dicere velis; absit enim ut naturam, quidquam frustra credidisse asseramus: accedit huc, quòd ductus hi in communem ubique non coeant, ceu istud Excellentiss. Malpighius quoque notavit, nosque in graculo, qui ex viperæ morsu periit, distinctè rursum monstravimus: *Avium*

sanè

ſanè plurimis, inquit Celebris Pejerus, *imò & piſcibus nonnullis*, *uterque ductus ſeorſim ad inteſtina fertur*: *At commercium tamen per hepar intercedit*: *nam inflato poro hepatico*, *veſiculam fellis confeſtim intumuiſſe vidimus* : Necdum capimus, quî fibrarum carnearum motus, ob bilem in ductum cyſticum magis quàm inteſtina propellendam, inſtitui dici poſſit, inprimis ubi hunc ad uſque ductum communem vigere conceperimus : ipſa quoque veſiculæ & ductuum ſituatio, (ſepoſitâ tantiſper humoris versùs inferiora pari facilitate ac ſuperiora ruentis fluiditate) in iis maximè animalibus, quæ prona ſpectant, iſtam verſus veſiculam regurgitationem difficilem reddere potis eſt : Clariſſ. Malpighii obſervationes in viperis & conſimilibus, de veſiculâ fellis, longo intervallo ab hepate diſſociatâ, fatemur ſpernendas non eſſe, nec tamen inde D. Cole, quod tamen contendit acriter, p. 239. opinio confirmatur, præterquam enim quòd pori biliarii extremitati in inteſtinum hianti, demum meatus cyſticus nectitur, ipſe D. Malpighius aſtruit, liquori in poro contento, dum iſte communem meatum ſubit, continuò & ſenſim ex biliariâ veſicâ reliquum affundi, non vero hinc in illam quidpiam aſcendere : præcipuum verò quod in iterata Ann. 1684. viperarum enterotomiâ obſervavimus, ſunt vaſcula exilia ſed elegantia, quibus veſicula in hoc inſecto perreptatur, ceu nobiscum viderunt D. Schorkopf, D. Lehenherr, D. Hanhard. Med. Doct. atque ab his materiam ſuppeditari veriſimile eſt : aliàs ſeri in mucum aliqualem hinc faceſſentis, & interiorem veſicæ felleæ faciem oblinentis, fontem arteriolas credidimus, ſecretorium verò ſive nominatas glandulas, ſive membraneam, eamque artificioſam veſicæ ſtructuram glandulosæ æmulam, reliquis humoribus rutilo & limpido, cùm per venulas tum in vaſcula lymphica (vid. ſis Diſſertat. de Viſcer. ſtruct. par. 69.) ſolenniter remeantibus : ſed ad reliqua etiam Excellentiſſ. Cole ratiocinia, aliquid dicendum eſt. 1. petitum eſt à vaſculorum exiguitate & paucitate, quæ huic muneri, cùm veſica ſæpiùs in die, ſatisque magnâ copiâ ſarcinam ſuam deponat, improportionata videantur : aſt ſuppoſitâ nec dum conceſſâ continuâ cyſtis depletione, (cùm vel ipſa veſiculæ vox humoris ſequeſtrati retentionem aliquam involvat, inprimis ſi ad annulum fibroſum, ejus cervicem coarctantem, attendere libuerit) pace tanti Viri dixerimus, ſatis materiæ à glandulis ſuggeri non poſſe ; aut enim illas à ſuo munere feriari, aut per arteriolas particulas idoneas non ſemper afferri, ſtatuendum : Utrum autem aſſumatur, in ſtatu naturali ἄτοπον eſt : jam modò duo ſint tubuli, per hosce continuò ferè bilis ſecretæ guttulam deferri, quid vetat? 2. eo nititur fundamento, quòd bilis ex poro biliario in cyſtin ingreſſum, nulla valvula impediat, atque illa levi digitorum compreſſione, prorſum ac retrorſum adigi poſſit : Enimverò ab illo quod in animali mortuo agere licet, ad ſtatum naturalem

non videtur prorſus argumentandum, præprimis ubi fibrarum verſus inteſtinum vergentis motus, ac ductuum iſthuc procumbentium rationem habuerimus, quo accedere poteſt ipſius bilis è veſiculâ fellis eodem tempore occurſatio; diverſitas autem vel nulla vel exigua, quæ inter utrumque humorem intercedit, nullatenus veſicæ ex poro impletionem evincit magis, quàm è glandulis hepaticis, per ductus convenientes uni eidemque actioni, ſtatâ naturæ lege intentis: indeque iis animantibus, quibus natura illam conceſſit, ceu idoneum reſervatorium humoris ſive copioſi ſive utilis inſervire poteſt: 3. ἀνλοψίᾳ refutat cùm aliorum tum noſtra, & Cl. Gliſſonii experientia, de quâ vid. ſis cap. XIII. & XX. p. 126. & 168. malè hinc ſubſumit Vir laudatus p. 237. *cùm præ tali vaſorum diſtributione, ſatis commodè totum per porum biliarium exterminari poteſt, cùmq; promptè adeò per meatum cyſticum ex poro impleri poteſt veſicula, cur gratis ſupponamus naturam regularem ſuam & ſimplicem methodum deſerendo, pluribus condendis vaſis damnandam iri, ut id idem opus exequatur*; ſunt enim naturæ fines ſui & ſcopi, certi ac determinati, nec ſi ob hoſce liquoris ejusdem in diverſis partibus depoſitionem molitur, culpanda eſt: quin imò tum culpæ rea fieret, ſi, quod ex poro ordinatis ad hanc actionem fibris, immediate perficere poſſet, aliâ aſſumptâ viâ, veſiculæ primùm committeret; præterquam enim quòd pori & meatus cyſtici ſupra memorata disjunctio, manifeſtè ejus hypotheſi refragatur, etiam ille finis, quem Cl. Cole prætendit, erroneus eſt & caducus, de bilis viz. in poro contentæ acrimoniâ, demulcendâ ope liquoris, quam ex glandulis Malpighianis extillatum veſicula ſuſcipit: eædem enim glandulæ etiam ductus hepatici faciem interiorem ſtipant, acrimoniæ ſuppoſitæ actione ſuâ ſatis proſpecturæ, quamvis talis particularum ſtatus, ob quem deliniri opus habeant, nobis nondum fiat veriſimilis: Iſtis tamen omnibus veſiculæ uſus & neceſſitas, forſan nondum pateſcit, præſertim quod ex animantibus aliquâ iſtâ careant, non quidem ideò, ac ſi equi pabulo minùs exaltato veſcentes, aliquanto acriori fermento, ceu Clariſſ. Cole opinatur, maſſæ chyloſæ imperfectiori adhuc, in inteſtinis affundendo indigeant, cùm cervi & damæ, eodem pabulo fruentia, illâ pariter non potiantur, quæ tamen ruminatione continuâ, pro ingeſtorum ſubactione, fermenti acrioris auxilio opus habere non videntur, ſed quod iſtâ, quam ſequeſtratâ ſuperius nectere tantiſper innuimus, morâ chylificationis abſolutioni inſerviat, fæcumq; commodæ præcipitationi, inprimis ſi craſſiuſculam magis eſſe ſtatuere placuerit: & quis valdopere obſtrepet, ubi unius alterius vé ductus, hepatici maximè obſtructionem facilè accidere poſſe ruminaverit: Ea verò difficultas fortè majoris eſt momenti, quod bos & vacca, quæ ex ruminantium numero itidem ſunt, veſiculâ fellis grandiuſculâ, pro magnitudine animantis, inſtruantur, at auſimus dicere,

eam

eam nobis visam fuisse ductus hepatici in cervis structurã, quâ non modò liquoris copiam recipere, sed eidem etiam moram aliquam intra suos parietes & anfractus concedere possit; est enim velut coarctata & ramificata vesica: nescimus quoq; an fera hæc ruminantia frequentiùs & copiosiùs aliis cibum ingerant, unde fermenti continuâ alluitione indigerent, quod de equis D. Cole suspicabatur: similiter animum subiit an cervi & damæ, qui boum instar nec jugo subjiciuntur, nec carnem æquè sapidam habent, imò secus ac vaccæ, lacteum vectigal dietim non exhibent, particularum oleosarum minorem copiam fortè cumulent, dum agilitate & cursus velocitate plus illis absumunt, ductuique hepatico illud tantùm exhibent, quod pro animalis bene esse sufficere potest: quia verò ista bilis in vesiculâ ineptitudinem aliquam involvere videntur, atque in bobus natura nimiæ bili per ductum hepaticum exterminandæ, perinde insistere possit, malumus ratiocinia ista seponere, prioribus contenti, dum certiora & meliora affulserint: in viperis præterquam quod vascula evidenter notantur, etiam exiles ductus, licet visu statim percipi non possint, ex hepate illuc abeuntes, protenus negandi non sunt: In volatilibus verò, utriusque ductus dissociatio, forsan demonstrat vesiculæ liquorem crassiorem, fluiditatem ejus, qui in poro conspicitur, aliquomodo corrigere, fæcibusque excludendis oleositate suâ admodum inservire, non tam vias lubricas reddendo vel irritando, quàm massæ solutæ fluidiori consistentiam aliquam addendo: atque iste usus, præter alios, de quibus alibi, minimè contemnendus est, cui adjungit Excellentiss. Rivinus Dissertat. Physiolog. de Bile, quod ab ejus admixtione, particulæ alimentorum oleosæ & terreæ cum serosis placidè combinentur, sicque præcaveatur, ne vel oleosæ guttulæ chylo supernatent, vel terrestres atomi omnes secedant, & cum fæcibus alvinis ejiciantur. Præcipuum verò sagaciss imus Bohnius, Acta Lipsiensia ingeniosè pariter ac summo cum judicio conscripta lustrantibus, scrupulum circa Vesicæ felleæ usum nobis oggessit, dum aperto vivi canis abdomine, omnem ex vesicâ humorem se expressisse, ductumque cysticum ligâsse scribit expectaturus an nihilominus, si subjectum aliquandiu superstes foret, aliquid bilis, non obstante hoc vinculo, negatoque folliculo fellis cum poro epatico commercio, in illâ colligeretur, at nihil fellis, sed loco hujus tantillum sanguinis congrumati & sapore amaricante, sine dubio bilis expressæ reliquiis tincti deprehendit: Verùm præterquam quod ductus ligaturâ stringi potuerunt ipsæ vesicæ biliariæ fibræ interiores sicque introitus tantisper negari, ceu notamus in renibus calculo affectis nihil etiam hinc pro D. Cole sententiâ universaliter elicitur, siquidem laudatus Vir subjungit: *Quo sanè experimento in eo confirmatus fui, in cane, homine, similibusq; animalibus, quibus pori hepatici & cystici adæquata contingit communicatio*

municatio, notabilem (non omnem) bilis quantitatem, ab hepatico ad cystin, per hujus meatum secedere. Certè ubi tubuli cholodochi manifestè vesicam versus ferri videntur, quis humoris meatum tutò inficiabitur? possemus etiam hîc naturæ providentiam laudare, in condendis vasis lymphicis, circa ipsum portæ truncum maximè conspicuis, quorum ope dum laticis aquosi portio, reliquo corpori utilis futura revehitur in receptaculum & sanguinis oceanum, bilis quoque sequestratio facilitatur & promovetur: ast de his plus satis alii: De glandula pineali pluribus olim cum Clariss. Pythagorâ nostro egimus, quam albicantem, uti in vitulo, ove, homine, in cane nunquam reperimus, utpote in quo præter fimbriarum rutilarum tortuosas propagines, nihil conspicere poteramus, ferè hinc cum Excellentiss. Brunnero de ejus præsentiâ dubitavimus, donec scrupulum omnem *ille* nobis eximeret, in literis d. VII. Jan. Ann. 1684. ad nos datis: *Ex quo*, inquit, *de glandulâ pineali caninâ ad me scripsisti, periculum nuper feci, cumq; in rem venissem præsentem, id ipsum inveni, quod tu desiderabas, nempe glandulam pinealem in cerebro canis majusculi, sitam super pontem medullosum, inter eas partes, quas obscœnis nominibus nates & vulvam nominant: Parvula est, sed piniforma, paulumq; rubet, atque radices ostentat insignes, medullosas utrinque*: atque hinc quid nos deceperit, non modò ipsi vidimus, sed & φιλιάτροις aliis, qui, experimentis succi cicutæ terrestris adstiterunt, iteratis canicidiis demonstravimus.

Observ. XXI.

De Lacertarum interaneis.

Lacertas cùm mares tum femellas, præsentibus Vir. Clariss. D. Müllero Tugiens. Doct. Med. D. Uriel. Ritzio Pharmacopolâ, D. Licent. Speckero aliisvé frequenter & studiosè examinavimus: Medius venter cor exhibuit conicum, dextrâ auriculâ instructum, in quod ex hepate majusculo vas hæmagogum pergebat: situm cœterà obtinuit inter utramque vesiculam pulmonalem, ad radicem ferè colli: Arteria aspera, quæ per oblongam vesicularum substantiam disseminatur, scitè fabricata est, non minùs ac membranæ, quibus illæ hepati, ventriculo qui sub iis superiora versus tendit, & partibus lateralibus connectuntur. In imo ventre conspicuus est ventriculus oblongus cum œsophago & intestinis: membraneus hic erat prorsus & ab ingestis distentus, sub quo delituit pancreas parvulum, albicans, glandulosum: Intestina aliquantum intorta & circumvoluta, ad caudam usque

uſque progrediuntur, cum membranâ quæ meſenterium eſſe videtur, vaſis utpote copioſis micante, undique cohærentia. Hepate gaudent majuſculo, rotundo, lobuloſo & glanduloſo, ſubpallido, quod vaſa inſignia, cùm verſus meſenterium, tum in femellis ovarium verſus diſpergit: parte ejus gibbâ quaſi inter duas fiſſuras, ſpectari poteſt veſicula fellis, humore limpido & flaveſcente plena, tubulisque cyſticis parte cavâ eleganter donata: ductus ab iſtâ pergit evidens (cui ab altero hepatis lobulo alius commiſcetur, qui cum pancreatis in duodeni cavum ſe exonerat: ex ſiniſtrâ parte adjacet lien rubellus, parvulus. Arteria magna ſecundùm ſpinæ longitudinem deſcendens, vaſa innumera verſus ventriculum, meſenterium, teſtes &c. diſſeminat: Ova in femellis plurima reperimus, majuſcula rotunda, vitellum referentia, minuſcula alia, limpida utrique utero cellulato adjacentia, vaſculisque plurimis conſperſa. Vulvâ donantur duplici, intercedente interſtitio disjunctâ, cui duplex uterus reſpondet. Mares teſtes ſub hepate ex dextrâ, & ſiniſtrâ parte locatos habent flaveſcentes, figurâ & magnitudine fabæ minoris: armatis oculis quum hos intueremur, punctis rutilis innumeris ceu tot vaſculorum indicibus micabant, quibus parte ſuperiore acceſſerunt maculæ nigricantes, à membranâ fortè, cum quâ nectuntur impreſſæ, diſlecti verò ex meris vaſculis, humore albido, turgidis conflari apparuerunt, adjacentibus exteriùs epididymis albis, oblongis, denſiuſculis, inter quorum interſtitia fimbriæ rutilæ variè erant diſperſæ, à quibus vaſa ejaculatoria, ſemine albido refertiſsima, & patulâ cavitate inſtructa, juxta ſpinam, renum ſubſtantiam arctiùs lambendo, in caudam uſque verſus penem duplicem terminantur: in femellis Renes paulò infra ovarium ſiti ſunt, oblongi, atque hi cum vaſis deferentibus caudam verſus abeunt. Penis preſſâ caudâ quaſi bifurcatus prodiit, oblongus, muſculisque convenientibus firmatus, caput ejus, ſi nudis oculis intuearis, quaſi ex plurimis vaſis ſerratè complicatum comparebit. Lingua huic inſecto bifida eſt, longiuſcula, dentes verò tum anterius, tum interius palatum verſus, in utrâque maxillâ acutiſsimi: ſenſuum quoque organa artificiosè fabrefacta, cum cerebri compage, &c.

SCHO-

SCHOLIUM.

De lacertis multa heic dicere non habemus: Insectum est, quod redeuntibus Solis deliciis è latebris progreditur, victum suum ulterius quæritaturum; nec enim scimus an in cavernulis, quas pro domicilio parat, aliquid alimenti colligat, vel inferat, sive muscas, sive alia liquoris quem è glandulis femoralibus prorependo exprimit, ope irretiat, quin imò authorum fidei magis respondet, brumam dormiendo aut aliàs torpendo illud transigere: de pabulo quoque naturali usquequaque certi non sumus, nigricabant tamen ventriculi contenta, compacta & attrita: pariter etiam nigricavit membrana abdomen integens, à liquore haud dubiè exudante, hocque colore alias partes infecit: Aristot. l. VIII. histor. anim. cap. XIV. & XV. hyeme lacertas alimentum non sumere constanter asserit, dum: τὰ δ' ἔνδομα χεῖλον ἄπαντα φωλεῖ ἔχεμῶνα, φωλεῖ δὲ τὰ μὲν πλείους ἡμέρας. τὰ δὲ τὰς χειμερωτέρας: φωλεῖ δὲ καὶ τὰ πολλὰ τῶν ἐναίμων, οἷον τά τε φωλιδωτὰ: ὄφεις τε καὶ σαῦραι. τέτταρας μῆνας τὰς χειμερωτάτας, καὶ οὐκ ἐσθίουσιν οὐδέν: quibus etiamsi libenter subscribamus, ratio tamen quam de apum jejunio affert, fortè heic infallibilis non est, quòd erepentes jejunæ spectentur, ventre translucente, nulloque penitus contento, quod manifestum sit: nec enim tantùm cibi necessariò suppetit, quo venter turgescat, & quantum æstivo tempore, oberrantes & excitatæ, Venerique indulgentes, cùm plus dissipent, ingerere opus habent: Eo ipso verò, quòd cavernas suas æquè promptè non repetunt, nec eadem cum aliis diuturnitate incolunt, testimonium suggeritur caloris paulò acrioris, cujusmodi ranæ, cochleæ aliave habere non videntur, unde etiam de pabulo tempestivè quærendo sollicitæ esse videntur. Materia certè solaris, uti ova hujus insecti influxu suo excitat, quo fœtus contentus pullulet, ita ipsiusmet liquorem vitalem in motu tantisper torpescentem irrorare, suoque recessu, instante brumâ languidiorem reddere videtur. Pro alimenti ore assumpti commodâ comminutione, dentibus natura prospexit, maximopere necessariis, si cochleis eas insidiari verum est, quod Matthiol. in lib. 2. Dioscorid. astruit: an isti ad ictum æquè faciant, hactenus nemo expediit: de viperarum morsu infrà agemus, de amphisbænâ istud asserit Dioscorides: de Lacertis non venenatis, albis, coloratis ac duplici interdum caudâ præditis, in Insulâ Javâ, quæ nec pungant nec mordeant, agit Clariss. Otto Helbigius Ephemer. Nat. Cur. Ann. IX. & X. è quibus utcunque colligere licet, venenatas ab ipso præsupponi: Rarissima sunt apud nos ictus hujus animalis exempla, cùm meticulosum videatur magis, quàm homini audacter insidians: tamen captum irritatumvé rinxisse & ad

morum

morſum maxillas variè diducendo ſe paraſſe, dubiumque nobis non eſt, quin ad iram concitati morſus ſatis nocivi eſſent, inprimis ſi à ſpiritibus irritatis (quos tamen D. Charras non ſatis intellexit) labes inferri ſolita præcipuè petenda foret, de quâ hypotheſi ſuo loco plenius dicetur: Exemplum heic enarrabimus ſingulare, cujus prolixiorem Hiſtoriam Reverend. D. Paſtori Bartenſchlag debemus: Frater ejus, puer adhuc, cùm blandientibus Solis radiis, æſtivo tempore, corpus lavando refeciſſet, in viridi prato feſſus tantiſper dormitavit, hincque expergefactus domum perrexit, de nullo incommodo magnopere conqueſtus: pauxillo autem poſt tempore malè habere cepit, ſenſimque in deterius labaſcere, cadente appetitu, febrique lentâ, quam corporis emaciatio confirmavit, magis magisque ſubrepente, ceu Medicus, cujus curam tum ſuſtinuit, hariolatus fuit) Varia hunc ob finem adhibita remedia, pro putrilagine, quam *ille* arguebat eliminandâ, ſed in caſſum: poſtquam aliquandiu miſerè ita decubuiſſet, ingentiſſima acceſſerunt tormina abdominis; cum dolore rodente pertinaci, cui utcunque cauſam legitimam aſſignare difficile erat: tandem vero nemine de tali cogitante, per alvum lacertulam excrevit, quæ deinceps, ceu priſtinum repetitura eſſet antrum, ſimulare adſtantibus viſa fuit: aſt levamen integrum inde non habuit, quin viribus prorſus effractis, paulò poſt vivere deſineret. Unde nam fœtus iſte, & qui domicilium iſthoc ſubingredi & tam funeſtos inſultus parere potuerit, diu fuit hæſitatum, maximam partem credentibus, inter dormitandum irrepſiſſe, & ſi ſemel ejectæ regrediendi occaſio conceſſa fuiſſet, ægrotum à veneno relicto immunem potuiſſe præſtari. Si noſtro ratiocinio heic locus eſt, fœtum hunc intra corpus miſelli hujus prodiiſſe, nec per os, ſomno quamvis detento, irrepſiſſe autumamus; nec enim veriſimile, ſoporem adeò profundum fuiſſe, ut hoſtem latebras inſolitas & ignotas petentem, nullatenus perceperit, vel hunc ipſum intra ventriculi pomœria detentum, morſus pedumque nocivas motitationes ſuſpendiſſe vel celâſſe: malum certè paulatim pullulans & ſuccreſcens, ovum hauſtu aquæ impuræ ſuſceptum, atque ab hujus miaſmatibus, tum ingeſta, tum verò maſſam humoralem præcipuè infectam fuiſſe, ſuadet, unde febri ſenſim anſa dabatur, quæ accrevit magis, inſecto in inteſtinis commodum ſuſcitato & augmentum capeſſente, donec alimento deficiente, abraſo inteſtinali muco, dolores enormes ſubſecuti ſunt, vitæque tandem diſpendium, non à relictis veneni quibusdam particulis, ſed à labe inemendabili inteſtinis ab animali rodente & irritante illatâ, cui præcedens humoralis maſſæ corruptela jungenda eſt. Sed ad partium genitalium ſcrutinium: Elegantiſſimæ ſunt hæ non in lacertis modò, ſed viperis quoque ſerpentibus aliisvé duplici pene & utero pariter cum iis inſtructis, ut liquoris ſpirituoſi ejacula-

tio, pro ovulorum plurium fœcundatione, commodè succederet, materiam secernente vasculosâ testium substantiâ, de quâ pluribus Cl. Regnerus de Graef in erudito de organ. Viror. tractat. de glandulosâ eadem nos quoque Prodr. Physiolog. c. de sem. mar. egimus, nec asserti pœnitet, ceu in Exercit. Anatom. ostendimus, siquidem indubiæ veritatis sit, pro partium variâ structurâ, variorum quoque liquorum secretiones fieri, indeque glandulæ essentiam, non tam in carne illâ, quam glandulosam olim vocârunt, quàm actionis quâ funguntur, perfectione consistere, ut alia jam de quibus in Exercit. & Nobiliss. Pejerus in merycolog. suâ silentio prætereamus: Subtilissima certè & innumera filamenta, vasculorumque sanguiferorum cum nerveis intertextis furculi exigui, de quibus puncta rutila in lacertis conspicua testantur, satis ut auguramur evincunt liquoris spirituosi secretionem, ut frustra sint qui astruere nituntur, vel serum tantùm esse, vel materiam ejus è nervis solis derivant: atque cum ejuscemodi vasculis epididymi itidem fruantur, non è testibus, quidquid parastatis tradunt, accepisse statuendum videtur, nî pro vasorum modò nutritione, aut sanguinis, si quis permistus esset adhuc, revectione illa destinata esse dicere velimus, quod tamen ratiocinium in adultis magnopere placere non potest.

Observ. XXII.

Anatome Muris Alpini.

Ad Virum Celebratiss. JACOBUM WALDSCHMID, Archiatr. Hassiac.

An. 1682. quum in thermis Fabariensibus degeremus, Venator loci, qui nuper Rupicapram attulerat, murem alpinum, vivum adhuc donavit, auriculis ursi: colore leporis, caudâ oblongiusculâ, ceu quoque pedum digiti sunt, magnitudine cuniculi. Ventriculi & intestinorum facies, Porcelli Indici ferè similis erat: simplex ille fuit, tenuis membranaceus, à cujus sinistris lien rubellus, longiusculus, teres, à dextris verò hepar quatuor lobis conspicuum, cujus cavum cystis fellea occupavit: Mesenterium pingue, cujusmodi pinguedine etiam capsulæ atrabilariæ infarctæ erant: Renes phaseolum perbellè imitabantur: Ovarium elegans, cor cum pulmonibus uti in aliis hujus generis animantibus: Anno sequenti, urgente brumæ sævitiâ, oblati nobis fuerunt

runt ex Valleſiâ Muſculi duo dormitantes,& in ſemet ipſos prorſus revoluti, ut inſtar pilæ quocunque libuerit, illos volutare licuerit, reſpiratione manu abdomini adhibitâ vix perceptibili: paulatim tamen in loco calido detenti, per corporis blandam expanſionem, vitæ indicia exhibuerunt, & quod adhuc magis oculos recreabat, poſt meridiem in camerâ lucidâ Solis radiis expoſiti, alacriter revixerunt & diſcurrerunt: iisdem verò recedentibus, paulatim ad priſtinum morem obdormierunt: In utriusque ſectione præter modò nominatas partes, plurimas glandulas mammarias æmulantes, in dorſo cervicem verſus conſpicati fuimus.

SCHOLIUM.

Muris alpini enutritione, & hinc ſectione Excell. Velſchius etiam delectatus fuit, ceu videre eſt Obſerv.160. Ann.1.Ephemerid.Germ. & Clariſſ. Fabricius Hildanus Obſerv. Chirurg. Cent. VI. Obſ. 97. plura de animali hoc lectu non minus jucunda, quàm utilia commemorat. Sunt denique Authores alii, inter quos præprimis eſt Stumpfius in ſuo Chronico, qui de ipſius docilitate multa debuccinant, quibus fidem prorſus non denegamus. Naturæ providentia eſt & hujus Authoris, ſui tutelam animantibus variè commendantis, quòd ſub terrâ ſe tam artificiosè abſcondant, parentque domicilium adverſus hoſtem externum, quo ipſo equidem quam gnaviter ejus dictamini obſequantur, rationis expertia, homini palam fit: nec verò locum tutiorem in alpibus degens, totamque hyemem ſtertens, quærere potuiſſet, quàm terræ reconditos ſinus: boreæ enim ſpicula, cohibendo & figendo ſanguinis, in quo vita ipſorum conſiſtit, motum, deſtructionem protenus inferrent, à quibus immune tantiſper perſiſtit, in ſpecubus deliteſcens, foribus terrâ fortiter obſeratis: Id autem aſſerere nondum audemus, quod aliqui audacter contendunt, animal humi ſtratum, & inſtar plauſtri fœno onuſtum, ab aliis caudam prehendentibus, ſpecum verſus trahi, cujus indicio ſit dorſum pilis denudatum: ſcimus iſta à Venatoribus perhiberi, ſed num teſtes oculati ſint, ignoramus: Geſticuloſum ſatis eſt & feſtivum animal, ſuæque alimoniæ ſtudioſum, quam tamen æſtivo tempore ſibi facilè parat unumquodque: nec caret ſuis inſidiis, quas ingruente hyemis ſævitiâ frequentiſſimas eſſe nobis conſtat: attendunt ſiquidem ad foveas ipſorum alpium incolæ æſtate, & inde tempore opportuno mures iſtos dormitantes multo numero capiunt: Habet etiam uſum ſuum dorſi caro glanduloſa (quam munimenti loco inſervire, dum dicto vectionis offi-

cio funguntur, Hildanus auguratus eſt) eumque nobilem, materiæ viz. oleaginoſæ, ſulphureæ, in pinguedinem deinceps tranſeuntis, ſecretionem paulatinam, cujusmodi etiam in abdomine, & pellem inter & muſculos copiosè ſequeſtratur, imò tantùm non ibi in certas quaſi veſiculas reconditur, quod æſtivo tempore, ubi pabulo ſaginantur, animadvertere eſt facilius quàm hyemali, cùm per pluſculum tempus dormierunt, tunc enim illa ſenſim funditur, perque vaſa convenientia reſorbetur, pro fluidi motûs conſervatione, vitæque ſuſtentatione, inde macreſcunt valdopere, nec eſcam pariter accommodatam vel ſapidam præbent, quod etiam de cochleis ſuo tempore monſtrabimus: Illuſtrationem verò nî fallimur, merentur, quæ laudat. obſervat. Hildanus memorat. *Primò*, inquit, *occurrit pellis, in quâ raritas & paucitas pilorum & lanæ, obſervatione dignæ eſt. Unus enim cuniculus, qui magnitudine murem alpinum exæquat, hoc tempore hyemali plus habet crinium & lanæ, quàm duo mures alpini: Putasne hoc ſine cauſa à ſummo Creatore ita factum fuiſſe? minimè. Quia enim animal hoc in autumno ſe abſcondit, & per totam hyemem in cavernis profundis & calidis dormit, & nonniſi in fine veris quando aër iterum incaleſcit, ex locis iſtis ſubterraneis & calidis prodit, ſuperfluum fuiſſet, ſi crinibus, lanâ, uti reliqua animalia, quæ dies noctesq; aeris inclementiæ, imbribus ac nivibus expoſitæ ſunt, veſtitum, onuſtumq; fuiſſet: ſuperfluum, inquam non ſolùm, verùm etiam damnoſum id fuiſſet: Calor enim ille externus & adventitius, calorem innatum exſtingueret, humidumq; radicale animalis abſumeret, & vix ad æſtatem ſuperviveret: ſcribit Excellentiſſ. Geſnerus, ſe murem Alpinum dormiturientem, initio hyemis in vas ligneum, ſcandulis abiegenis concinnatum, & fœno ſemiplenum, addito ſuo operculo depoſuiſſe, & poſt dies aliquot mortuum reperiiſſe: Cauſam fuiſſe reſpirationem excluſam exiſtimat Geſnerus: Ego potiùs calorem illum nimium fœni & vaporem ſulphureum in ipſo contentum mortem acceleraſſe arbitror: In ipſis enim montibus, ut idem Geſnerus teſtatur, aditus cavernarum tam ſolidè arctèq; occludunt, ut mirum ſit, quî fiat, quòd reſpiratio iis non intercipiatur:* hæc ille: quibus vereor, ut noſtra ſententia prorſus conſona ſit, i. enim noſtri hyemales hoſpites pelle ſatis pilosâ, quamvis teneriore fuerunt inſtructi: argumentum verò, quod de aëris inclementiâ, imò caloris innati exſtinctione, humidique radicalis abſumptione depromit, forſan huc totum non quadrat: etenim nec cuniculi, Boreâ ſæviente, ſuis in cellulis deliteſcere detrectant, nec calor ille externus, quem pili exhibere poſſunt, tantus videtur, qui in foveis alpinis detentum animal, quarum exterior facies riget & congelaſcit ſæpiùs, extinguere valeat; quin imò antiperiſtaſis Ariſtotelica, contrarium potiùs evincit, terræ ſinibus internis per hanc ſatis calidis exiſtentibus, unde fluidi motus longè vegetior eſſe deberet, quàm verò in dormitantibus deprehenditur, ipſa quoque naturæ providentia, quâ ſpicula brumæ ſubterfugiunt, ceu ſummè noxiva, motumque vitalem interceptura, ſimile quid dictitare videtur: pa-

riter

riter 2do aliquantiſper miramur, quod cum fœno Excell. Geſnero contigit, cùm aliter non, quàm iſti involuti, vaſiq́ue ligneo incluſi, ad nos advehi citra damnum conſueverint: valeretq́ue maximè vapor fœni ſulphureus, nî tum temporis præcipuâ ex parte deferbuiſſet: credimus tamen, eo prorſus non rejecto, loci regionisvé rationem heic habendam eſſe, nec enim apud nos contra frigus ita obmuniendi videntur, uti in locis alpinis, ubi particulæ deleteriæ magis urgent: utq́ue hinc ad dormitationem ipſorum aliquid dicamus, dubii ſumus valdopere, an reſpiratio iis quodammodo non intercipiatur, ceu jam ulterius ibimus illuſtratum: Conſtat eruditis, eſſe cùm ex inſectis, tum volatilibus plurima, quæ hyemali adventante frigore, tantùm non emoriantur, varièq; ſeſe recondant, Solis ſub adventum cum primis æſtatis delitiis blandè revictura; imò eſſe etiam animalia grandiora inter, quæ aëris uſuræ, quamvis aſſueta, imperfectorum tamen more, per hyemem latebras quærant, in quibus tutæ ſtertere, & mutatâ ſcenâ, mortem obſtinatiſſimo ſomno referre poſſint: in hisce monente Excellentiſſ. Pechlino, illuſtr. de aliment. & aëris defectu meditatione, hoc notari debet, alia unam & perpetuam hyemem dormire, alia exactis temporum periodis movere ſe nonnihil & inſtructâ ante ſomnos penu ali, vel ex ſuo ipſorum corpore delibare, ſi Diis placet, quod deinde ſuſtentet & inferciat pellem: de ultimo genere quid ſentiendum ſit, dicere heic non vacat: Ad primi generis mures alpini referuntur: de quibus præfatus Vir Celeberr. ita nobiſcum judicat: *De mure alpino, de erinaceis quoq; noſtratibus, eos abdi certiſſimum eſt, circa Martini feſtum, & nares pedum anteriorum cavis ceu manibus excipere, cætera profundo ſomno ſepultos, nihil aliud quàm mortem ſimulare: quod adeo etiam in vivis deprehenditur, ut quo magis tundas, verberes, torqueas, eò minus ſenſum ſuperſtitem & vitalem motum manifeſtent, imò ad ſaviſſimos ferri, ignium cruciatus, ſpinoſiſſimo illo & in orbem collecto corpore obdurent: de quibus videri in actis Hafnienſium poteſt, Vir incomparabili eruditione, Olaus Borrichius, delitium noſtrum. Illud autem animal modò lentum, nunc jubente impetu pernix, inediam diutiſſimè tolerat, atque imminuta reſpiratione, ſanguiniſq; motu abditur, ad Martii demum calorem reviviſcens, murium domitor acerrimus Hic tamen nemo exiſtimare debet, animalia in ipſo corporis habitu nihil ſpirare vitæ, ſpirant enim profecto, ſed lento & indeprehenſo motu.* Eſt ſanè materiæ ſolaris in hæc inferiora influxus adeò neceſſarius, ut ferè ne per momentum quidem, corpora noſtra illo carere poſſint: in plantis res ſatis evidens eſt, quæ quo ùberius illius motu fruuntur, reſeratis terræ propriisq́ue poris, ad motum vivaciorem concitato ſucco alibili, promptè germinare incipiunt, cùm priùs per hyemem tantùm non emortuæ obriguerint: Id ipſum quoque in corporibus noſtris patet, in quibus eò vegetior eſt fluidi motus, ac promptiores ſingularum partium actiones, quòd illius præſentiâ ad votum

magis beamur, humoresque motu impertito ita disponuntur ut organa suis muniis feliciùs fungi possint: cùm econtrà brumâ ingruente, imminutâ per Solis recessum ejus motu ac præsentiâ, à particulis rigidioribus pori stringantur, occludantur, fluidumque ipsum cogatur magis ac torpescat: quod Artis nostræ Parentem latuisse non potest, qui hinc Sect. 2. aphor. 25. οἱ θερινοὶ πταρμοὶ τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες, οἱ δὲ φθινοπωρινοὶ μακροὶ, καὶ μάλιστα οἱ πρὸς τὸ χειμῶνα σωκάλονλες. Quid mirum ergò, si musculi nostri obdormiscant, ab externi hostis injuriis immunes, si ex fluidi subtilis imminuto vivifico influxu magis, vitæ animalis indicia non edant, quàm ob massæ humoralis viscositatem aliquam, cui in motum celeriorem agendo, *illud* ob sui paucitatem minùs sufficiat? Perirent certè animalia isthæc, ob alimoniæ, quam durante brumâ sibi difficillimè, imò non citra vitæ periculum pararent, defectum, si pristinos motus, in terræ specubus detentis, fluidum ingeminaret. Satiùs longè imminui ipsum, & singulari Dei providentiâ, coagulum nocivum materiæ subtilis influxu impediri: Satiùs fibram motricem feriari, spirituque irrorante, quem nervi aliàs copiosè receperunt, musculos multâ ex parte orbari, respirationemque imminui, quàm sanguinis impulsu, vasa in pulmonibus & partibus musculosis adimpleri, aërisque usu sanguinem nimiùm rarescere, qui deinceps novo fomite non accedente, cum vitæ animalis dispendio, fatiscere necesse haberet: imò satiùs in isto statu, Endymionis instar tam diu stertere, donec itu redituque caloris subterranei & solaris, motum à fluido subtili novum accipiat, qui deinde in solida perinde ac liquida transeat, vitamque restauret, succrescente paulatim novo victu conservandam: ut proin nonnisi superficiariam respirationem in iis agnoscamus, in quâ diaphragma non multùm figuram mutat, imò ita movetur, ut explorari motus ille difficulter possit. Propterea autem à motu omni cor non cessat, ceu illustris Harvéus suspicatus est, Exercit. 51. qui inde sanguinem particulam corporis principalem, cor verò & vasa transmittendi & distribuendi gratiâ extructa esse, evincere satagit: in quo posteriore adversarium magnopere habet neminem: motum autem à particulâ hâc principali, minùs feliciter separat, utpote quo ablato, prærogativa ista desinit: Jam verò quî possibile sit, sanguinem vasis suis contentum, in motu concipere, negato obscuriore vel cordis arteriarumvé motu, qualem vel ante puncti salientis comparitionem, in ovo incubato necessarium statuimus, alii judicent, qui sine isto, conceptum nec esse nec subsistere posse nobiscum nôrunt. Ast à capite quod ajunt seu vitâ, ad caudam transimus, quâ Marmotas, (sic enim animal nostrum appellat) penè destituit Scaliger Exerc. 203. Verba ipsa ceu quæ in cœteris descriptionem nostram confirmant, heic apponemus: *Quare*, inquit, *ex tuâ Philosophiâ, re-*

ctissimè

ßimè horum montibus Marmotas attribuisses: ibi enim frequentes: quarum Plinius cùm nullam fecerit mentionem, hic ultrò earum naturam scribere constituimus. Melis sunt magnitudine & pilo, caudâ enim nullâ penè: eundem quoque ad modum crura brevia, aures brevissimæ, auriculis curtissimis, atq; ad aspectum nullis: ungues longi, acuti, firmi, unci nigri: Leporum capita non malè suis capitibus referunt: hybernos totos menses transigunt sopore. &c. Similiter etiam Cardanus l. X. in historiâ murium, alpinos recenset, àque Mediolanensibus Marmotas vocatos, juxta tamen cum muribus præter nomen nihil commune habere asserit: Omnes fanè, quotquot vidimus & secuimus, caudam humipendulam habuerunt, valdèque ambigimus an in isto genere alii sint ἄκερκοι, caudatuli alii? utrumque quis reluctante ἀυλοψίᾳ asseverabit, quam fide æquè, si non magis dignam censemus, ac Johannis Struys scriptoris novitii, qui in suis peregrinationibus, Lugduni Gallicè editis, homines caudatos in Formosâ insulâ propè Sinarum oram, non paucos observati asserit.

Observ. XXIII.

De Viperarum morsu.

Ad Illustrem FRANCISCUM REDI, Nobilem Aretinum.

Jam in experimentis circa viperas faciundis occupamur, visuri quid ipsorum morsus venenatus posit. Heri quidem in columbâ, cujus alam sinistram una momorderat, funestum ipsum comperimus, alâ mox intumescente, & sanguine extravasato gangrænam unà inducente, cum spiritus dispendio, præcedentibus aliquoties motibus epilepticis: circa præcordia verò, sanguis rutilus magis & fluidus, quàm coagulatus extitit: Morderi hinc curavimus sub vesperam aurem sinistram canis mediocris magnitudinis, ab unâ alterâve, qui deinceps ingenti vomitu corripiebatur, per alvum dejiciebat fœtida, atque cùm urinam cruentam copiosè reddidisset, sex circiter horarum spatio interiit. Sectioni quam primo manè d. seq. instituimus, adfuerunt Viri aliquot Excell. & Clariss. Inter integumenta abdominis communia & musculos, sanguis extravasatus paucus hic illic conspiciebatur: paulò copiosior in epiploo. Viscera imi ventris nullam labem monstrârunt, ventriculus & intestina tantisper distenta:

ſtenta: In renibus ſanguinis extravaſati veſtigia nulla: urinæ verò tenuis & cruentæ idoneam adhuc copiam veſica exhibuit, Mediaſtinum ſanguinem extravaſatum & coagulatum variis in locis oſtendit: cujuscemodi pulmones penitùs caruerunt: Cordis thalamus dexter cum auriculâ prætumidus, ſed non renitens, inciſione factâ ſanguinem ſummè tenuem & acrem fudit, qualem etiam in vaſis majoribus, venis æquè ac arteriis offendimus. Similem quoque ſtillavit auris vulnerata inciſa.

Eodem mane morderi curavimus canem alium majorem, in crure ſiniſtro, hinc etiam in pudendis: viginti hic horas ſubſtitit, antequam corrueret: ab initio equidem evidentis noxæ nihil comparuit, poſt meridiem verò crus, quod ſummopere intumuit, affectum claudicare, & ſalivare per vices cepit: ſub veſperam alvum dejecit vehementiùs: totâ die nihil comedit, ſed quietus jacuit: urinam hinc cruentam minxit, tandemque alterâ die, poſtquam motus epileptici ipſum haud obſcurè vexâſſent, periit. Separatis integumentis præſentibus Vir. Excellentiſſ. D. D. Jo. Rod. Burcardo, D D. Rothio, aliisvé, muſculi cruri affecto interius incumbentes, planè denigrati fuerunt ac gangræna-ti, ſanguine ad aſpectum grumoſo, fluido tamen, ex læſis vaſorum oſculis ſtillante: Idem quoque in abdominis muſculis anterius & interius, maximè penè pudenda obſervavimus. Abdomine aperto, in epiploo & meſenterio, ſanguis grumoſus copiose ſatis deprehenſus fuit. In hepate nulla manifeſta labes: Veſicula fellis liquore ſuo tumuit. Renes ſalvi ac incolumes, nec veſica urinaria ita ſanguinolenta. Thorax reſeratus ſanguinem extravaſatum & coagulatum, pariter hîc illic oſtendit, in cordis præprimis auriculâ & thalamo dextris, ubi inſigniter grumuerat: ſimilem quoque in vaſis huic appenſis comperimus.

Eâdem quâ canem hunc vulneravimus die, animum ſubiit capite viperæ abſciſſo, vulnus alæ columbæ infligere, experturi, quid inde eveniret: bihorio ergò pòſt, cùm ala itidem intumuiſſet & gangrænam concepiſſet, vidimus motus convulſivos illam prehendere, tandemque corruere, liberatâ à funeſto hoc exitu gallinâ, quam vipera alia momorderat, ope ferri igniti, quod è longinquo parti vulneratæ applicuimus, & incolumi perſiſtente

capellâ

capellâ, quæ à tot morſibus inflictis, citra ullam medicamentorum exhibitionem, nihil prorſus detrimenti ſenſit, felicior in hoc cane alio, qui ex aure morſu vulneratâ, haud dubiè ſuccubuiſſet, ni Sale viperar. exhibito, mali vires infractæ fuiſſent; multum etenim auris intumuit, ipſeque laſſus, mali ſerpentis enormitatem monſtravit,

SCHOLIUM.

Nihil eſt noſtro judicio, quod mentem veritatis avidam, magis oblectet, atque in cognitione rerum naturæ magis confirmet, quàm curioſa experimenta, præcipuè de iis rebus, quas priſci ſcriptores aut omiſerunt penitus, aut ancipiti ac diversâ ratione expoſuerunt. Identidem tamen officit etiam, turbatque experimentorum contrarietas atque diſſenſus, licèt enim illa quandoque facem veritati illuſtriorem accendant, accidit nihilominus ut ipſa non rarò ſint ſuſpecta & dubia: De viperarum ſanè morſu elegantiſſima argumenta Vir Nobiliſs. in medium protuliſti, quibus cùm non parùm refragari videremus Cl. Charras in ſuâ viperæ Anatome, in rem præſentem ire nobis libuit, viperas ſubminiſtrante Peritiſſ. D. Eglingero, Pharmacopolâ quondam noſtro, qui eas ad theriacam conficiendam, è Gallia adferri curaverat: Antequam autem utriusque Veſtrûm ſententiam excutiamus, effectus in noſtris animantibus productos, tantiſper rimabimur: utque ab animali mitiſsimo oriamur, columbæ ala, venenati morſus damnum mox luit, irritatis partium membranearum & tendinoſarum incolis, in quos ſanè vel maximè vim ſuam hoſtis hic exercere videtur, ſanguinisque maſſâ infectâ, cujus portio extravaſans, gangrænam funeſtam induxit: nec immunes evaſére canes, licèt alter paulò diutiùs ſubſtiterit, cujus cauſam equidem nunc in parte morſui magis reſiſtente, nunc in ipſius veneni citiore vel tardiore communicatione quærendam arbitramur, uterque vel ſalivavit vel vomuit, alvum dejecit vehementiùs, & cruenta minxit, evidenti indicio mali, cùm fibras nerveas, ſpiritumque animalem illicò aggredientis, & in motum impetuoſiorem concitantis, unde cùm œſophagi, tum ventriculi & inteſtinorum fibræ, ad expulſionem ſtimulatæ fuerunt, tum ipſum vitæ principium maſſam humoralem graviter fundentis, unde ſanguinis nimiùm attenuati particulis ſerum imprægnatum, urinæ tincturam ſanguinolentam conciliavit, cujusmodi à ſpiritu nitro aëreo incitato, cordisque machinâ in motum vehementiorem actâ, malum quandoque ſubſequitur: Clariora hujus effectus veſtigia ſectione prodierunt, in cane præcipuè priore, utpote cujus thalami cardiaci, cum vaſis appenſis, ſanguinem tenuem & acerrimum fuderunt: in altero

vim ſuam præcipuam luſit, in crure affecto, vaſisque iſtud cum partibus vicinis perreptantibus, præterquam enim quòd muſculoſæ partes intumuerunt, denigratæ fuerunt inſuper, à liquoris & ſanguinis eo infecti corruptelâ, qui fluidus ex vaſculis ſingulis prorupit, aliquâ ejus portione in partibus reliquis, (craſi deſtructa) nunc grumeſcente nunc fluiditatem concipiente, cujusmodi effectus, rationi conſonus omninò videtur: nec enim fieri poteſt, quin ſolutis particularum combinatione & motu legitimo, aliquæ heic illic ſeſe prehendentes, grumeſcant & in motu ſubſiſtant. Eandem noxam intulit alæ columbæ viperæ caput abſciſſum, gallina ope ignis veneni communicationem cohibentis liberatâ, cujuſmodi emolumentum Sal viperarum, cani ultimo attulit. Mirum verò capellam nihil damni prorſus ſenſiſſe, animal quod etiam cicutam innoxiè comedit, cujus rei cauſam alii pro lubitu explicent; id apud nos ratum eſt, non modò exugendo vires ejus infringi, aut igneârum particularum ope extrahi ſubtiles veneni particulas poſſe, ſed etiam, quod ſuprà innuimus, variâ trituratione ſubigi, mucoque involvi, imò partem nunc minùs commodam eſſe, aut aliter reſiſtere, ut venenatus liquor oſculis vaſorum decenter inſtillari nequeat, quandoque etiam vires ſuas eundo amittere, inprimis ubi vipera fuerit fatigata, à frequentiore morſu: imò ipſius maſſæ humoralis talem poſſe eſſe ἀλόησιν, cui enervandæ ilicò, tale venenum non ſufficiat: de activitate autem hujus liquoris, nunc majore, quæ præter regionis diverſitatem ab ipſo etiam materiæ ſolaris copioſiore influxu, (unde animalis illius vivacitas vel torpiditas) pendere videtur, evidenter fortè teſtari poſſunt, experimenta imminente boreæ tempeſtate, in pharmacopolio Præſtantiſſ. D. Frey, Art. pharmaceut. Magiſtri iterata; tum enim vulnera canibus inflicta, præter partis intumeſcentiam, unde difficulter inceſſerunt noxam nullam intulerunt, quæ quidem ſubſequi debuiſſet, ſi in ſolâ ſpirituum ex morſu irritatione nocivi inſultus deducendi eſſent. Periit tamen ex morſu graculus, motibus convulſivis, corculique palpitatione confeſtim inſequentibus, cum alæ qualicunque intumeſcentiâ & gangrenatione. Atque in funeſtæ hujus labis cauſam, malique genium & fontem, jam penitiùs eſt inquirendum: Tu Vir Nobiliſſ. in Tuis de Viperis obſerv. liquorem flavum quem glandulæ vaginales ſuppeditant, potiſsimùm in ſcenam trahis: Verba pag. 23. & ſeq. Edit. Amſtel. ita habent. *Sed prætermiſſâ hac digreſſione, redeo ad deſcriptionem liquoris illius flavi, qui intra vaginas dentes contegentes invenitur. De hoc cùm ore aſſumptus, neque hominibus neque brutis lethalis, pergam inquirere, an fortaſſis vulneri inſtillatus, cauſa mortis exiſtat: Et verum eſt, ſpatio trium quatuorve horarum, mortuos eſſe omnes gallinaceos, omnesq; columbinos pullos, quorum vulnera eo infecta fuerunt, tamq; neeare liquorem viperarum vivarum, quàm deſumptum è palato & vaginis viperarum mortuarum,*

mortuarum, etiamsi mortuæ sint ante 2. vel 3. dies, quod ipsum in Epist. ad Eruditiss. Bourdelotum & Morum confirmas. Equidem de liquore isto seorsim nulla fecimus experimenta, id tamen Tuæ Vir omni laude dignissime, sententiæ stabilimento esse videtur, quòd, nî pars à liquore maduerit, sanguinemque stillârit, symptoma pejus inde subsequi nunquam viderimus, infallibili communicationis cum cruore necessariæ argumento: Columba quoque, quæ à capite viperæ abscisso vulnerata interiit, liquoris nocivam vim satis prodit, cui morsus solus utcunque insufficiens esset, imò ineptus, si sæpè laudatam in experiundo industriam tuam consideramus. Clariss. D. Charras qui post Te eadem experimenta tentavit, morsu plurima animalium internecioni dedit; nec enim quòd quidam canes evaserunt, ad illius impunitatem argumentatur, cùm ipse viderit, à viperâ vivaci, si partem inprimis laxam, aut vasculis sanguiferis copiosè instructam momorderit audactiùs, interitum ilicò afferri: De liquore verò paulò aliter sentit, enimverò quòd hic ore animalium assumptus, & per gulam in ventriculum trajectus, pejus malum non inducit, mucus quo dictæ partes oblinuntur, in causâ esse potest, ejusdemque postmodum & subactio & cum particulis aliis commixtio, unde pari sinceritate cum cruore impossibile misceri potest (videsis quæ suprà de cantharidibus memoravimus) Corruunt hinc primùm Charrasii experimenta de panis taleolâ, quæ cùm succum flavum è gingivis sex viperarum irritatarum exhausissent, cani famelico innoxiè objecta fuit, hujusque impuni ab hominibus etiam per os assumptionc: Id verò majoris momenti est, quòd prædictus Vir Clariss. astruit, succum flavum in vesiculis contentum, partique vulneratæ citra morsum instillatum, nullum gravius symptoma induxisse, contra quam Illustris Aretine experimentis iteratis, suprà laudat. ad Abbatem Bourdelotum Epistolâ comprobavisti: Arduum sanè negotium nec expeditu facile, ubi propria experientia deficit: In partes verò tuas ut eamus plura sunt quæ nos movent; *partim* liquoris à spiritu animali viperâ excandescente major actuatio, unde morsu massæ humorali immissus, turbas funestas infert, quâ cadere utcunque posse videtur, nî extractus, in momento ferè vulneri recenti instilletur, volatile enim illud est, & in auras abit citissimè, à quo singulæ liquoris particulæ, siquidem vivaces fuerint, acrimoniam nocivam acquirunt; *partim* Rationum quibus D. Charras labem lethalem evincere satagit, obscuritas: Vult nempe viperæ phantasiam, ab ideâ vindictæ, quam sibi finxit, irritatam, motum quendam inexplicabilem spiritibus conciliare, atque vi impellere, per nervos eorumque fibras, versus dentium cavernulas, quasi infundibulum, exinde in sanguinem animalis demorsi deferri mediante foramine ab iis inflicto, unde cuncti effectus emergant: Ast æquè crassa est hæc

viperæ phantaſia, quàm idea vindictæ, imò D. Charras ratiocinium: cur quæſo illam ſibi fingit demum, mali illati conſcia? ecquis ipſum edocuit, ſpirituum exploſioni per dentes perforatos viam eſſe? quàm facilè non avolarent animali ad morſum ſe componente? quis fibrarum nervearum multam ſeriem in cavernulas ipſorum inſeri ipſi monſtravit? Stagiræ hæc nata videntur, & multo magis inexplicabilia eſſe, necdum veritati congrua, quàm eſt ſpirituum motus: Atrox ſanè evadit iſte & concitatus animali irritato, ceu iſtud convolutiones celeres, cum linguulæ protenſione oſtendunt, inde verò vel phantaſiam vel ideam vindictæ non arguit: Cogitet D. Charras animal unumquodq; ſui defenſionis & conſervationis ſtudioſum eſſe, indeque ſingulari providentiâ ſummi Opificis, motibus certis gaudere ac inſtrui, quibus inimicum depellat, quem nec novit nec noſſe poteſt: perpendat aculeos aliorum inſectorum, liquorem ictu immittere, quem de ipſis pendulum in apibus & veſpis ſæpenumero vidimus, cùm tamen æquè perviis, ſpiritus animalis ad vindictam concitatus ſuffeciſſet, & probè conſideret, huic exploſioni, in capitibus quindecim viperis præſciſsis, & per quatriduum in vaſe vitreo coacervatis, locum ampliùs non fuiſſe, fuiſſe tamen enecationi quinque gallinaceorum & quinque pullorum palumbinorum, ceu Tu feliciter obſervaſti: ut ſileamus D. Charras nunquam veſiculas illas, è quibus liquor nocivus jugiter ſuffunditur, penitus reſecuiſſe, quò de præconceptâ & effictâ hâc ſpiritûs irritati per denticulos concavos exploſione, ſymptomatum quorumvis unicâ matre, ipſi melius conſtaret: Nova certè & inaudita opinio, quæ hanc dentium cavitatem, ejusmodi tutelæ loco inſectis pluribus datos eſſe pronuntiat. Verùm enim verò ne philoſophemata ipſius tantùm rejeciſſe videamur, datâ occaſione, ſucco ipſo plura tentabimus, quamvis de morſu à capitibus viperarum præſciſsis illato, experimenta cum noſtris non conveniant: ſed ſatis de his: de naturâ liquoris hujus adhuc quædam delibabimus, quam alcalinam acerrimam eſſe, ſanguinis fuſio & tenuitas, cum partium vulneratarum gangrænatione, mictio ſanguinolenta aliaque, nobis perſuadere optimè poſſunt, nec obſtat magnopere, quod in cane altero ſanguis circa præcordia coagulatus fuit; lentiùs enim in illo labes nociva ſerpſit, inque parte ipsâ, fluidum fundendo acrimoniam ſuam prodidiſſe veriſimile fit: Quis autem non novit ſanguinis craſi ita dejectâ, dum heic ſummam fluiditatem induit, alibi ſæpe numero coagulari, ceu ſuprà jam innuimus: Ipſemet D. Charras iis, qui in ſpiritibus animalibus arcanam quandam latere aciditatem credunt, reſpondet, acidum iſtud in maſſâ ſanguineâ generari potuiſſe, ab ipſiusmet partibus, quæ diſgregationem & diſſolutionem paſſæ ſunt, cùm à veneno infectæ fuére & corruptio ipſas invaſit, vide ſis cap. 1. Turbato

itaque

itaque motu maſſæ humoralis, ejusque craſi à liquore morſu præcipuè communicato dejectâ, quis non videt varios effectus haud difficulter ſuccedere: Id verò mirari ſubit, modò nominatum Virum Doctiſſ. ibid. loci adjicere: *Neque etiam Vipera inter animalia, ſola morſu lethifera eſt, quæ in rabiem aliquando tranſeunt, ſi in iram concitata fuerint: fidem faciunt canes, lupi, quin imò & homines ipſi.* At unde in his ſpirituum excandeſcentium exploſio, dentibus ita perviis non exiſtentibus? Vereor ut ſibi ipſi ſimilis heic ſit, quod de D. Redi incautiùs dixerat; Etenim aut aliunde illa petenda eſt, quod etiam in Viperis obtinebit, aut morſum liquor ſalivalis irâ aculeatus, activitate ſuâ præcipuè ſuſtentat. Contrà acidæ naturæ venenum hoc eſſe, ſal volatile viperarum, quod vulneratis ſolatio eſſe ſolet, probabiliter evincit, cùm aliter non juvet quàm ſpiritus animales promptiſſimè inſtaurando & coagulum præcipitando, à fermenti venenati contage oriundum: ſed etiam ſuccus citri, qui alcali non eſt, teſte Clariſſ. Hoffmanno, morſui venenato medelæ eſt, & quæ ab acido corrumpuntur partes carnoſæ, rubent magis, nigredine (quam in cane altero deprehendimus) contrarium ejus inſequente: fortè etiam volatilia ſanguinis grumeſcentiam, quam ex ejus fuſione aliquibus in locis neceſſariam conjecimus, tollendo juvant, ut difficile ſit ſententiam infallibiliter dicere: Commodè de his liquor ipſe ſanguini inſtillatus plura & certiora docebit.

Observ. XXIV.

Talpæ Anatome Muraltiana.

TAlpæ heic interanea exponimus, è Clariſſ. Muralti, Med. Doct. Tigurin. & Acad. noſtr. *Aretæi* digniſsimi Vade mecum Anatomico deprompta, idque eum præcipuè ob finem, ut cùm Viri hujus induſtriam laudatiſsimam omnibus procinamus, tum Excellentiſſ. *Sponii* Patr. erudita Scholia, quæ ejus ratione ad nos mittere gravatus non eſt, publicæ lucis, ſiquidem digniſsima ſunt, faciamus.

Talpam inquit præfatus Excellentiſſ. *Muraltus*, ſexto Aprilis hujus anni cum Doctiſsimo D.D. Hottingero ſecui; hujus longitudo ulnæ quadrans erat: color pilorum dorſalium ex fuſco nigricans; venter ex nigro flaveſcens. Cauda articulum longa, pilis hiſpida: Pellis mollis, cum Holoſerico certans, hujus verò cutis dura, & tenax, ut vix diſſecari potuerit. Oculorum lo-

co puncta minutiſsima, nigricantia; Roſtrum ſuillum affabrè Narium foraminibus pertuſum: exteriùs Aures nullæ: barbata erat. Talpa: interiùs à roſtro, verſus Dentes ſuperiores ſulcus proſtabat. Manibus & Pedibus inſtructa eſt: Manus digiti ſimplici ſerie diſpoſiti, longioribus unguibus armantur, utrinque quinis; horum quivis tres articulos tenet: Manûs Palma latior, ad poſteriora recurva: Pedes itidem quinque digitos habebant, cùm apophyſi quadam in dextris cartilaginea.

Animalculum hoc exteriùs Collo caret, & Muſculi Pectorales craſsi, longiſque ab Axillis utrinque Coſtis inducuntur. Coſtæ veræ ſex ſunt, & ſex quoque ſpuriæ. Sterni Cartilago Xiphoides rotunda erat, pediculo inſigni, medio pectoris Oſsi adhærens: Omentum maximum, ad infima Inteſtinorum productum, quorum plicas ingreditur. Vaſa Lactea per Meſenterium undique ad Glandulam magnam ſparſa, craſsitie vel vaſa ſanguifera ſuperantia, Chyli quoque ſtigmata per inteſtinalem tunicam exteriorem transparebant, Lien punctis rubris, ſeu infinitis Glandulis diſtinctus eſt, longiſsimus, in Hypochondrio ſiniſtro Ventriculo appoſitus, Hepar itidem punctatum, medietatem ventris obtinebat, Diaphragmati latâ membranâ adnexum, hoc convexâ parte rubebat, concavâ verò albicabat. Figura Ventriculi Retortæ Chymicorum æqualis, ad Inteſtina ſenſim anguſtior reddita, venis arteriisque perſpergitur: hujus Orificium ſuperius medio loco ſitum eſt, in ejus confinio glandula quædam hærebat: Interior Ventriculi facies punctis & maculis nigricantibus undique notatur Pylorus plexu Glanduloſo clauditur: inteſtina duas ulnas longa; tenuia unam, craſſa unam æquabant; Neque Cæcum, neque Colon aderant. Propè Rectum Glandula inſignis unicæ fibrillæ nerveæ adhærebat. tales quoque Glandulæ in Duodeno aderant exteriùs appenſæ: Glandula Meſenterii magna, oblonga, in medio Inteſtinorum ſita eſt. Pancreas breviſsimum; plexus quoque glanduloſus in Duodeno exterius multis punctis deprehendebatur. Inteſtino jejuno adhæſit ope fibrillæ exteriùs circulus nigricans, vix ac ne vix conſpicuus, velut ocellus minimus. Septem Lobi Hepatis ſunt, quinque latere dextro, & duo in ſiniſtro conſpicui: Veſicula bilaria Hepa-

ti con-

ti concolor, minima fuit: Ren dexter altiorem ſedem occupat quàm ſiniſter: Renes ſuccenturiati utrinque adſtabant albidiores: figura Renum phaſeolum refert: Muſculi Abdominis ferè membranacei, verſus ſuperiores, & laterales partes inprimis. Penis Talpæ erat minimum digitum longus, tendinoſus, uſque ad muſculos directores: in ejus radice corpora nervoſa divulſa: muſculi urethram dilatantes ſunt craſsi, longi & carnoſi: Teſtes Ovales, ſanguiferis vaſis perſperſi. Venæ & arteriæ ſpermaticæ latere dextro eos utrinque ingrediebantur: hic loci quoque finis eſt Teſticuli, & principium Paraſtatarum ad Proſtatas membranæ fortiori ex parte incluſas, tendentium: E proſtatis Vas deferens nuncupatum ad acervum quendam maximum, ceu funiculorum congeriem abit, quæ meritò pro Veſicula ſeminali haberi debet. Veſica urinaria ſub hac congerie ſita pyriformis & parva erat. Ad anum duæ glandulæ oblongæ ſitæ ſunt.

Oculi exigui, ſuprà notata puncta fuerant, in acumen humoribus ſuis producti, Cranium oſſeum eſt, oblongum, penitusque caninum: Maxilla inferior utrinque decem dentes habet aculeatos; ſuperiori maxillæ dentes totidem ſunt, quorum à parte anteriore quartus utrinque inſignis eſt longitudinis. Proceſſus mamillares cum Oſſe cribriformi notabilis ſunt magnitudinis. Concurſus Nervorum è Striis Thalami nervorum Opticorum anterius ramum utrinque ad Varolii Ponticulum derivatum, itidem è latere poſtico ad eundem locum progreſſum videbamus. Cæteræ Cerebri Partes tum ob parvitatem, tum ob mollitiem vix erant conſpicuæ, prout nec interiora Auris à ſe diſtingui poterant.

In Clar. MURALTI Talpæ Anatomen SCHOLIOLA.

INgentem animi pruritum res abditas & ignorabiles comperiendi ac hariolandi, mortalium nonnullos ad varia non modò inconceſſa, ſed & ridicula molienda potenter olim pellexiſſe credibile eſt; quò ſuorum votorum compotes evaderent: qualia inter, frequentata inprimis fuiſſe Talparum extiſpicia teſtatur Naturæ ſcriba Plinius, dum Magos animalium omnium Talpas maximè miratos fuiſſe, peculiari vanitatis argumento nullis æquè credentes extis, expreſsè memorat lib. 30. Nat. Hiſt.

Hiſt.c.3. ita monente Gallico ſcriptore non proletario De L'Ancre, tract. 3. de l'incredulité du Sortilege convaincuë. Verùm enimverò omni magicâ ſuperſtitione inſuper habitâ Talparum profectionem à Philophyſicis inſtitutam, ſolertis ipſorum fabricæ introſpiciendæ ac perdiſcendæ gratiâ, ſingulari potiùs laudi vertendam judico, quàm vanitati. Quò fit ut hoc ipſum opus tum magnos Viros, nobis ſuperiores ætate, feciſſe intelligam, tum poſteros etiamnum facturos eſſe minimè dubitem. Unde ad idem quoque ſpectaculum aggrediendum me accingere non recuſavi, certò perſuaſus in creaturis quibusque vel abjectiſſimis nuſquam non cum fructu rimanda eſſe ac miranda Summi Opificis magnalia. Hoc ergo in argumentum facere non poſſum, quin ſtili tantillum heic impendam. Et primò quidem vocabuli Latini Talpæ originationem quod attinet, illam triplicem omnino aſſignat Ger. Joh. Voſſius in Etymol. quarum poſtrema ἀπὸ τὸ θάλπω, à fodiendo, reliquis veriſimilior mihi videtur. Sic & apud Græcos Σπάλαξ & Ἀσπάλαξ, ἀπὸ τὸ σπᾶν, à fodiendo, dicta fuerunt. Talpa quoque Lycophroni in Caſſandrâ Σιφνὶς vocatur, ἀπὸ τὸ σιφνύειν, à vacuefaciendo. Ubi de Proteo loquitur, qui ex Thracia in Ægyptum per ſubterraneam quandam cavernam migraverat, Talpæ ipſum comparat, inquiens: οἵα τις σιφνὶς Κλεισθμῶνος ἐν σήραγγι τέλμήνας μυχός. Et ſanè hoc animans (ut verbis utar Arnobii lib.2. adverſ. Gentes) excavat telluris ſola, & in foſſibilibus foveis tutamina ſibimet & cubilia præparat. Unde non abs re Talpæ nuncupari poſſent γῆς παῖδες, quo epitheto apud Artemidor. in Onivoc. donantur tum formicæ, l.1.c.26. tum dracones, l.2. c.13. Germani quoque à fodiendo vocant Talpam, Schárr/ quaſi dicere velint Scharrer/ terriſcalpum. Vocant etiam Maulwurff/ quòd roſtro terram protrudat. Jo. Schroderus etiam Schermauß vocitat, etiamſi hoc vocabulo Dn. Muraltus murem agrarium à Talpa non parùm diverſum deſignet, cujus peculiarem anatomen paulò poſt propoſuit: Quâ ſuper re litem Viris hiſce doctiſsimis libens remitto, ut ad alia gradum faciam.

Jam de numero ſenſuum quibus gaudent hoſpites iſti ſublimioris plagæ ſubterraneæ, (quam facetè Galli *Regnum talparum* indigitant) non adeò certus eſt, ut video, Naturæ-conſultorum conſenſus. Non pauci enim cum vulgo exiſtimant, oculos, adeoque viſum ipſis denegatum fuiſſe à Naturâ: quod & olim mihi arriſiſſe non inficior, tum quòd nullas oculorum orbitas inter diſſecandum repererim, totâ illâ frontis regione, (ubi collocari ferè ſolent) cute ac pilis obtectâ, tum quòd intra terram loco tenebroſo degentibus, nullum oculorum fore uſum mihi perſuaderem, ob luminis externi abſentiam, quæ fuit etiam mens, Guil. van Boſſche: unde haud dubiè cæcitas vetuſtis Græcis ἀπαλαξία, teſte

teſte Heſychio, fuit denominata, hincque natum proverbium, τυφλότερος ἀσπάλακος, cæcior talpâ. Verùm re meliùs perpensâ, ſententia contraria verior jam mihi videtur, putà talpis neque oculos, neque viſum deeſſe, ſicut rectè Cl. Muraltus affirmat, poſt Viros ſummos, Plinium, Albertum Magnum, J.C. Scaligerum, Conr. Geſnerum, alios. Et certè per foramina duo parva in oſſe pervia, nervuli optici extra feruntur, & in duo puncta nigra terminantur, quæ ſunt veri talpæ ocelli. Neque obſtat quòd parvi ſint, modò objecta viſibilia percipiant: fortaſſe & eò clariùs ac diſtinctiùs vident, quò minores ſunt: quemadmodum & microſcopia, quantò exiliora, tantò præſtantiora ſunt, objectaque luculentiùs exprimunt atque multiplicant. Adde quòd nihil vetet, quin fortè locis in obſcuris innato lumine uberiùs radient, vicinaque illuminare poſſint: quod ipſum de Solifugis cæteris animantibus, quales ſunt cuniculi, viverræ, dracones, viperæ, imò & lumbrici, non abs re dici poteſt.

De Talparum exquiſito auditu nemo ambigit, quandoquidem propiùs accedentes, ad ſuarum ſcaptenſularum orificia facilè exaudiunt: quo fit, ut ſuſpenſis laneisque pedibus, ut captentur, incedendum veniat. Hinc Galli tacitis pedibus incedentes ajunt more captatorum talpæ ambulare, *en preneurs de taupes.* Duo in ſummo roſtro foramina adapertilia narium vicem præſtant, per quas odorantur: unde allio, ulpico, cæpâ aut porro oſtiolis cryptæ intruſis, & turbantur & aufugiunt, teſte Alberto M.

Pellis pilis quovis holoſerico nitidioribus fruticans viſitur, miro ſplendore, ita ut inter pelliceas veſtes primum locum tenere poſſit: ideoque quod ſcribit l. 2. Hiſt. Juſtinus de Scythis antiquis, eos pellibus ferinis murinisque veſtiri conſueviſſe, libenter de pellibus vel talpinis, vel murium Ponticorum conſarcinatis intellexerim, quibus maſtrucas ſuas & rhenones parabant, aut ſaltem ſuffulciebant, ſicque ipſis magnificè amicti ſuperbiebant.

De Reſpiratione Talparum ſubit heic etiam aliquid meditari: Sanè enim reſpirare Talpas ſub terra non immeritò mirabiliùs eſſe puto cum Plinio, quàm piſces ſub aqua. Ita quippe loquitur ipſe lib. 9. Hiſt. N. c. 7. In aquas quidem penetrare vitalem hunc halitum (puta aërem) quis miretur, qui etiam reddi ab his eum cernat: & in terras quoque, tantò ſpiſſiorem Naturæ partem, penetrare, argumento animalium quæ ſemper defoſſa vivunt, ceu Talpæ? Reſpirare verò Talpas, una Pulmonum ſtructura ſatis evincit, quos habent amplos, inque plures lobos diviſos, attamen σομφὸς καὶ ὀλιγαίμους, ſpongioſos ac pauco ſanguine præditos: quæ verò animalia tales pulmones ſunt ſortita, ſunt ὀλιγόπνοα, minùs reſpirant, hoc eſt, πολλοῦ χρόνου διαμένειν ἀπνοὰς ζῆν,

per tempus multum possunt sine respirationis usu vivere, ut docet Aristot. lib. de Respir. c. 4. ubi notatum obiter velim, me Pulmonis lobos septem in talpâ numerâsse, quamvis Cl. Muraltus nonnisi sex observaverit: adhærebant autem ipsi per fibras quasdam mediastino, nequaquam costis: & erant coloris ex albo rubroque misti, cor medio suo complexu foventes.

Claviculas habet Talpa, sicut habere etiam Simiam ac ζῶα πιθηκοειδῆ, qualia sunt, Satyrus, cynocephalus, & lynx, docet Gal. lib. 6. Exercit. Anatom. quæ videl. omnia animalia sunt πλατύστερνα, hoc est, pectus habent amplum, quemadmodum Homo: cætera verò brutorum secula, quæ sunt ὀξύστερνα, h. e. quæ sunt pectore cavinato, claviculis destituta visuntur omnia.

Omentum nostros oculos fefellit, quanquam Cl. Muraltus ipsum exstare affirmet. Folliculus quoque fellis nobis non fuit visus in subjecto, quod dissecui, illumque deficere putavi, sicut murium aliquibus deficere scribit Plin. lib. XI. Hist. N. c. 37. Verùm felicior me circa ipsum fuit Cl. Muraltus, qui illius mentionem facit. Manus Talpæ omnino πένλοζῶ est, ut vult idem Vir Curiosissimus, sed pedes posteriores sunt planè sedigiti.

Observat. XXV.

De Noxis Cicutæ terrestris.

Ex Epistola

Ad Virum Celebratissimum JOH. JAC. WEPFERUM,

Archiatrum Scafusianum.

QUotiescunque tua in me merita rumino, rumino autem sæpius, nihil cordi solet esse æquè ac grati animi tessera, quâ favorem tuum porrò mihi promittere ausim: hujus vices si sustinere jubebis præsentem de cicutæ terrestris noxâ historiam, hem quantum non menti meæ gaudii accedet & solatii, cùm norim tibi probatam, nec aliis valdopere displicituram: Ansam autem meditationi isti, tua suggessit cicuta, Eruditorum ore jam decantatissima, cui levicula, quæ tum ex succo terrestris vulpeculis, & porcellis Indicis exhibito notaram, addi voluisti: his proin ulteriùs illustrandis, cùm experimenta deinceps necessaria viderem elapsa hâc tempestate, ad herbæ vires noviter explorandas me accinxi: De effectibus ipsis, ubi singula enarravero,

vero, Excell. T. judicium feret facilè, ſubjungam & ego ratiocinia aliquot, quæ autem prodromi loco tantiſper haberi velim, dum iteratis, ubi Deus vitam anno imminente conceſſerit experimentis, pleniùs de plantæ hujus forſan & aliârum genio diſſerere poſsim.

D. 15. Octobr. Cani vetulæ mediocris magnitudinis horâ II. antimeridianâ, ſucci Cicutæ ʒß præter propter infudimus, â quo mox ſalivare, toto corpore contremiſcere, tandemque vomere cepit: Horâ primâ pomeridiana langueſcenti denuò ʒj circiter infudimus, unde mox ejulabat, & circa præcordia vehementer opprimebatur, diaphragmatis iteratâ ſuccuſſione, ad attactum evidenti, cum reſpiratione rarâ & anhelâ: ſalivavit inſuper & tremuit vehementiùs: ſeſquihorâ poſt evomuit mucum viridem ſpiſsiuſculum ſatis copiosè, iſthinc tamen meliùs non habuit, oppreſsione graviter perſiſtente, minxit inde, & ſub veſperam languidus omninò, pedibus inſiſtere nequiit: caput cùm erigeretur, inſtar temulenti jactitavit, moxque concidit, inſultibus ſpasmodicis in utroque pede anteriore & poſteriore, ut & aure ſiniſtrâ, conſpicuis, tandem noctu interiit. Inſtitutâ ſectione in abdomine inflati nihil comparuit, præter veſicam urinariam & felleam, quarum ſuo humore utraque turſit, vaſcula inteſtinorum tenuium ſeriem, duodenum præprimis perreptantia rutilo ſuo colore intensè oculos refecerunt: Ventriculus parvulus, fibrarum validè corrugatarum faciem exteriùs jam oſtendit, quæ fundi parte ſuperiore ineisâ rubicundæ inſuper videbantur, muco viſcido heic illic hærente, cum ſucci viridis coagulati reliquiis, inter ipſarum interſtitia detentis: Inteſtini duodeni facies interna, ſpithamæ longitudine tota inflammata & cruore ferè perfuſa, jejuni verò & ilei externa liveſcens, intùs mucum ſanguinolentum copioſiſſimè exhibuit: in quo vermiculi exigui numerosè ſtabulabantur, ceu in nido ipſis deſtinato, craſsis ab iſta labe liberis magis exiſtentibus. Pulmonum lobus dexter maculis ex rubro liveſcentibus, variè inquinatus fuit, diſciſſus verò veſiculas à ſanguine tenui efluſo rubentes exhibuit, ſiniſtro incolumi: cordis thalamus dexter cum auriculâ ad attactum molleculus ſanguinem fluidum ſubatrum, cujusmodi

ex aliis etiam vasis effluxit, continuit. Cerebri facies elegans, glandulæ præprimis pinealis subrubentis, quam vasa sanguifera artificiosè amplectebantur: In ventriculis anterioribus seri copia idonea deprehensa fuit, sanguinis verò extravasati nihil.

D. 25. ejusdem D. Licent. Schorkopff Hildesiens. & D. Näbel Heidelberg. alii Cani succi ejusdem recentèr expressi ʒiij præter propter exhibuerunt, post horæ quadrantem murmura & rugitus vehementiores audiverunt, certos fermentescentiæ indices: Hinc abdomen inflari & distendi cœpit, perque intervalla spasmodici insultus leviores suboriri, ejulavit juxtà & frequenter minxit, ex uno loco in alium migrando, succedente motu cordis palpitante & diaphragmatis forti succussione: Sub vesperam cùm accederem ei languenti ʒij. circiter propinavi, à quibus contremiscere, angi & vehementer succuti incepit, cum insigni cordis palpitatione & abdominis rugitibus, inde copiosè minxit, non tamen vomuit nec dejecit. Die insequente adhuc vixit sed languidus, nec qui diebus antè vehementer, latravit ampliùs: Horâ 1. pomeridianâ, ejusdem succi ad ʒiij. ferè infudimus, à quibus eadem symptomata passus est, nisi quod vomuerit juxtà: Die altero abhinc succi ejusdem ʒiß. præter propter venæ jugulari siphone blandè immiscuimus; unde cor palpitare vehementissimè, canis totum corpus convelli, maxillas retrotrahere, totusque obrigescere cepit, horæ autem circiter quadrante paulatim se recollegit, & qui ante crebro & anhelè, jam liberiùs respiravit, sibique redditus tantisper obambulavit: cùm deinceps ʒj. circiter blandè injiceremus machina confestim corruit & obriguit.

Cultro injecto cura præcipua fuit medii & imi ventris, in hoc ventriculi & intestinorum vasa egregiè rubebant, ipseque tantisper distentus, quùm orificium superius incideretur, spumam fæculentam fermentescentem copiosè exhibuit, qualem cum muco sanguinolento & succi particulis, fundum etiam continuit, plicis ejus corrugatis & aliquantum rubentibus: In duodeni ductu pariter aliqualis inflammatio, at non tanta uti in priore: Vesicula fellis bile distenta, & uterque ductus cùm cysticus tum pancreaticus patuli: Tubuli bilarii ad vesicæ collum pergen-

pergentes evidentes erant: cordis auriculam dextram, aëre per cavam aſcendentem infra hepar injecto, pulſum ſæpiùs ingeminare vidimus, ipſummet verò, quamvis inde tumuerat, ſanguine prorſus vacuum fuit, nonniſi in auriculâ & thalamo dextris, ſucci concreti reliquiis conſpicuis: in pulmonum lobis maculæ rubræ heic illic conſpiciebantur, præprimis verò lobi dextri majoris ſuperficies inferior ʒ duas in longum latumque inflammata fuit, reliquis ferè ſingulis, ubi incidebantur, vireſcentibus, imò & ſucci particulas oſtendentibus.

D. 28. ejusdem Cani Moloſſo ʒjß circiter in venam jugularem injecimus, à quibus ejulare, cor palpitare & convelli cepit, inde aliquandiu defatigatus, ſemimortuus jacuit, reſpiratione nunc rará nunc crebrâ & anhelâ exiſtente: Inde ad ſe paulatim rediit, caputq; erectum huc illuc jactitavit: ſemihorâ poſt lateris ſiniſtri venæ pariter ſucci aliquid immiſcuimus, & cor palpitavit vehementiſsimè, miſereque ejulavit, & abdomen ſuccuſſus fuit, motibus ſpasmodicis in faucibus & colli muſculis conſpicuis: Tandem verò ʒß circiter adhuc injectâ cum ſtertore & anhelatione reſpiravit, ad mortis impetum, ſpumam ſanguinolentam per os copiose reddidit, cordis pulſu longis intervallis recurrente: Abdomen inciſum, ventriculum cum inteſtinis inflammatum exhibuit, imprimis verò ſub finem cœci & initium inteſtini craſsi portio ʒiij. circiter longitudine diſtenta fuit, ut & vaſa transparerent, maximè, & ob tenuitatem glandulæ ſolitariæ elegantiſsimè conſpici poſſent: in utroque thoracis latere ſerum ſubcruentum fluctuavit: Pulmones flaccidi erant, eorumque facies exterior præſertim in lobis majoribus ſatis inflammata: ex aſperâ arteriâ ſpuma priori ſimilis multa adhuc effluxit, cujusmodi etiam in ipſis pulmonum veſiculis quum inciderentur, idoneâ copiâ ſtillavit: Ventriculus ſanguinis dexter, cum auriculâ ſuâ admodum turſit, ex utrisque ſanguis fluidus proſiliit: Remoto cranio & durâ meninge, prope cerebellum ad ſinuum latera, ſanguis ſimilis copioſiſsimè quâ data porta prorupit.

D. eodem horâ 5. pomeridiana caniculæ ſucci recentis ʒiij. præter propter exhibuimus, à quibus abdomen ſuccuti, crebroque vomiturire incepit, donec horâ pòſt materiam ſatis copiosè

excerneret: hinc tamen melius non habuit, quin urgentibus oppreſsionibus tremula incederet, tandemque pedibus inſiſtere nequiret, vomuit inde iterum, minxit, tandemque temulenta corruit. In hujus interaneis, ventriculo & inteſtinis ſuccum cicutæ pariter ſpumantem, & utrobique inflammationis muciqueque cruenti hinc inde adhærentis certiſsima veſtigia vidimus: Pulmones quoque in diverſis locis inflammationibus & ſanguine extravaſato fœdabantur, cordis verò ventriculus uterque omni ſanguine erat deſtitutus.

D. 29. ejusdem Porcello Indico femellæ ſucci ejusdem ℥j. circiter intruſimus, à quâ præcedentibus tantiſper motibus convulſivis ilicò ſpirare deſiit: In cauſam repentini interitûs cùm inquireremus, reperimus in aſperâ arteriâ ſucci reliquias cum ſanguine extravaſato in pulmonibus hic illic comparente: In abdomine mali nihil, gravida hæc erat binis fœtibus, & partui quantum colligere licuit proxima.

Sub veſperam Porcello mari [℥j] ptæter propter propinavimus, à quâ primùm malè non habuit, horâ autem circiter pòſt corrugabatur, & tremulus pedibus amplius inſiſtere non valuit, vomuit quoque ſed minùs copiosè: die inſeq. rigidum invenimus cum abdomine inflato, veſiculâ fellis & urinariâ admodum diſtentis: Ventriculus diſſectus ſpumam fermenteſcentem, cum muco ſanguinolento copiosè exhibuit, conſpicua circa pylorum & duodeni initium inflammatione, cujusmodi ſanguinis extravaſationes in tenuibus hic illic quoq; animadvertimus, pariter etiam pulmonum lobi his infeſtabantur: inteſtinum cœcum ampliſsimum cellulatum: Atque his experiundi finem fecimus herbâ recenti nos deficiente: Ne verò noſtræ fidei unicè ſubſcribere teneantur Artis Curioſi, ſingulorum Teſtes, qui nobis tum adfuerunt appello Viros Nobiliſsimos D. Schorkopff Hildeſienſ. D. Lehenheer Auguſtan. Medicin. Licentiatos. D. Näbel Heidelberg. D. Facio Viviacenſ. D. Kartſcher Brigâ-Silef. D. Aſtorinum Italo-Conſentin. φιλιάτρους.

SCHOLIUM.

De nocivâ Cicutæ vi pleni ſunt Medicorum Veterum libri, nec opus eſſe arbitror ea prolixiùs hîc repetere, quorum Tu ipſe in Cicutæ aquaticæ

aquaticæ historiâ eruditam mentionem injeciſti: Apud nos frequenter illa creſcit in pago Mönchenſtein & Michelfeldæ: odoris acris & præprimis ubi conteritur nauſeabundi, ſucci particulæ linguam potenter feriunt, cùm nec digitorum apicibus pepercerint; herbæ & radicis in bolos coactæ efficaciam non exploravimus ob tempeſtatem anni declinantem, & materiæ, ſi ita loqui fas ſit, ſolaris decreſcentiam, unde forſan ipſius etiam ſucci in enecando torpiditas in canibus deducenda venit, dubium enim non eſt, quin vigente Solis influxu, planta decerpta non ſucculenta magis ſit, particulisque activis copioſioribus & magis evectis inſtructa, ceu iſtud opera iterata docebit: Suum tamen genium nobis probavit abundè, ei quadantenus ſimilem, quem in lupâ p. 157. animadvertiſti, in canibus etiam binis temulentia manifeſta fuit, & frequens mingendi neceſsitas, certo caliditatis, quâ ſanguinem fundebat & attenuabat, ſicque parti aquoſæ faciliùs & copioſiùs abſcedendi anſam ſuppeditabat, indicio: poſſem quoque de narcoſi maſſæ humoralis attenuationi ſæpè numero ſuccedente verba facere, ni pleniùs de illâ agere alibi conſultum foret; Nec verò hic ſubſtitit cicuta, quin ſalinæ ſuæ acrimoniæ, aculeorumque igneorum, quibus non parùm ſtipata eſt, evidentiora edidit ac reliquit veſtigia, ſibi verò ubique conſona: in cane vetulo & caniculâ, totius tremor, cum vomitu & oppreſſione circa præcordia, diaphragmatisque ſuccuſſione, fibrarum nervearum, cùm ſtomachicarum tùm phrenicarum, intimam cum iis conſinitatem habentium irritationem ſatis arguunt, quæ ceu prodromus Salivatio præceſſit, non tam ex continuata ſuccuſsione, vel conſtrictione muſculorum oris, vomitu imminente aliàs conſpicua, quàm apicularum linguæ nervearum, ut & partium vicinarum à particulis ſucci exhibiti reſiduâ agitatione: in ventriculo verò ſuam ἐνέργειαν adeò vehementer non exercuit, usque dum mucoobmuniente ſoluto, ſpicula ſua infigere potuit fortiùs, quibus ſemel impactis, etiamſi evomuerint materiam idoneam, motus ſpaſmodici nihilominus ſubſtiterunt, ſpirituumque ulteriorem diſsipationem, quam corporis langueſcentia neceſſariò excepit promoverunt: Adjumento his acceſſit vaſorum ab hoſte rodente denudatio & eroſio aliqua, quam ſanguinis extravaſatio non potuit non ſubſequi, cujus utique cùm in tenuibus inteſtinis duodeno maximè, tùm in ventriculo inflammatio & mucus ſanguinolentus certiſſima ſunt ſigna: & fortè ſuffeciſſent hæ pro machinæ deſtructione illatæ noxæ, ſi intra iſta pomœria delituiſſet, aſt ulteriùs perrexit, particulisque ſubtilioribus ſanguinis oceano immiſtus eum inſigniter rarefecit & fudit, unde cordis thalami, non modò ſanguine vel nullo vel fluido admodum gaudebant, ſed in pulmonibus etiam à ſanguine tenui hic illic extra vaſa proſiliente & ſtagnante, veſiculæ rubore & maculis inſolitis decoloratæ fuerunt, quibus

faciliorem

ſacriliorem anſam pertinaces diaphragmatis ſuccuſſiones & oppreſſiones haud dubiè ſuppeditarunt, donec hinc labe aliquâ ipſi cerebro (ſi non potiùs ſpiritibus illatâ, elangueſcente fluidi utriusque influxu præcedaneâ temulentiâ corruerunt, de quibus in ſecundis curis pleniùs, nec enim de cerebri cortice, in quo ſpirituum expanſionis in affectibus ſoporoſis impeditæ cauſam quærunt Eruditi, jam dicere vacat: de ovis verminoſis addenda pauca, quæ ex pituitâ vel ſeminio certo modo putreſcente deducunt Galeni filii, fortè quod purgante exhibito, vel talem nudam, vel cum illa lumbricos excerni animadverterunt, pariter uti ex fimo equino, aliové fœtus ejusmodi derivârunt alii, de ovulis inibi depoſitis parùm cogitantes: Eſt ſanè mucus cùm ventriculi, tum inteſtinorum, commodus vermiculorum utriculus, cui dum adhærentes & involuti, accedente etiam huc materia motum vitalem ſuſcitante (calorem dicunt aliqui, ego verò ſubtilis præſentiam inſuper arguo), exigui valde prodierunt, nutrimenti ſui partem aliqualem deinceps debere videntur, indeque eſt, qnòd ſoluto & exeſo muco temporis tractu ipſam inteſtinorum ſubſtantiam eroſiſſe ac perforaſſe quandoq; deprehenſi ſunt, ceu in obſervationibus infra exempla ſuggeremus: ſæpiùs tamen hoſpites iſti in uno alterové corpore non ſtabulantur, præter Practicorum opinionem & ſuſpicionem, unde vulgus pro ſuâ imperitiâ, labem ipſis affricare conſuevit, quòd exhibito purgante anthelminthico effectus non reſpondit: Verùm enimverò materia graveolens adinſtar ſpermatis ranarum, vel ovi putrilaginoſi, quid fœtus ſubfuetit ſatis edocet: Quis enim neſcit, vermes ſive enectos ſive ſeminium collectum, nec tamen eductum, ita corrumpi aut putreſcere poſſe? pariter uti pituitam in dictis locis ad ſaturationem aggeſtam, puttedinem concipere, communicatisque vitioſis maſſæ humorali miaſmatibus motum hujus variè pervertere, aliaque ſymptomata inducere experientia comprobatum eſt: Spuma fermenteſcens, cujus vehementes rugitus, cum abdominis diſtenſione in cane altero præſagium erant, cum muco ſanguinolento ſatis oſtenderunt, quam in iſto ſucci exhibiti particulæ luctam inſtituerint, à quâ agitato tantiſper Helmontii Archéo angi & ſuccuti cepit: caeni tamen exitiales iſtæ æque non fuerunt, ac Porcello Indico mari, cujus animântis ventriculus tenerior videtur utique, nec muco oblinente caninorum inſtar inſtructus, oſſa aliaque citra noxam diffringentium ac concoquentium, unde etiam dictæ ſucci particulæ pariter infringi non poterant, quin labe ventriculo & inteſtinis tenuibus gravi ſemel illatâ, qualis etiam in pulmonibus vitali organo conſpiciebantur, vitæ animalis diſpendio afficerent: Mucus certè viſcidior, & copioſior à particularum enormitate aliquâ ipſum præmunivit, cui, ceu ſuprà meminimus, plantæ utpote dicto demum menſe collectæ, virtus fatiſcere incipiens

fatiſcere incipiens jungenda eſt, prorſus tamen ſoſpitem non præſtitit, quin ſymptomatum vehementi iteratione langueſceret, concurrente internâ aliquâ ventriculi & inteſtini labe: Interitum verò intulit ſucci ejusdem ſanguini propior facta immiſtio, unde ipſius compage ſolutâ, præcedaneis convulſivis motibus, cordis thalami liquore vitali prorſus exhauſti fuerunt, motum infuſo pabulo nitro-aëreo per intervalla ingeminante auriculâ dextrâ, de quibus videſis erudita Pythagoræ noſtri paterga. Neque funeſtam hujus vim effugit canis Moloſſus, viatoribus aliàs formidabilis, quin à ſucci immiſtione ſanguis ſupra modum rarefactus, vehementiſſimis in corde arteriisque motibus occaſionem daret, effractaque ab impetu veſicularum pulmonalium ſtructura, non modò iſtæ collabaſcerent, ſed facta inſuper ſanguinis ſeroſi tenuis, extra vaſa proſilientis, cum aere agitato & rarefacto confusâ συμμίξει, ſpuma ſanguinolenta per os copiosè efflueret, qualis etiam poſtquam ſpirare deſiit, frequenter erupit, reliquiis aliquibus in ipſo thoracis cavo ſtagnantibus, pulmonumque flacciditate, quæ aërem injicere tentantibus magis patuit, & inflammatione evidentibus: utrum verò ſanguis fluidus acris, ad ſinuum latera viſibilis, (cui, ſi venæ jugularis utriusque lateris ligatio ortum ſuggeſſit, pulſus arteriarum impetuoſus augmentum non exiguum ſubminiſtravit) motuum convulſivorum in faucibus præcipuè & colli muſculis mater extiterit, cùm potius apoplectici quid inducere valuiſſet, principii nervorum compreſſione: an verò fibræ motricis à ſanguine vehementer irruente, aut cardiacarum ab eodem impetuoſo inſultu facta irritatio, humoris ipſius acrimoniâ non rejectâ in causâ fuerit decidere non vacat, nec opus eſt: Sufficit ab ejusmodi motibus in machinæ animalis deſtructionem ſæpiuſculè tendentibus, & partium muſculoſarum, præcipuè verò ſpiritus vitalis, cui animalis, utpote à cruore ſaltem liberatus, affiniſsimus, ſuccuſsione validâ ſpaſmodicas ὁρμὰς libenter ſubſequi, ceu iſtud etiam animi pathemata inopina, terror aliaque teſtantur: olim verò cani moloſſo venam jugularem externam pariter utrinque ligavimus, ſoporem cum ictu epileptico præſtolantes, ex ſanguine liberâ commeatione inhibitâ, aſt fefellit ſpem eventus, inque diſſecti cerebro ſanguinis extravaſati parùm omnino reperimus, nec in ſinibus grumoſi veſtigia, firmiſſimo argumento, viâ hac præclusâ, aliam per venas maximè jugulares internas naturam ſibi paraſſe: in Porcelli femellæ mortem ſubitam inquirere ſupervacaneum eſt, ſucco irritante labem deleteriam ipſi; vitalibus organis proximè inferrent; de iſtius autem animalis utero & fœtibus, quæ memoranda ſunt in ſcholiis ſuperiùs expedivimus. Vale his Artis Aſclepiadeæ columen, & mihi, ut ſoles, favere perge.

Dabam è Muſéo Baſil. d. 17. Decembr. 1684.

Anno proximè ſubſequente, ejusdem Cicutæ ſucco alia adhuc experimenta in canibus inſtituimus, plura verò ſymptomata, præter ſupradicta, nauſeam nempe, vomituritionem: ſomnolentiam & paulatinam machinæ corruitionem non obſervavimus, de aëris verò per venam jugularem, ſiphonis ope injectione quædam heic addenda habemus, quæ ſucci Cicutæ infuſionem illuſtrabunt potiùs quàm turbabunt, enimverò fortior vis omninò abfuit, licèt tantillum quoque in officiendo adjumento eſſe potuiſſe, pertinaciter non inficiemur: Menſ. Octobr. labentis anni 1686. præſentibus D. Cand. Burgovvero, Scaf. D. M. Stehelino & D. M. Tonjola, cani mediocris magnitudinis, aërem fortiori inſpiratione in venam jugularem infudimus, hic poſtquam tantiſper ejulaſſet, reſpirare confeſtim deſiit: Abdomine & thorace mox cultro apertis, præter ductum thoracicum, vaſaque venoſa turgida, motum item inteſtinorum periſtalticum elegantem, cor prorſus diſtentum comparuit, cujus tamen parietes vulnere inflicto, ilico conciderunt flaccidi & enervati, præterque tantillum cruoris ſpumoſi nihil exhibuerunt, ut inde ad fibrarum cardiacarum enervationem, ab aëris vi injecti expanſione ſ. elaſi, fortè non incongruè argumentari liceat, unde ad priſtinum tonum illis non redeuntibus, cor in motu ſuo fatiſcere neceſſe habuit, prorſus tamen non rejectâ ſanguinis ab aëre permiſto rarefactione, quam bullulæ ſpumoſæ ubique probâſſe videntur. Decem circiter diebus poſt animum ſubiit liquores diverſi generis generis alcalinum & acidum, ſanguini ſucceſſivè immiſcere, cui negotio operam una præſtiterunt Viri Præſtantiſſ. D. Mejerus & D. Meiſterus Scafuſ. Medic. itidem Licent. ſolutâ hinc utrinque venâ jugulari ex uno quidem latere ſpir. urin. ſal. arm. ex altero verò ſpir. vitrioli tubulo permiſcere ſtuduimus: Et quidem poſt illius miſcelam, vehementes ejulatus cordisque impulſus aliquando animadvertimus, qui autem cum diu non ſubſiſterent, nec ab hoc injecto péjora ſymptomata ſubſequi videremus, aëris forti infuſione, ſcenæ finem pariter fecimus, atque præter ea, quorum ſuperiùs meminimus, cruoris efferveſcentia, vaſis ſanguiferis inciſis, ſatis conſpicua, animos præcipuè refecit, cum ſanguinis grumoſi portionibus hic illic palpabilibus, quam diverſæ naturæ liquorum concurſui adſcribere, nihil fortè eſt, quod vetat, inprimis ſi alcali & acido patrocinari velimus.

Obsерv. XXVI.

Capitis vulnus ingens,

Muſculorum dorſi ex globulo ſclopeti ictus lethalis.

Memoratu

Memoratu digna est hiſtoria, quam Excellentiſſ. *Baumgartenrus* Archiater & Senator Sangallenſis, gloriâ meritisque inclytus, IX. Cal. Jun. 1676. nobis impertiit. Ante aliquot (inquit) menſes, in vicinià noſtrâ, quidam ex illo hominum genere, quorum civilitatem expertus Ampliſsimus veſter Conſul, à conterraneo temulento, ancipiti gladio pluribus in locis vulneratus, brachium amputatum, aliquot in capite vulnera inflicta: cùm ſpes ſalutis affulgere jam videretur, vigeſimâ tamen die obiit: pridie ejus diei ego vocatus, vulnera ſatis bene ſe purgantia inveni, brachii truncus pus reddebat optimum, in ſiniſtro tempore ingens erat vulnus, temporalis muſculus diſſectus: oſsis tanta rima, ut trypano non opus fuerit, videbatur cerebri ſive meningis motus: Vulnus minimè aridum, ut in mox morituris eſſe ſolet: convulſio aderat oppoſitæ partis, quæ hîc nunquam abeſt, diſſecto enim muſculo temporalium, congener ſolus trahit ad ſe maxillam inferiorem: convulſiones tamen horrendæ in ejusdem lateris artubus erant, in quarum cauſam, cùm omnia circa vulnera bene habere viderentur, tunc penetrare non potui. Poſt obitum caput aperiendi mihi copiâ factâ, meninx minimè erat læſa, nec corrupta, nec inflammatione correpta, nihil puris ſub cranio, cerebrum adeò elegans, ut ejus Anatomiam in gratiam adſtantium Medicorum & Chirurgorum exactè facere potuerim, in baſi tantùm ἀπόχημα vaſis inveni, nempe ſangninis aliquot grumos à venulâ ruptâ & multum ibi flavi ichoris, ut & circa principium ſpinalis medullæ, uſque ad quintam colli vertebram.

Anno 1678. die 10. Julii accerſiit nos Chirurgus quidam noſtras, ut conſilium & auxilium ferremus Commiſſario cuidam Gallo robuſto & carnoſo, qui ponè nates ſclopeti globulo ſuperiora verſus ictus fuerat: foramen erat parvulum, ſed profundum, quod etiam ſtyli longioris apicem eluſit. Imperatâ diætâ, cui pro genio, exactiſsimè intentus fuit, primis diebus turunda, nunc ex linteo, nunc rad. gentianæ conflatâ, intra ipſos dorſi muſculos inferiùs immiſſâ, vulnus dilatare, materiæque deliteſcenti patentiorem viam ſtruere ſtuduimus: aſt incaſſum, materia inter interſtitia partium & loci profunditatem firmiùs

impactâ: Incisione ulteriore rem aggredi periculosum videbatur, ob tendinum eo loci copiam, tandem verò urgente ægroto, alea jacta fuit circumspectè, & lancettâ sinus ille apertus, unde pus copiosum profluxit: quinque circiter vel sex diebus post, dum detergentibus & vulnerariis Chirurgus strenuè ¦desudat, atque ægroti res in melius vergere videbantur, stranguria corripitur, cui denuò vocati medicamentis convenientibus vulnerariis ac antepilepticis occurrimus, veriti statim ne quid spasmodici superveniat: Postero die sub vesperam deglutire cupiens non potest: loquela vicissim impeditâ: inde malo progrediente artus paulatim convelluntur, tandemque per intervalla totum corpus obrigescit, usque dum viribus attritis (siquidem miser nec liquida ferè nec solida assumere potuerit amplius) vigesimo die fatis cessit.

SCHOLIUM.

Verissimum esse quod Hippocrates Sect. 5. aphorism. 2. effatur: ἐπὶ πεπόνμασι σπασμὸς ὑπογινόμενος θανάσιμον, præsentibus etiam historiis evincitur, in quarum utraque mirari subit nervorum tendinumque, qui horum quasi compigmentum sunt, mutuam conspirationem, equidem de musculis temporalibus constat, ipsa tamen ratio contrariæ actionis in hoc potissimùm consistere videtur, quod ob fibrarum parili officio destinatarum ex unâ parte læsionem graviorem, indeque in actione subsequentem quietem, quæ sunt ex parte oppositâ, sese vehementiùs stringere videantur: nec verò hic subsistit spasmodicus motus, quin continuatâ fibrarum nervearum tendinosarumque vehementi contractione, partes aliæ sensim prehenduntur, cujus quidem causa ibi sanguinis grumuli potuerunt esse, cum ichoris flavi idoneâ quantitate fibræductus nerveos circa basin tandem lacessentes, heic verò haud dubiè membranarum tendinumque ductus nervei inciſi, suum fortè calculum adjiciente insuper puris acrioris in profundo stagnantis copiâ, & si ulteriùs pergere liceat, verisimile fit, quemadmodum ex levi punctură fibræ nerveæ cujuscnnque animalculi, fortem corrugationem subvenire animadvertimus, in ejuscemodi partium læsione, sive jam cæsim sive punctim illa fiat, fibrillas musculares violenter adeò contorqueri, ut non rarò obrigescant, similique motu continuato, totum corpus in damnum conjiciant, quibus sustentandis haud parum conducit, concitata spiritus animalis ὁρμὴ, quam hinc subsistentem, virium attritio, tandemque mors necessariò subsequitur. Cerebri motus olim pluribus suspectus fuit,

ideò

ideò enim cranio membranisque obvallatum credebatur, ut in quiete ſuo munere fungeretur, at pauciores ſunt hodie, qui ipſum inficiantur: Dolor pulſitans qui atrocis ſæpe cephalalgiæ comes eſt, arteriis equidem adſcribitur, talis verò exiſteret nunquam, niſi ſuccuſsis membranarum fibrillis, id ſpirituum ope ſubſequeretur, quod menti ejusmodi dolorem concipiendi anſam ſuppeditat, perſuaſumque habemus, fibrillarum harum conſtrictionem quæ in doloribus capitis variis, aliisque affectibus ceu gravedine, evidens eſt, non rarò magis ſpaſmodicam fieri poſſe, ut hinc cerebrum membranarum iſtarum & piæ præcisè ratione, motum obſcuriorem ineat, unde prorſus excuſari non poſſe arbitramur, qui eidem motui nimium ſuperſtruunt, dum ſomni & vigiliarum cauſas alii, alii ſpiritûs animalis commodiorem generationem inſuper inde deducunt: Clariſſ. Majovius l. de ſpiritu Nitro-aereo: Ad ſpiritus, inquit, nitro-aereos in cerebrum copiâ ſatis amplâ deducendos, ſanguinis arteriosi affluxus per ſe ipſe ſufficere non videtur, quapropter probabile arbitror, Meningem craſsiorem cerebro circumdatam, pulſationem quandam obire, à quâ ſe contrahente, ſanguis ad cerebrum appulſus comprimitur, unde fit, quòd particulæ nitro-aereæ ex maſſa cruoris exprimantur, inque cerebrum impellantur, haud multum abſimili ritu ac particulæ motivæ alteræ muſculorum conſtrictione, in partes motrices coguntur: At præterquam quòd piæ meningis motu, ceu quæ vaſa arterioſa potiſsimùm, horumque propagines ad cerebrum quod undiquaque inveſtit transmittit, iſta expreſsio præcipuè fieri deberet, arteriolarum pulſus, earumque in glandulas corticales inoſculatio, pro cruoris neceſſarii ſuppeditatione ſufficere poſſe videtur, nec parum obſtat tenera corticis ſtructura, cui ejusmodi compreſsio, motui cordis reſpondens, facilè officeret: quin imo fibrillarum à ſpiritus nitro-aerei copioſâ expanſione, turgeſcentia, quæ iisdem parciore numero præſentibus aliqualiter deficit, motum iſtum referre potis eſt.

Observ. XXVII.

Catarrhus apoplecticus cum febri & ſubſequente memoriæ defectu.

M. S. L. Vir annorum 57. habitu corporis mediocri, faciei colore ſublivido, vitæ inordinatæ pauliſper aſſuetus, inprimis autem Baccho frequentiori, & ad iram proclivis, d. 30. Jan. 1681. urgente admodum temporis brumalis ſævitiâ, concionem matutinam audiit attentus, ſed morbi indicia jam perſentiſcens, in-

de domum festino cursu, sellamque petiit, hæc modò verba præfatus: HErr JEsu wie will mir werden/mox loquelâ magna ex parte cecidit, atq; deliravit, cum stertore & anxietate circa præcordia insigni: Urina quam d. insequ. inspiciendam nobis attulerunt tincta satis præscriptę hinc mixturæ ex antepil. diaphor. aq. calend. succis. theriac. liquor. C.C. succin. cinnab. antimon. rectif. &c. cum balsam. extern. usurpand. Postero d. ipsum ægrum vidimus talem, uti descripserant, pulsus erat celer inæqualis, vox multum impedita, mens turbata, urinæ satis tinctæ: perrectum hinc in usu liq. C. C. & mistur. cochleat. sumend. V. S. quoque instituta sed parcior, & nuchæ vesicatorium applicatum, quod optimè succesit, ad sanguinis corruptelam emendandam, exhibiti pulver. singul. M. & V. ex Diaphor. Jovial. C. C. philos. ppt. cinnab. antimon. rectif. ungul. alc. Bezoard. miner. aliisve. Errhinum quoque paravimus ex essent. lil. convall. succ. bet. majoran. & Electuar. ex conserv. rosar. major. &c. cum cran. hum. ppt. cinnab. antim. per intervalla ad nucist. magnitud. sumendum. D. 9. Febr. cùm denuò accerseremur, loquela multò liberior fuit, neque deliria tam crebrò revertebant, nî æger suis intentus esset meditationibus: urinæ parum saturatæ, appetitus modicus, sitis nulla, pulsus quoque licet inæqualis adhuc, in celeritate tamen prorsus remiserat. Exhibito deinceps cum Ἀφοείῳ ægri, blando sudorifero sanguinem rursus ventilari curavimus, cùmq; prothei hypochondriaci conatus suspicaremur, alterantibus dehinc emulsionibus, aliisvé certavimus. D. 18. Ægrotus in meliori adhuc statu versabatur: Urina naturali proxima: febris nulla appetitus vires & loquela magis rediére, nisi quod confusè aliquando & minus distinctè, quæ volebat, proferret: scribere quoque jussus literas quidem pinxit, sed confusaneè, conscius nihilominus, se distinctè quamvis vellet, eas pingere non posse, inde fonticulum brachio sinistro inusimus juxtaque tragema paravimus ex rad. valer. pœon. m. visc. querc. ungul. alc. spec. diarrh. Abb. cinnab. Antim. rectif. Ebor. & sacch. ros. tab. cujus usum apprimè commendavit. D. 21. promptè loquebatur, nomine nostro (quod hactenus non poterat) nos compellavit, narravitque qui urgente morbo varia ipsi obrepserint,

pserint, quî item præteritâ nocte somniârit, sanitatem pristinam se recuperâsse, evidenti indicio spirituum motum emendari. Atque his annuente Divino Numine, indies in melius euntibus, præscriptâ exactâ victus ratione, ægroto valediximus, qui in hunc usque diem benè habet.

SCHOLIUM.

De Apoplexiâ & hujus causis pleni sunt tum Vett. tum Recentiorum Practicorum libri: nec opus in scenam singulos heic producere. In eo conveniunt omnes, quòd spiritus animalis non emanantis in nervos horumque propagines vitio malum istud plerumque oriatur, nec possunt aliter, siquidem illæ læduntur actiones, quæ ipsorum influxui proximè ac unicè debentur: causam verò in Ventriculorum obstructionibus præcisè quærere, vel corporis callosi regiâ, ἄτοπον judicamus pariter atque in nudâ spirituum absumptione vel dissipatione, cùm iste ἔκλυσιν vel syncopem maximè produceret: Excellentiss. Wepferus in erudito de Apoplexiâ tractatu, hujus affectus Theoriam studiosè exhibuit, in eoque cum ipso sentimus, medullosam cerebri & cerebelli substantiam, principaliter affici, ceu Dissertat. de Viscer. structurâ p. 16. innuimus, complectitur enim illa maximam partem fibræductus, in quos è glandulis spiritus animalis emanat, indeque ab eisdem in nervos conglomeratis, in partes singulas influit, quibus sive obstructis, sive vehementer compressis, aut aliter læsis, à sanguinis incursu, seri copiâ, alisvé, uti in seqq. observationes testabuntur, fluido tam necessario organa motui tam vitali quàm animali destinata orbantur, sensibusque cadentibus, corpus instar trunci immobile jacet. Idem malum à glandularum corticalium præcipuo sui numero obstructione provenire posse, pariter atque à sanguinis per arterias accurrentis à cerebro exclusione, cui obstructionem in carotidibus internis & vertebralibus, ansam dare ingeniosè ostendit suprà laudatus Wepferus, verisimile videtur, rarior tamen illa est, & in apoplecticorum sectionibus perinde non observata: Clariss. Willisius apoplexiam omnem vel accidentalem vel habitualem esse ostendit, hancque vel à sanguine extravasato, vel ab abscessu rupto, vel serosâ colluvie optimè deducit: de spirituum subitâ profligatione, suprà aliquid monuimus, de narcoticorum verò effectis & modo agendi, cùm in hist. cicut. tum alibi quædam diximus, addituri plura in Schol. de Diarrhœâ tympanit. In præsenti historiâ, etsi labem aliquam cerebri medullosos ductus accepisse, constare possit ex loquelæ defectu, stertore, & motus impotentiâ, hancque ipsam sanguinis serosa dispositio, quam ex malâ diætâ contraxit, intulerit, spi-

rituum

rituum tamen influxus vel motus prorsus non cessavit, deliravit enim, quamvis cum difficultate verbum unum alterumvé ediderit, videturq; ex massâ humorali, æstuante motu, quem particulis heterogeneis, sero præprimis salsacido saturata induit, spiritus animales, qui ante sui secretionem ipsi permisti sunt, pariter infectos fuisse, ut inde particulis ferocientibus ipsis accretis, confusè in fibrillis motitari ceperint, quin imò hisce aliqualiter sese constringentibus, sive ob accreti aliquam acrimoniam, sive spiritus impetum, plenè non influxerint, atque hinc deliria præcipuè, anxietates item circa præcordia, & pulsus inæqualis ortum suo modo deducere licet, aliàs enim serum in M.H. fluctuans, salia in fluorem evehit, ac hinc coagulorum variis in locis fœcunda mater est, quibus circa pulmones hærere incipientibus utrumque symptoma intervenire necesse est: Medicamentorum quoque operandi ratio idem testatur, utpote quæ serum nimiùm tum dissipare, tum salia acida enervare, & totam massam ad legitimum volatilitatis statum ducere potis fuerunt: Quin imò unicuique Medicinam rationaliter facienti patet, in quocunque apoplexiæ insultu, de causæ amotione nos sollicitos esse potissimum, partiumque robur & spirituum refocillationem, aliter ferè non obtineri, utpote quæ humorum vitio plerumque patiuntur: De urinis multa blaterant Empirici, qui nescio quæ arcana inde dignoscere & prædicere, satagunt, ast quo cum fundamento vel successu viderint illi: scimus de partium functionibus & massæ humoralis variâ constitutione illas testari posse, at & istud experientia comprobat, latere sæpe occultum in parte nobili morbum, quem ex urinis nunquam conjecturaremur, ut hinc si non orci damnandos, saltem ex sapientum hominum censu extorquendos judicemus, quotquot ejusmodi stolidis vaticiniis, humano generi imponunt, illudque miserè deludunt: Paracelsus, quâ polluit, ingenii aciem etiam in uroscopiâ prodere conatus est, sed paucâ cum sui laude, præterquam enim, quòd prognostica ipsius sæpissimè fallunt, quotusquisque est ex prudentioribus Medicis, à quibus ipsius nomen aliàs magni æstimatur, qui isthoc in negotio ipsum sequitur. Urinæ spumeæ; nisi aër intercluſus & agitatus in causâ fuerit, si quidquam, humorum præcipuè & spirituum commotionem indigitant, quales in febribus præcipuè malignis, frequens esse solet: nec tamen ex iis tanta prædicere licuisset ægroto, ni alia signa adfuissent: aurea magis sunt Hippocratis prorrhetica, de urinis fabulosis, squamosis, cruentis &c. quæ de Renum & vesicæ affectibus ceu testimonia infallibilia, aphorismis inseruit: De topicis medicamentis, quæ in insultibus apoplecticis & epilepticis vertici, temporibus, naribusvé promptè applicãtur, judicamus ni penetrantissima fuerint, particulasq; prorsus solutas obtinuerint, non magnæ esse efficaciæ: naribus

bus admota, adoriendo fibrillas per membranam tubulatam diſperſas, ſicque ſuccutiendo ſpiritus, in motu ſubſiſtentes, aliquid efficere potis ſunt: utrum verò, quod Viri magni aſſerunt, verſus cerebrum uſque ſe expandant, porosque ipſius obſtructos referent, adhuc dum incerti ſumus ſiquidem aeri illac deveniendi via ab ipſis, & fortè jure denegetur. Id ratum eſt quòd ſpiritus urinoſi vel volatiles alii præſtare non valent, balſama non effecturos, iſtaque in motibus convulſivis aliter juvare non videntur, quàm quòd ſive fibras nerveas muſculorum temporalium ſive duram meningem & vicinas, ſulphure ſuo balſamico reficiunt, easdemque conſtrictas mulcent, ut priſtinum laxitatis ſtatum recipiant: In apoplexiâ forti, concidentibus fibrillis, ſpirituumque affluxu denegato, etiamſi maximè urinoſa naribus adhibeantur, rarenter dicta ſuccuſſio animadvertitur, atque hinc funeſtum exitum jure metuimus. Non minorem attentionem meretur memoriæ læſio, quâ quæ volebat, nec dicere rectè nec ſcribere potuit, adeò mens noſtra, imperium quod olim obtinuit, in ſpiritus ampliùs abſolutum non obtinet: quamvis hæc ipſa conſcientia, memoriam prorſus abolitam non fuiſſe, ſed reminiſcentiæ actus uſque & uſque ſuperfuiſſe oſtendat: talique malo producendo curæ & meditationes diurnæ nocturnæque aptiſſimæ ſunt, utpote quibus non modo ſpiritus in inordinatos motus adigimus, ſed eorundem diſpendio inſigniter afficimur: quin imò fatigatæ tandem glandulæ, jugi ſecretione, (quam labem ſeram accedens egregiè adjuvat) fibrillarumque ductus perenni ſpirituum, eaque fortiori motitatione, ipſæmet labaſcunt & inertes redduntur, ac quandoque obrigeſcunt, ut inde nec pariles ac iteratæ in iis undulationes ſequantur, nec æquè frequentes, ex ſpirituum defectu, fibrillarumque ineptitudine, ex iis tamen qui fiunt, etſi aliqui fiant leviuſculè, anima præteritorum ideam reiterat, quamvis per organa corporea, ob dictorum inſufficientiam diſtinctè ſemper exprimere non valeat, hocque eò minùs ſi undulatione in aliis medullæ ductibus contingente, ipſamet in primarum idearum formatione turbetur, quod hoc affectu laborantibus accidere ſolet, lucida enim intervalla, confuſi ſubſequentes motus non rarò obſcurant: Illuſtre eſt exemplum, cujus ante plures annos apud nos meminit Celeberr. Wepferus, illudque poſtea An. 1679. Excellentiſſ. Verzaſchæ, occaſione viri cujuspiam Ampliſſ. qui memoriæ labem inſignem incurrerat, perſcripſit: R. D. Matthæus (verba ſunt ipſius) Parochus Büchelenſis, in comitatu Sulzenſi, penitus memoriam ante 18. annos amiſit in momento, integro motu & cæteris ſenſibus: Hic convaluerat ex pleuritide menſ. Martio Rheinovii, jamque in illo erat, ut repeteret ſuam Parochiam, 3. horis inde diſtantem: ſummo mane expergefactum horâ ſextâ convenit quidam ex amicis, referens ipſius conſanguineos ciſtas effregiſſe,

ſupellectilem aliasque ipſius opes diripuiſſe, atque inter ſe diviſiſſe, eò quòd ipſum moribundum, criſi inſtante dereliquiſſent: Alius rogavit, ut ipſius memor in teſtamento eſſet: utrique cum ſummâ indignatione auſcultavit: circa 7. ſe ad ſomnum compoſuit: expergefactus poſt horam & quod excurrit, memoriam penitus amiſit, ut neminem adſtantium agnoverit: nec ullam aliam rem ſuo nomine appellare potuerit: tentavit num legere vel ſcribere valeret; legit & ſcripſit, ſed aliena, abſurda & falſa. Alterius exempli hiſtoriam, prolixè tradit, Vir ſuprà laudatus, p. 264. Exercit. de l. aff. in apoplexiâ, quæ multa cum attentione legi meretur: Jam ad memoriæ actus explicandos pergendum, cujus ſedem à ſenſu communi & Phantaſiâ in cerebro diverſam fecerunt Arabes. Clariſſ. verò Williſius, qui interanea cerebri accuratiùs rimatus eſt l. de Anim. Brutor. Imaginationis ſedem corpora calloſa, ſive meditullium cerebri, atque memoriæ cerebri corticales medullas, utriusque verò organum immediatum ſpiritus animales declarat: ex recentioribus verò cùm Medicis tum Philoſophis alii, ſpiritus animales in medullari præcipuè cerebri ſubſtantia, objectorum veſtigia imprimere, & deinceps rurſum legere, ſicque memoriæ & reminiſcentiæ actus ſubſequi, ſibi perſuadent: inde in fibrillis tenerioribus puerulorum veſtigia facilè diſparere quę inadultorum ceu firmioribus diutiùs hæreant: arduum eſſet, tantis nominibus, in re ſatis abſtruſa contradicere, ni cerebri ſtructura obſcuritatem aliquam in hiſce ratiociniis monſtraret: in corticalibus poris ſ. glandulis ſpiritus ſecernitur in fibræductus, è quibus cùm calloſum corpus tum etiam medullæ præcipuam partem conſtituitur, ut qui memoria illic præcisè reſidere, vel ſpiritus oberrare poſſit, variaque veſtigia imprimere, conceptu difficile omnino ſit, nî, quod ſuperiùs innuimus, per undulationem in diverſis ductibus, ſive iteratam, ſive noviter fientem phænomena explicentur: Nempe ſenſus communis, aliud non eſt, quàm objecti cujuſpiam ſimplex apprehenſio, à motu ſpirituum undulante ab organo exteriore verſus interiora cerebri continuato, quem deinceps alius in aliis fibræductibus à cerebri meditullio verſus organa externa, prout objectum motui blando vel impetuoſo anſam dederit) excipere poteſt: ubi jam ſive causa occaſionali, ſive nullâ prima undulatio in interioribus recurrerit, mens noſtra priſtini objecti reminiſcitur: in brutis verò, ex ſubſequente prę cipuè 2dó motu memoria quędam concluditur: Exemplo ſit equus, (cujus Williſius meminit) qui in paſcua ſterilia deductus, cum biduo ante fœcundiori fruitus eſſet, hinnitu ſe hujus reminiſci teſtatur. Dolendum ſanè Virum ſagaciſsimum in iſtis brutorum actionibus deceptum fuiſſe, adeò ut imaginari & reminiſci illa ſtatuerit, cùm tamen nonniſi mentis iſtæ operationes haberi debeant:

beant: Objecti sanè vel affinitas, vel si ad victum necessarium fuerit, absentia, ejusmodi motus facilè renovat.

Observat. XXVIII.

Vertigo. Catarrhus apoplecticus cum vocis deperditione & sinistri lateris paralysi, &c.

Vir sexagenarius, faciei colore rutilo, robustus & carnosus, sed vino & nicotianæ quandoque indulgens, Ann. 1681. Mense Octobr. quo colligendis mellitis Bacchi fructibus, rustica gens occupatur, manè surgens, ædes sacras pro more adiit, vegetus; ex iis verò tremulo pede rediit, de totius circumgyratione conquerens, & artuum inferiorum vacillatione: consilium domi petentibus, aquam antepil. per cochlearia sumendam præscripsimus. Ad functiones ordinarias quùm progredi vellet, oculis tenebræ obversabantur, urgere incipiebat nausea & vomendi conatus, imò animi deliquia sui initia ostendebant. Vocati pulsum satis laudabilem deprehendimus, nulla aderat sitis, nullus quoque circa ventriculi regionem morsus vel dolor acrior, quantum quidem æger percipere valuit: appetitus tamen dejectus & nausea frequens, cum ejectione pituitæ tenacis ac viscidæ, doloris lancinantis utplurimum præsagæ, quietem imperavimus, simulque mixturam paravimus ex aq. cinnam. cydon. cum spiritu urin. gut. aliquot. cinnab. antim. gran. vij uno haustu sumendam: Vesperi verò ex Diaph. Jov. & cinnab. antim. cum extr. castor. &c. pilulas concinnavimus, quarum usum apprimè laudavit. D. 3tio rebus ægroti in meliùs vergentibus trageam ex antepil. volatil. aliisque absorbentibus in usum vocavimus, quibus Deo benedicente pristinam sanitatem recuperavimus.

Biennio post redeuntibus Maji delitiis, hic idem cum suis mensæ accumbens, ubi priùs officio toto manè laudabiliter functus esset, nihilque mali, nisi quòd priùs excanduit, persensisset, manu dextrâ titubavit, loquique volens non potuit: accersiti colorem faciei & pulsum laudabilem deprehendimus, voce magis magisq; deficiente, totoque latere dextro vacillante, ut ægrè omnino lectum repeteret: Institutæ mox frictiones: celebrata V.S. in bra-

chio siniſtro ad ʒvj propinata mixtur. antapoplect. naribus admotus nodulus ex caſtor. cum ſpir. urin. Horis aliquot poſt reduces, quamvis priorum ſymptomatum ratione melius haberet tantiſper, propenſio tamen in ſomnum vehementer urgebat, cum oſcitatione crebrâ, quæ aliquo modo cohibebatur à dicto nodulo: Injecto clyſtere, nuchæ veſicatorium applicuimus, exhibitis per intervalla juſculis confortantibus, & in potus ordinarii locum ſubſtituto decoct. rad. chin. Poſtridie manè ſudatiunculam paſſus fuit, mente conſtitit, expergefactus ad interrogata reſpondit, mox tamen in ſomnum rurſus proruens, injecto denuo clyſtere. liq. C.C. cum ſpir. urin. in aq. antapopl, duabus vicibus propinavimus, ſternutatorium quoque per intervalla naribus admovimns, circa meridiem Veſicator. carpo & ſuræ ſiniſtris applicuimus: ſub veſper. verò pulv. ex ſale volat. ſuccin. & C.C. obtulimus, cucurbitulis cum & ſine ſcarificatione dorſo adhibitis: horâ 9. nocturn. maduit æger, humerumque dextrum cum crure commodiùs movit & excitatiùs: D. ſeq. veſicatoria copiosè aquam profuderunt, expergefactus ſummo manè dejecit, cum murmure & rugitibus: toto corpore copiosè ſudavit: Manè accedentes pulſum elatiorem paulò deprehendimus, ab aſſumpto diaphoretico exhibuimus circa ſeptimam infuſ. ex herb. ſalv. beton. &c. ſub meridiem vigilavit per horas plures verſus veſperam uſque: cùm æger ipſe jam ſe minus ſomnolentum fateretur, & motus in artubus ac loquela magis rediiſſent, in julepis cephalicis nudè perſtitimus, iteratis in ſeq. diebus dicto infuſo, additoque electuar, ex conſerv. roſar. beton. major. cal. aromat. cran. hum. ppt. &c. d. 23. Maji rebus ægroti prorſus in melius vergentibus propinavimus purgans ex decoct. tamarind. cum infuſ. fol. ſen. &c. ſolut. in col. pulv. rad. jal. atque ita curæ iſti finem fecimus.

SCHOLIUM.

Cerebrum, ſi quam aliam partem, innumeris ſubjectum eſſe morbis, conſtans eſt Vett. Medicorum ſententia, quos ex Recentioribus ſequuntur, quotquot nonniſi partes ſolidas ſubjectum affectuum p. n. eſſe pronuntiant, ac ſi morbona ſuos exercitus diſtribueret unicè, ut aliqui manipuli caput, alii cor, quidam hepar, nonnulli renes, alii ſtomachum, veſicam,

veſicam, uterum, ex mandato cogerentur, invadere: equidem prudentium Medicorum nemo eouſque delirat, ut illas ab inſultibus morborum liberare velit, id verò juxta negari nequit, cùm maſſam humoralem ipſam, tum ſpiritus animales iisdem expoſi, quin imò partibus morbum addici, qui nonniſi iis debeatur: de febri cujus eſſentiam in Intemperie cordis calida quæritant, rem ſalvam eſſe arbitramur, cùm motus ejus frequentior ab extrinſeco ſit irruente, & non ab interno calore aucto, qualis in partem ſolidam nunquam cadit, ſapienter philoſophantibus: de complurimis, quorum focum in cerebro hujusque ſubſtantiâ præcisè, ſubſiſtere dicunt, affectibus, Phrenitide, maniâ, catalepſi &c. facili negotio probaremus, in ſpiritibus ſæpenumero potiſsimam labem hærere, in motu ſuo variè exagitatis & concitatis, aut aliter intemperiem contrahentibus, citra ullam cerebri temperiem læſam, illud quoque ratum eſt, ex ſanguine ita ipſum non ſecerni, ut Vett. voluerunt, de pabulo æthereo quod pulmonum miniſterio jugiter accedit, & potiſsimam illorum materiam conſtituit, parum cogitantes, nec eam naturam facilè adipiſci, quæ nunc in ſtygiam vel aliam acerrimam ſalvâ vitâ tranſire queat: uti autem omnes ſuas actiones motu blando & legitimâ temperie, quæ particularum configurationem, magnitudinem & juſtam proportionem involvit, obeunt, ita viciſsim, quidquid in iis perverſi animadverti poteſt, ab iisdem læſis petendum eſt, quod datâ occaſione in dictis affectibus demonſtrare ſtudebimus. In vertigine illum ipſum vitiari, nemo inficiabitur, dummodo in gyrum ſemper rapiantur, quod in malo ab externâ causâ oriundo, frequentius eſſe arbitramur: in aliis iſta circumrotatio in hoc præcipuè conſiſtere videtur, quòd ſpirituum motu undulante ab interioribus fibrillis in exteriora organa præpedito vel ceſſante, ſive ab irritatione in parte ſenſili, ſive ab accreto heterogeneo, & lumen deficit, & metus cadendi invadit, iisdem in anfractibus adhuc dum turbulentè fluctuantibus, mentisque judicium fibrillarum ſuccuſſione pervertentibus: quod ratiocinium confirmant exempla eorum, quæ citra evidentem cauſam, malo hoc corripiuntur, in quibus ad impreſſionem ſimilis motus, argumentari non licet, & inde modò memoratæ cauſæ ſufficere poſſunt, ad actionum læſionem ſtudioſiùs attendenti. Clariſſ. Hannemannus, referente Excellentiſſ. Boneto cap. 3. l. 1. ſect. 7. Medicin. Septentrional. ad modum ſollicitus fuit in ſede hujus affectus perveſtigandâ: ejus opinionem ruminare tantiſper è re erit: *Pueri*, inquit, *petulantes & protervi, uno calcaneo ſeſe in gyrum circumgyrantes, facillimè in hunc incidunt morbum: Præterea vertigo poteſt oriri adſpicientibus res in gyrum vel circulum circumactas: quidam quoties curru vel navi vehuntur, vertiginem concipiunt &c. Apparet ſic eſſe affectum, ſæpiùs à noſtro arbitrio pendentem, quoad eum concitandum, & quodam-*

modo ad eum finiendum, quamvis non semper. Morbi hujus focus nostro arbitratu, nullibi quærendus est, quàm in ipso cerebri interiori antro, quatenus illud absolvit regionem vel clima per quod proserpant nervi optici: Rationes quibus istud probatur, seqq. sunt, quoniam illa quæ in profundo sinu labyrintheo cerebri, aut etiam in ejus cortice, vel glandulâ pineali, vel ventriculis peraguntur, non possunt, corpora vel potiùs phantasmata circumgyrantia sistere conspectui. 2. quia affectus est, suboriens si ex alto prospiciamus 3. quia notum est oculis clausis ipsum supprimi posse: Verùmenimverò ut linquamus, quæ de nervis opticis è cerebri antro anteriori prodeuntibus, de iis item, quæ in cerebri cortice, glandulâ pineali & ventriculis peragi, supponit, ratiocinium Viri hujus doctissimi, sedem vertiginis ut loquuntur, essentialis explicare non videtur, cùm ex externis, eas modò alleget causas, quæ per impressionem motus similis in spiritibus, (qui tamen fortè alius non est, quàm ut superiùs descripsimus) malum istud producunt, indeque ad spiritum visivum, immediatè affici solitum, & parili labe reliquos in cerebro inficientem argumentetur, relictâ ratione formali affectus citra externam ejusmodi φάσιν pullulantis: nec, quod pace tanti Viri dixerimus, rem expedit in responsione ad vertiginem cæcorum, quin imò parilem cum nobis sententiam fovere videtur, distinguit enim inter circumgyrationem verè talem, qualem fingunt sibi videntes, & inter eandem analogicam, qualis contingit in cœcis, idem patientibus iiscum, quibus artus amputati sunt, & de membri amissi dolore conqueruntur: in his certè, uti mens ex iteratâ ininterioribus cerebri undulatione, (qualis verè obtinuit, cùm membrum amputaretur) perversè judicat de dolore membri olim sublati, ita vicissim, sive stringantur fibræ nerveæ in ventriculo aut alibi, sive in ipsis cerebri fibrillis copulâ heterogeneâ spiritus turbentur, aut eorundem legitima secretio tantisper suspendatur, sive deniq; ab externorum aspectu diutina retrosiliant, mens ex turbulentâ undulatione, de totius circumgyratione perperàm judicabit, idque eò magis, si priùs corpora alia circumrotari intellexit: ferè hinc persuasum habemus, ubique circumgyrationem spirituum analogicam magis esse, quàm veram: in præsenti historiâ, causa nulla fuit, nî nicotianam & vini abusum assumere placeat, de utroque constat, cujusmodi particularum ope & sanguinem & spiritus agitare ac succutere valeant, inprimis verò illa sulphur sale aculeatum obtinet, generi nervoso & animali spiritui minùs amicum, quia autem hujus fumum & masticationem citra molestiam ut quidem ipsi videbatur, tulit, inde fomes immediatè repeti nequit: Ex ventriculo eundem majore jure derivari posse, nausea & vomituritio, tandemq; viscidi seri excretio comprobat, nec obstat doloris absentia, sæpiùs enim mucus tenacior est, quàm ut salia ad tunicam nerveam efficaciter penetrare valeant, sæpe eadem magis irretita, ut aculeos pro lubitu exercere

cere nequeant, quibus accedit medicamentorum opera, ſpirituoſorum, volatilium, abſorbentium & præcipitantium, quibus ſpicula acidi infringuntur, corriguntur, viſcidum inciditur & attenuatur, partesque nerveæ demulcentur: atque heic potiſsimum cum Cl. Sylvio laudamus ſpir. urin. & cum Excell. Ludovic. Diaphor. Jov. & cinnab. antimon. de quibus ipſi præclarè diſſeruerunt, nobis eorundem virtutem explorandi ansâ relictâ: atque de hac per conſenſum vertigine videri poſſunt, quæ Helmont. profert, tractat. Pylorus Rect. Memoratu verò digniſſima eſt Helvigiana, cui eruditum additamentum adſcripſit Exc. Celſus noſter, de viro, qui per viginti & plures annos, ſtomachi dolore, vomitu frequenti, aurium tinnitu, ſimulque vertigine periodicâ moleſtatus fuit, tandemque (quod fieri ſolet) apoplexiâ forti tactus ſuper prandium, intra horæ ſpatium, mortem obiit. Simile quodammodo fatum noſter expertus eſt, nec multum litigabimus, an cerebri glandulæ & fibrillæ, ex malâ victus ratione, primo vertiginis inſultu, prorſus fuerint immunes, ſufficit acceſſiſſe cauſam, quâ ſanguis ex ſe fluidior, facilè extra vaſa prorupit, iram nempe, animi commotionem vehementem, ex quâ concitato ſpirituum motu interiori & exteriora verſus, non ſaltem fibrillæ cerebri & meninges ſuccutiuntur, ſed ſanguis ipſe ferociter exæſtuat, majorique impetu vaſa tantùm non disrumpit, in cerebro, ſicque apoplexiam: incurabilem induit, ceu anatome alios nobiscum docuit: apud noſtrum, ſiquidem excandeſcentia levior fuit, nec pertinax, labes funeſta toti nervoſo generi confeſtim non fuit illata, quin alteram ſaltem partem fibrillarum medullarium occupando, ſenſim in paralyſin tranſiit, graviori damno nervis octavi paris illato, cardiacis è cerebello prodeuntibus & thoracicis ſalvis manentibus: iis tamen medela identidem parata fuit, Sanguinis miſſione & frictionibus inſtitutis, & volatilibus diſcutientibus, antepilepticis exhibitis; neq; cõmodiora hoc în affectu videntur iis, quæ cùm ſanguinem extra vaſa reſorberi faciunt, aliqua ejus copiâ in vaſis propioribus imminuta, tum eundem ſubſiſtentem & à motu feriantem, ſuſcitant, aut ut qui mobilior redditus in vaſis, eundem ſecum rapiat efficiunt, tum deniqne torpidiorem in totâ maſſâ excitant, grumeſcentem in parte reſolvunt, ſeroſiorem diſcutiunt, ſicque diſcuſſâ nebula, in glandulis, fibræque ductibus medullaribus, in nervos jamjam faceſſentibus, (quibus labem etiam fuiſſe inductam, ſopor deinceps premens demonſtrat) ſpirituum influxus repandunt, id quod V.S. frictiones, cucurbitulæ ſine ſcarificatione & volatilia urinoſa, internè & externè exhibita præſtare potis ſunt, quorum uſus legitimè continuatus, blanda quam excitat diaphoréſi, ceu qua ſerum abundans vacuatur, maſſa univerſa in vividiore motu conſervatur, idque quod reſiduum eſſe poſſet materiæ morbificæ, vel diſcutitur vel in ſanguinem

guinem abreptum corrigitur, ſalutaris eſt quàm maximè, univerſalibus non neglectis: de corporum ſtriatorum uſu, ingeniosè ſentit Clariſſ. *Williſius*, cap. XIII. Cer. Anatom. illa inter Cerebrum & Appendicem ejus collocata, utriusque magna & communia diverſoria exiſtere, ſive eſſe commune ſenſorium omniumque ſenſibilium ictus à nervis cujusq; organi delatos accipere, cui aſſerto contrariari videtur, quòd corporibus iſtis ſive obſtructis, ſive compreſſis Paralyſin facillimè oriri, ex cadaverum ſectionibus notavit: enimverò conſtat, ſenſum in paralyſi non aboleri, quod tamen fieri deberet maximè, ſi πᾶν αἰσθητήριον obſtructione laborare dicendum eſt: reſpondet equidem tractus medullares omnes, ſemper ita densè non obſtrui, quin partes aliquæ ſenſu gaudere poſſint, at obſtructione ſemel poſitâ, in exilibus fibræductibus difficile omnino eſt ſpiritum ſenſitivum adhuc influere, quod ſupponere ille videtur: imò obſcurè ſatis argumentum eludere conatur, dum cap. 9. pathol. Cer. ſenſum ſubſiſtere poſſe ait, ſenſorio communi obſtructo, ejusq; incolis ſpiritibus obtorpeſcentibus, eò quòd ſenſus ſit tantùm paſſio, atque impreſſio ſenſibilis continuitate proceſſus nervoſi ab organo ad ſenſorium commune, ſine quovis ſpirituum nixu aut molimine propagare queat: namque licèt ſpirituum motum undulantem, quem pro ſenſu in anima ciendo, naturæ lege neceſſarium Philoſophi hactenus judicarunt, ſeponamus, quî tamen ſenſibilis ictus percipi queat, primò ſenſorio, non modò iis deſtituto, ſed inepto graviterque læſo exiſtente, necdum ſatis intelligimus: nihilominus inficiandum non eſt, corporibus hiſce nubeculâ graviore obductis, dictum affectum pullulare poſſe; ſunt enim ſpiritus animalis è glandulis in fibrillas ſecreti, receptacula pariter, & in funiculos medullares alios, quorum expanſio ſunt, nervosque inde ſcaturientes diſpenſatoria, utpote ex innumeris ſtriis & fibræductibus ipſamet conflata: De veſicatoriis quoque, ecquî in ejusmodi affectibus promptam opem ferre poſſint, meritò videndum, nec enim partem affectam propiùs attingunt, neque cauſam immediatè lædentem tollere valent, quin ſerum è vaſis cutaneis potiſſimùm eliciunt: ſolent illa tum nuchæ tum pone aures applicari, idque, ſi communem explicandi modum audimus, revulſionis ergo: ac ſi materiam, in motu ad cerebrum conſtitutam, aliò traherent, unde etiam per attractionem operari dicuntur, ſi jam agant aſperis & acutis particulis, quarum ope etiam dolori anſam præbet de quibus legi merentur Exc. Wedelii Amici & Collegæ honoratiſſimi Amœnit. Mat. Med. Equidem de igne actuali, cujus particulæ utpote in motu pernici poſitæ, etiam profundiùs penetrare poſſunt, quî lympham coagulatam, ſi fortè dolori Iſchiadico, aliisvé occaſionem præbuerit, ves planior eſſe poteſt; de iis verò non item: Videntur ſanè Cantharides, ex his enim cum fermento veſicatoria utplurimùm fiunt)

ſale

ſale ſuo volatili poros cutis penetrare, ſanguinemque per vaſa cutanea, quæ carotidum & jugularium præcipuam partem propagines ſunt, accedentem fundere, ſicque idoneam ſeri copiam elicere, quæ deinceps adacuta, cutem elevando, veſiculas producit: ſicque non modo ſeri crebriorem adventum ad partem affectam inhibere, ſed anſa eſſe viciſsim ut ſive diſcuti, quod reliquum ibi hæret, ſive etiam ſanguini, ſero depauperato, reaffundi poſſit, (reſorberi aliàs ajunt) fortè etiam fibrillæ oſcillorum in capillaribus cutaneis à dictâ ſalis volatilis acredine ita afficiuntur, ut commodum illa ſubingredi queat, de quo apprimè teſtatur ardor urinæ à cantharidum applicarione quandoque ſubortus: Aurium ſubſtantiam, magnâ ſui parte glanduloſam eſſe, ceruminis generatio, fluxusque ichoroſus, infantulis familiaris, dictante ſanâ ratione pridem ſuaſerunt: hanc verò non ita pridem detexit Clariſſ. du Verney in Scholâ Pariſienſi Anatomicus Regius dexterrimus: enimverò cum organi ſecretorii vices naturæ lege ſuſtineant, ubi vaſa illuc euntia deplevérimus, ſerum identidem imminuetur, ejusque profluvium utile protenus non ſubſiſtet.

Observ. XXIX.

Artuum inferiorum ἀναιδησία ex caſu in ſpinam dorſi, cum urinæ & fæcum alvi ſuppreſſione primùm pertinaci, hinc incontinentia &c.

H. Giegelmann è ditione Baſilienſi, annorum 30. cùm D. Dominicâ quæ erat 13. Aug. An. 1682. arborem imprudens conſcenderet, de ſupremo ejus faſtigio delapſus, binarum in lumbis vertebrarum introrſum & extrorſum luxationem incurrit, quæ tamen Chirurgorum diligenti operâ ſuo loco reſtitutæ fuerunt interim abdomen intumeſcere, fæces & urina pertinaciter ſupprimi, multaque ægrum anxietas infeſtare ceperunt, quibus animadverſis noſtram Chirurgi exorârunt opem, præprimis, quòd de vaſis cujuſpiam ruptione aut ſanguinis in interioribus ob tantam vim corpori illatam, extravaſatione & grumeſcentiá certi eſſe non poterant: ſub veſperam medicamenta requirentibus, internè volatilia, reſolventia præſcripſimus, externè verò emollientia & demulcentia nervina, quibus regionem lumborum & hypogaſtrii illiniebant. Poſtridie urina cum fæcibus alvi reſponderunt, & abdomen multum detumuit, ne quid autem auxi-

lii neceſſarii deeſſet, in medicamentis ulteriùs perrectum: Ipſimet inde ægrum adivimus, ut de ſubliteſcente malo melius conſtaret, quem robuſtum ſatis deprehendimus, cum pulſu blando, æquali, conſtante: abdomen admodum tenſum non erat, nulla ſpirandi difficultas, nulla ſanguinis ſputi indicia, grumuli tamen ejusdem, urinæ innatabant: in inferioribus autem lærna malorum aderat, artuum nempe, quamvis ad attactum calidorum, ἀναισθησίαν & ad motum ineptitudo, unde non niſi mala augurari poteramus, licèt tumoris abſentia & urinæ voluntaria excretio, meliora ſperare juberent, inde linimenti uſus externè continuatus fuit; cum ſpir. veron. & liq. C. C. ſuccin. internè, ſanguine item hirc. & ſperm. cet. pulver. formâ in juſcul. d. 3. ægrotus mediocriter habebat, & ex medicament. nihil innovatum fuit: d. 6. autem in deterius labi cepit, & ſymptomata, quæ ſuſpicabamur ingruere, pedum nempe tumor, urinæ albidæ & tenuis profluvium involuntarium & ſitis, conſtantibus interim ſuperiorum partium artuumque actionibus: Quid mali deinceps expectandum ſit, mox prædiximus, ordinatis interea auxiliis, ſpirituoſis volatilibus, diſcutientibus lymphamque fluxilem reddentibus, applicato regioni veſicæ Emplaſtro magnetico: nec fefellit præſagium: ab eo enim tempore, caro in femore natibusque emortua eſt & putruit, vermiumque gremium evaſit, cui malo Chirurgi omnibus viribus contraniſi ſunt: aſt incaſſum fuit noſtra ipſorumq; opera, putredine magis magisque ſerpente, & immani vermium copiâ variis in locis pullulante, quibus ferro & medicamentis tam diu proſpectum fuit, donec ad beatiores ſedes miſer translatus fuit.

SCHOLIUM.

Cerebrum ſpinalis medullæ expanſionem vel continuationem eſſe, ex ſententiâ Virorum Clariſſimorum alibi diximus: quicquid ſit, ea certè nobis videtur tum inter iſtas, tum alias partes continuitas, quæ exactiſſimam ὁμοψηφίαν ſatis comprobat, idque apud nos ratum eſt, vacare ſpinalem medullam ſpirituum ſecretioni pariter, ac cerebrum vulgò ſumptum, utpote cum arteriæ vertebralis propagines identidem, ad corticales ejus glandulas ferantur: in inſectis cerebro vel deſtitutis vel parvulo ſaltem præditis, experientia iſtud ſuperius comprobatum dedimus:

dimus: in animalibus perfectioribus idem facilè liquet, ſpinalem medullam coquenti, ceu in Diſſert. de Viſc. ſtructur. monuimus; apparent enim glandulæ ſolidiuſculè compactæ, cum fibræductibus, ſive perviis canaliculis, in nervorum funiculos faceſſentibus: Experientiæ verò fulcrum ſuppeditat ſana ratio, quâ à conſimili prorſus organi ſtructurâ, ad idem officii genus argumentari docemur, atque hanc iterata experientia affectus graviſſimos, ſpinali medullâ affectâ, obſervantibus pariter ac ruſpantibus confirmat, ut meritò Hippocrates lib. 2. περὶ ῥηγμ. §. 26. Ὁ δὲ νωτιαῖος μυελὸς ἢν νοσέῃ, ἢν τε ἐκ πλώματος, ἢν τε ἐξ ἄλλης τινὸς προφάσιος ἐν τῷ ἀτλομάτι, ἢ τε σκελέων ἀκρασίης γίνεται ὁ ἄνθρωπος, ὥστε μηδὲ διαγλανόμενος ἐναίειν, μήτε τὴ κύστιν, ὥστε τὰς μὲν πρώτας χρόνας, μήτε κόπρον μήτε οὖρον ἀφέχεσθαι, ἐν μὴ πρὸς ἀνάγκην ὅταν δὲ παλαιότερον γένηται τὸ νόσημα, ὀδὲ ἐναιόνται τῷ ἀνθρώπῳ ἥτε κόπρος ἀφέχεται, μήτε τὸ οὖρον. ἀποθνήσκει δὲ μετὰ ταῦτα, ἢ πολλῷ ὕστερον χρόνῳ :. Ruminare iſta non minùs facile eſt, ad nervorum è vertebris verſus artus inferiores diſtributiones attendenti, quàm jucundum & utile: illorum ſcrutinio præclaram operam indulſit Celeberr. Williſius, qui inde in locis ubi nervi brachiales & crurales egrediuntur, tum medullæ ſpinalis craſſitiem & latitudinem augeri, tum fibrarum manipulos ampliores exiſtere author eſt, pro virtute loco motiva fortiter exercenda: Iſtis ſanè ſive ruptis ſive contortis, malum incurabile exoritur: ceſſat enim ilicò ſpiritus animalis influxus, cujus præſentiam muſculis maximè neceſſariam eſſe, funeſta quæ mox ſequuntur ſymptomata, oppidò ſatis teſtantur, ceu ſunt motus impotentia, ἀναισθησία, cum partium putreſcentia & fœtore maximo: irrorat nempe aura hæc fibras, tonumque partis optimè conſervat, imò ipſasmet ſeri nutritii particulas actuat, ut in alimentum idoneum cedant, quæ deinceps iſthoc deſtitutæ, collabaſcentibus poris & canaliculis, ſubſiſtunt, moramque inutilem ſubeuntes corrumpuntur & putreſcunt: inde etiam eſt, quod ſanguinis, ſerique præprimis lymphici motus fatiſcit, & artus intumeſcere ſolent: enimverò licèt arteriæ continuo pulſu cruorem propellant, deficiente tamen organi robore, & ſecretionis legitimo actu, ductus venoſi & lymphici, fluidum eâdem diligentiâ non revehunt: Ob ejusdem ſpirit. animalis defectum, ſphincter uterque veſicæ & inteſtini recti, officio ſuo non funguntur, unde involuntarium materiæ urinoſæ & fæculentæ profluvium, quod ab initio ob contuſionem, quâ muſculi principio ſummè tendinoſo à lumbis enati afficiuntur, indeque fibrillarum nervearum pertinacem conſtrictionem abeſſe ſolet: quin imò ex vehementi alliſione non rarò capillare vaſculum in renibus vel veſicâ hiſcit vel rumpitur, unde grumuli ſanguinis urinæ permiſcentur, vel omninò ſanguinis extravaſatio major & inde inflammatio veſicæ accidit, quam doloroſiſsima urinæ retentio ex-

cipit: Mirum autem, ut vel obiter moneamus, partium inferiorum ἀλγοφίαν ilico non accedere, cùm ſucco nerveo defraudentur, aut, ſi mavis, ſenſu motuque orbari partes, quibus nutrimentum præcipuè, præ animali ſpiritu nervi ſuppeditabant: multa omnino heic difficultas reluctante experientiâ: neque verò magnopere nos ferit, quod tabem dorſalem objiciunt vel à ſucci hujus defectu unicè oriundam, volumus enim quàm maximè ſpiritum animalem nutritioni adeſſe, & ipſo non influente, artus inferiores decreſcere poſſe; ſed lentiùs iſtud fieri tum experientiâ compertum habemus, tum certum eſt inſuper, in *illa* præter inſuperabilem marcorem, quem cum dolore continuo notat Ampliſ. Tulp. L. 3. obſerv. cap. XXIV. maſſæ humoralis vitium rariùs abeſſe, fortè & aliorum viſcerum, fluidi depurationi dicatorum. Labe tam gravi illatâ, medelam difficilem eſſe, imò fruſtraneam quis non videt, ſi nervorum adfuerit σπάσις, unde licet abdominis tenſioni, artubusque tumidis, emollientibus ac diſcutientibus ſatisfaciamus, ſpirituum tamen influxum rariſsimè conſequimur: Fit autem, ut malo hoc prehendantur, in quibus nec contorſionem, nec rupturam funis medulloſi accuſare poſſumus, cujusmodi vidimus anno præterito 1685. in juvene robuſto 28. circiter annorum, ex Marchionatu, qui cùm clandeſtini amoris fovendi ergo, pavimentum extra ædes conſcenderet, inde delapſus eſt, ſpinamque ad lapides alliſit, & mox motu ſenſuque artuum inferiorum privatus fuit, adeò ut cùm opis nihil ſibi ferri poſſet, vociferando Parentum dormitantium auxilium imploraret: in lectum hinc delatus, poſtridie operam noſtram efflagitavit: accedentes, nulla contuſionis, minus luxationis vertebrarum in ſpinâ & lumbis offendimus veſtigia: pulſus laudabiliter habebat, æger mente optimè conſtitit: artus inferiores ad attactum calebant, abdomen tantiſper tenſum fuit, urinæ excretio tantiſper ſubſiſtebat: Funeſta ilicò prædiximus, quæ interjecto circiter decem dierum ſpatio uti in priore, etiam ingruerunt, tanto cum fœtore, quem adſtantes perinde ferre amplius non potuerunt, uſque dum anima miſellum corpus dereliquit, fuitque hic in cauſa, cur Parentes mortem non nuntiârint, ceu ab ipſis prius petieramus, inquiſituri in cauſæ genium, quæ eadem cum priori eſſe non videbatur, nihilque abſurdi fore cenſemus, ſi dicamus idem talibus accidere, certâ ratione, quod iis, qui ex ictu vel caſu, apoplectici quandoque moriuntur, ceu in ſeq. obſervat. exponemus: viz, ex tam vehementi ſuccuſſione, ſive vas lymphicum, ſive arterioſum rumpitur facillimè, aut aliter dehiſcit, à cujus liquore effuſo magis magisque, ſenſimque coacervato ac coagulato, poſtmodum medullæ ſpinali funibusque nerveis obſtructio, vel potius inemendabilis compreſsio inducitur, ſiquidem difficulter in eas uſque anguſtias medicamentorum etiam maximè activorum particulæ referantes, & ſol-

& ſolventes pertingunt, atque ab hac opinione prorſus alienus non fuit Hippocr. quando l. περὶ τῶν ἔνδον παθῶν ait: φθίσις τρίτη, ὑπὸ ταύτης τὰ τε πάχη. ὁ μυελὸς αὐτέω, ὁ νωτιαῖος αἱμαλόος τε μεζὸς γίνεται. Jam dudum quoque cogitavimus, utrum in lymphæ coagulo, vaſculo prorſus non diſrupto, igne actuali cum fructu pariter uti non liceret, atque in iſchiadico dolore felici ſucceſſu factum novimus, penetrantiſsimæ quoniam ſunt ejus particulæ, quæque pernici motu quieſcentes aggrediuntur, ſolvunt, fluxilesque reddere nituntur: Excell. Severinus lib. 2. pyrotech. chirurg. intentionem noſtram egregiè confirmat, dum cap. XXXVII. ad reſiccatam ſpinæ medullam, uſtionem commendat, eamque, ſi probè capimus, ex ipſiusmet iterum Hippocr. mente: *Eſt autem*, inquit, *admiratione non levi dignum, ut ſicco affectui, ſic: am item ignis immutationem accommodet author: verùm ad hæc ſolertiſsimus homo* Proſper Martianus in Commentario dicit, *ignis uſum eſſe tum diſſipandis, quæ nocent offarctu, ſiccis, tum ſi morbum fecerit fluxio, huic eidem intercipiendæ*: Perpendant ratiocinium iſtud, cum ignis efficaciâ Eruditi, remediumque nominatæ cauſæ depellendæ ſatis congruum, hunc nobiſcum exiſtimabunt. De *vermibus* in carne putreſcente, vulneribusque interdum jugiter ſuccreſcentibus, maximè heic anſam dicendi haberemus, quia verò inferius, de hisex renibus cum urina, per nares item, alvumque excretis, judicium feremus, materiam alii loco deſtinavimus.

Observ. XXX.

Mors ſubita ex ictu, uti Conjectura tulit, Epileptico.

Nicolaus Schultheis Vir annor. 33. uxoratus, robuſtus, ſanguineus, à primâ pueritiâ convulſionibus vexatus, & exhinc in latus ſiniſtrum claudicans, d. Solis, qui erat 14. Martii, An. 1680. ſub meridiem prata ſua viſurus exſpatiavit & ampliùs non rediit; Inde quæſiverunt ipſum conſanguinei aduſque decimam noctis, eâdem die, & manè inſequenti, ſed incaſſum: Jacob Felgenhauer vicinus, quum eodem mane in prata ſua ſe conferre vellet, fortè fortunâ hactenus deſideratum invenit, ſed humi proſtratum prope ponticulum, ſub quo parvulus quidam decurrebat rivus, aquâ ferè tum vacuus, capite in aquam immerſo, magis tamen ad ſiniſtram partem inclinante, ventre prono, pedibusque in altum ſublatis, manu dextrâ ſub ventre poſitâ, & ſiniſtrâ virgul-

tum arctiſsimè tenente: Ponè nares guttæ ſanguinis aliquot conſpiciebantur: Incertus quum ſpargeretur rumor, cui tamen fidem adeò facilem adhibere minus erat conſultum, Magiſtratus Ampliſſ. juſsit in mortis cauſam diligentiùs inquirere viros ad ejusmodi munia obeunda conſtitutos, quibus rogati, operam quam potuimus mutuam præſtitimus. Mortuo foràs elato, omnia probè ſub examen fuêre vocata, nulla tamen comparuerunt contuſionis, vel ictus, vel vulnerum ſigna: nulla faciei tumiditas, niſi quòd labia tantillum intumuiſſe & liveſcere cum ipsâ videbantur: ſtriæ quoque ſanguineæ, ſecundùm dorſi ſpinam hujusque latera, multifariàm diſperſæ micabant: Operæ pretium hinc duximus, externis hisce veſtigiis perveſtigatis, in internam mortis tam repentinæ, ſi quæ forſan adeſſet, cauſam inquirere, quam in cerebro nos deprehenſuros, primùm augurati fuimus: Cranio ergo remoto, ſanguinis grumoſi portio aliqua ſtatim deprehenſa fuit, cum glandulis juxta corpus falcatum minutis, ſeminis milii inſtar albicantibus, & inter ipſam duram matrem protuberantibus: Vaſa ſanguifera eleganter erant conſpicua, turgida, livida, cortice cerebri gangrænati vel inflammati nihil exhibente, niſi quod flacciditatem qualemcunque conceperat: Ventriculi cerebri anteriores ampli ſatis, ichore copioſo fuerunt referti: Compreſsione dictorum ventriculorum factâ, ex tertio ſimilis ichor uberrimè emanavit: Circa occiput ſanguinis grumoſi portio idonea pariter hæſit: Et hiſce ſectioni finis fuit impoſitus, quamvis ut ad thoracis interanea luſtranda pergerent, diligenter ſimus hortati, quò de ſuffocatione, quam ſubſecutam fuiſſe, non malè ſuſpicabamur, adhuc certiora indicia haurire poſsimus.

SCHOLIUM.

Timemus omnia, non modò quæ reprehendi palam, ſed etiam quæ obſcurè cogitari poſſunt, rumorem fabulam, fictam falſam perhorreſcimus. Verba ſunt Tullii Orat. pro T. A. Milone: Eſt ſanè rumore falſo nihil pejus, nihil cui vulgus fidem facilius adhibet, inprimis ubi ſpecie veri veſtitus accedit: Medici certè, ſi alibi, πρόνοια non vulgaris heic requiritur, quâ judicium ſuſpendat tantiſper, de caſibus ſubitò evenientibus, funeſtis præprimis, qui malos interpretes præ aliis nanciſcuntur, dum in rem præſentem

ire

ire liceat: Grave certè eſt, & memoratu longè digniſſimum Hippocratis ad Medicos præceptum l. περὶ ἀρχημοσύνης par. 2. ἴδιοι δέ τις ἐστὶ ἐσθῆτος, καὶ τῇσιν ἄλλῃσι περιφάνεσι. κλεὶς γὰρ ἔοσιν ὑπερφανέως κεκοσμημένοι πολὺ μᾶλλον φιλέονται, καὶ μισητέοι τοῖσι θεωμένοισίν εἰσι. τῷ δ' ἐναντίῳ χρεωμένες σκοπέειν οἷς ἡ διαλεκτὴ κατασκευὴ, ἡδὲ περιεργίη: ὅκη τε γὰρ περιβολῆς καὶ τῆς ἐν ταύτῃ ἀρχημοσύνης, καὶ ἀφελίης, ἡ περὶς περιεργίῃ πεφυκύης, ἀλλὰ μᾶλλον πρὸς δόξαν τότε σιωπᾶν, καὶ τὸ ἐν νῷ πρὸς ἑωυτὸν ἀγωνεῖσθαι. ὅτε ἑκάστῳ πρήματι τοιοῦτοι, ἀδρόχυλοι, ἀπερίεργοι, πικροὶ πρὸς τὰς συναντησίας· δόκιμοι πρὸς τὰς ὑποκρισίας. χαλεποὶ πρὸς τὰς ἀνθρωπωσίας, πρὸς τὰς ὁμοιότητας δύσκολοι καὶ ὁμιλητικοὶ, δύκριτοι πρὸς ἄπαντας, πρὸς τὰς ἀναγκαίας σιγητικοὶ. πρὸς τὰς ὑποσιγήσιας ἐνθυμηματικοὶ καὶ καρτερικοὶ, πρὸς τὰ καιρὸν δόκιμοι καὶ λημματικοὶ &c. cui utinam aures præberent quicunque Artis Aſclepiadeæ Magiſtri ſalutari cupiunt: alia verò longè quorundam regula eſt, qui ſepoſitâ authoritate & gravitate Medici, apud ſequiorem ſexum Rhetoricam exercere amant, & Lenonum adinſtar, affectatâ garrulitate, ejus gratiam aucupantur, fabellis magis & amatoriis diſcurſibus morbis medelam quàm arte parare ſatagentes; qui ſplendido veſtitu & thraſonico inceſſu, ecquid præclari hominis nominisvé ſubſit, vulgò perſuadere nituntur, & ἰητρῶν φιλοσόφων ἰσοθέων conſortio prorſus indigni, turpis lucelli causâ, quod cum Imperatore illo ex lotio ſibi parant, Agyrtarum & Charlatanorum, quos à ſacris Apollineis graviter arcebant Veteres, conventiculis adeſſe imò præeſſe malunt, rati ſatis gloriæ ſibi accidere à malè ſanâ plebe, ſi crumenæ multum auri: quo ipſo etiam Pſeudo-Medicos ſe eſſe, talesque de quibus Cous ab initio c. §. profitentur, imò jurisjurandi, quod præſtari à veris Medicinæ Didaſcalis ubique ſolet, parum tenaces: In veſtitu ſanè uti τὸ πρέπον omnino obſervandum eſt, ita in reliquâ vitâ cæteræ, quarum modò Hippocrates meminit virtutes, inprimis verò τὸ καρτερικὸν πρὸς τὰς ὑποσιγήσιας: Valet heic illud Poëtæ

Eximia eſt virtus præſtare ſilentia rebus,
Econtra gravis eſt culpa tacenda loqui.

Præcipuè autem in caſu ancipiti, lingua mentem ne præcurrat, addimus, & cultrum vel ferrum, quo cauſæ ſæpenumero deteguntur, quarum ignari præceps ac ineptum judicium plurimi ſæpiuſculè ferunt: Viri de quo præſens hiſtoria, amiſsio ac ſubita mors, multorum animos primùm perculit, anſamque dedit peſſima ſuſpicandi, enimverò violentas manus ipſi illatas fuiſſe plures crediderunt, fuitque hic ipſe rumor in causâ, quare accuratius in ſingula inquiri Proceres Ampliſsimi voluerint: Jam autem, ut opinamur, cùm nec ictus, nec contuſionis ab externo violento veſtigia repererimus, in eandem alii nobiſcum deſcendent ſententiam, in ipſis cerebri interioribus latuiſſe, quod genus nervoſum vellicare, ſpiritibusque in motu ſuo nubeculam graviorem offundendo

cauſa

cauſa fuit, cur machina confeſtim corrueret, cujus deſtructionem haud dubiè adjuvare potuit caſus ipſe, quo ventre prono caput aquæ & arenæ immergebatur, unde impedito magis muſculorum thoracis motu, pabuliq́ue aërei libero commeatu & expanſione ſanguis circa præcordia faciliùs ſubſtitit, miſerq́ue ſuffocari neceſſe habuit, de quo equidem labia faciesque liveſcentia, qualem etiam ſpinæ dorſi latera oſtenderunt, teſtimonium perhibent, evidentiùs multò iſtud confirmaturis, partibus pneumonicis, ſi ipſorum examen aggredi licuiſſet. Virgultum verò, quod alteri manui incluſum tenuit, inſultum epilepticum confirmat, cui ichor copioſus in ventriculis & circa medullam oblongatam ſtagnans, ſanguis item grumoſus circa cerebellum hærens anſam commodùm ſuppeditavit: dicere verò heic certi quid non audemus de cerebri flacciditate, an ſenſim iſtam acquiſiverit, quod confirmare poſſent motus convulſivi, quibus in infantia infeſtatus fuit, & quorum paroxyſmos, leviores ſaltem, reliquo ætatis tractu, prorſus non eluſit, ceu domeſtici ſeveriùs rogati diffiteri omnino non potuerunt, an verò ab ultima demum invaſione morteq́ue ſubſequente, illa fibris acceſſerit? Quicquid ſit confirmant iſta noſtram quam de Apoplexiæ cauſis ſuperiùs admiſimus ſententiam, probatque ſanguinis grumeſcentis portio idonea, ichore uberrimo adjuncto, apoplexiam rarò à nuda ſeri effuſione & inundatione oriri; utrumque verò ſive obſtruendo, ſive comprimendo ſubitò, ſive utroque modo agendo malum hoc funeſtum inducere: Illuſtria ſunt, quorum Celeberr. Platerus tum Pract. l. 1. c. 2. tum l. 1. Obſervat. ſcripta reliquit: *Quando* inquit, *pituita ventriculos cerebri ſubitò adimplet* (ceu in noſtro exemplo) *non obſtruendo, cùm ſpiritus animalis non in ipſis, ſed in cerebri ſubſtantiâ undique & nervis ſuam ſedem habeat, nec per ventriculos tranſeat, ſed eodem modo cerebri baſin gravando, apoplexiam quoque inducere poteſt: Quæ tamen ſi humor ex illis deſcendens, nervorum ductum ſequatur, in paralyſin poteſt deſinere: Hæc omnia ſic ſe habere, in caro & Apoplexiâ mortuis, ex eo quod copioſus hic humor per os tunc illis effluxerit, aliquando deprehendimus, ex ſectione quoque diligenti, apertâ craſſâ cerebri membranâ, in quibusdam copioſum humorem mox proſilientem, per capitis regionem ad thoracem uſque deſcendiſſe: Ipſam adeò cerebri ſubſtantiam in anu quâdam diſluxiſſe obſervavimus Monſpeſſuli, quæ ſubitò apoplexia tacta expiravit: hujus calvariam cùm aperiremus, cerebrum illius in meninge craſſâ, hinc inde fluctuare deprehendimus: Quod & diſſectâ apertâq́; dictâ durâ matre inſtar liquoris alicujus ſpiſſioris & albi pultem referentis, per faciem univerſam diffluebat:* Equidem reſiſtunt cerebri cortex, medullæque fibræ, externis ſeri inſultibus pro viribus, neque à quacunque ejus exundatione ilicò franguntur: hoſte verò identidem ingruente, ſibique diutiùs ſedem heic figente, tandem collabaſcere neceſſe habent, ſive teneriores adhuc, ut in infantibus hydrocephalo graviore quandoque affectis, ſive muneri ſuo diutius adhibitæ inſu-

per

per juncta ſeri copiæ annorum ſerie, uti in ſenibus interdum accidere Anatomici nobiſcum notârunt: Meminit quoque Excell. Carol. Sponius mortis ſubitaneæ ex duplici causâ ἀπολοφονίσῃ, quarum alteram, ichor idem cerebrum, uno quod ajunt impetu, irrigans conſtituit, cujus hiſtoriam cum aliis à beatæ memoriæ Viro nobis communicatis exhibebimus: Præluſtre verò eſt exemplum, & quod modo dicta apprimè confirmat, cujus copiam pro ſuâ in nos benevolentiâ haud ita pridem nobis fecit Excellentiſſ. D. Jo. Conrad. Brunnerus, Med. D. & in Illuſtr. Academ. Heidelbergenſi Prof. Anatom. Celeberrimus, Fautor & Amicus honoratiſſimus: Hiſtoriam integram, rariora utpote plura recludentem, operæ pretium faciemus heic apponere, *Mulier noſtras, inquit, aliàs temperamenti ſanguinei, ante quinquennium gravem paſſa eſt inſultum apoplecticum, cùm annum ætatis 35. vix exceßiſſet, ac octodecim liberos, & primo quidem puerperio trinos enixa fuiſſet: accitus ſtatim venam ſecari, veſicatoria variis corporis partibus admoveri, fricliones adminiſtrari, & quæcunque ſpirituum in organa ſenſuum influxum juvare poterant, ſedulò perſici curavi. Die tandem ſeptimo, purgante nervos quoq; ſplanchnicos vellicavi &c. quibus tantum profeci, ut quæ ante loquelam amiſerat, pedem brachiumq; dextrum movere non poterat, balbutire & artus movere utcunque valuerit: tandem benedicente Deo integram horum uſuram recuperavit, & ad munia ſua rediit materfamiliâs: ſuperfuit tamen, ceu in his caſibus accidere ſolet, nonnulla infirmitas lateris affecti. In actionibus principibus, nulla menda apparuit, præterquam quòd tenax ante & ad rem attenta, negligenter nunc eandem habuerit. Ipſis vindemiis nuperis fortißima apoplexia tacta, ſubitò enecta fuit. Caput cultro meo ceſſit: miratus fuiſſes oppidò mecum, ſiquidem præſens fuiſſes, crus medulloſum dextrum, quod minùs floridum ac firmum quàm ſiniſtrum, ſed flaccidum, obſcuri coloris & emarcidum apparuit, ac ſi atrophia laboraſſet. In ipſa ejusdem hemiſphærii ſubſtantia tres inveni cavernulas, fuſcas & ſubflavas, in quarum una alterave nonnihil humoris ſtagnavit, ceu glutine quodam iterum coadunatas: Hæc vitia jam olim facta & prædictorum ſymptomatum cauſam exitiſſe, facilè colligere potui, & inſigni cum voluptate contemplatus fui: Re entia autem ſequentia notavi: uterq; ventriculus, imò omnes cerebri cavitates, ſanguine fluido, diluto facta & opilata fuerunt: dexter ventriculus rimam oſtendit, loco inter thalamum nervi optici, & corpus ſtriatum intermedio, per quam ſanguis in cerebri cavum effuſus fuit: in ipſo verò cerebri meditullio ejusdem lateris, amplum hiatum vi ſanguinis impetuosè erumpentis factum, & in hoc ſanguinem concretum ovi gallinacei magnitudine inveni: ſubſtantia cerebri circum circa latera, uſq; ad bifurcationem nervorum opticorum fiſſa ac diſrupta fuit: Alibi arteriolas in medullari cerebri ſubſtantia ægritudine affectas conſpexi, quæ tantam ſanguinis vim fudiſſe mihi viſæ fuerunt: ſed & ad hoc, Vir ſagaciſſime, attendi velim, ſi quæ naſcatur occaſio: nimirum aliquoties jam in lævibus aliàs ac perpolitis ventriculorum ſuperficiebus, ſi morbo laborarit cerebrum, obſervavi papillulas ca-*

pitellorum acicularum magnitudine, instar pororum cutis frigore constrictorum prominulas, quas quidem laticis in cerebro scaturientis ductulos, quis tantum non hariolaretur, &c.

Observ. XXXI.

Ex ictu, casu, capitis contusio, cerebri abscessus, apoplexia &c.

Anno 1674. Mens. Januar. Molitor quidam transrhenanus, ubi priùs Baccho aliquantum indulserat, de scalis ex alto decidit, domumque vectus, mox instar statuæ sine sensu & motu jacuit, vomuit enormiter & sanguinis per aures eruptionem passus est, vulnere in cranio nullo apparente, die postero hinc emigravit. Cranio ex artis præscripto remoto, sanguis inter ipsum & duram matrem copiosè in occipite extravasatus deprehendebatur, & totâ sui mole cerebellum versus & spinalem medullam procumbere.

An. 1682. Mens. Novembr. è vivis excessit. Artocreatarius quidam, qui aliquot septimanis ante, sclopeto iniverso à maleferiato homine ictus, vulnus funestum incurrit, in anteriore & superiore cranii parte, quod ad tabulam secundam usque & ultra pergebat: Biduo circiter ante obitum, dextri lateris, quod vulneri oppositum erat, paralysi affectus fuit, quam dein mors ipsa excepit: Quùm cranium removerent, hujus frustulum duræ matri infixum repererunt, verùm citra ulteriores in cortice noxas: ad ventriculos autem progredientibus materia viridis, glutinosa multa, formati abscessus soboles, obviam ilicò venit, ceu isthoc benevolè nobiscum communicavit Excellentiss. D.D. *Burcardus* Αὐτόπτης.

Scholium.

Appositè Hippocr. l. 2. περὶ ῥητ. paragr. XXII. τῶν ἐν κεφαλῇ τραυμάτων, θανατωδέστατα μὲν τὰ ἐς τὸ ἐγκέφαλον, ὡς καὶ προγέγραπται, λευκὰ δὲ καὶ τὰ τοιαῦτα πάντα· ὀστέον ψιλὸν μέγαν ὀστέον ἐμπεφλασμένον, ὀστέον κατερρωγός. ταῦτα δὲ πάντα λευκότερα γίνεται καὶ χαλαφήν τε ὄντα, καὶ ὅτι τῶν χωρίων αἰεὶ τὰ ἐν τοῖσιν ἀνωτάτω τῆς κεφαλῆς· πυνθάνεσθαι δὲ χρὴ ὅτι πᾶσι τοῖσιν αἰξίοις λέγω τραύμασιν,

μασιν, ὡῦ ἔπ νεοτρωτοὶ αἱ πληγαὶ ἔωσιν, ἢ βλέμμαλα εἴη ἢ καπίπεσεν ἄνθρωπ@-, ἢ εἰ ἐκαρώθη· ἄρισοι μὲν ὧν, μήτε πυρετῆναι τ τ' ἕλκ@- ἔχοντ@ ἐν τῇ κεφαλῇ, μήθ' αἷμα ἐπαναῤῥαγῆναι αὐτῷ μήτε φλεγμονὴν μηθ' ἅμα μηλεμίαν ὀλιγίλω ἐπιγενέσθαι. *Ex capitis vulneribus lethaliſsima ſunt, quæ ad cerebrum pertingunt, velut etiam anteà ſcriptum eſt. Gravia ſunt & hujuſmodi omnia, os nudum magnum, os infractum, os diffractum &c. Cæterùm in omnibus memorabilibus vulneribus interrogare oportet, an adhuc recentes ſint plagæ, an conciderit homo, an ſopore altiore prehenſus fuerit. Optimum quidem eſt, neque febricitare eum qui ulcus habet in capite, neque ſanguinem ipſi erupiſſe, neque inflammationem, aut ullum aliquem dolorem acceſſiſſe.* Non opus eſt prolixiùs in cauſas horum inquirere, cerebri teneram ſtructuram, vaſorumque per illud diſperſorum multitudinem perſpectam habenti, cum fibrarum nervearum cohorte quibus læſis, ab irruentis humoris impetu, cohibito ſpiritus roriferi influxu, damnum ingens utique ſuboritur, quale ſenſit uterque ſupra memoratorum, alter quidem derepente, alter verò pluſculis diebus poſt, adeò, ut aliquando benè habere & ad priſtinam incolumitatem chirurgis rediturus videretur: uterque apoplecticus tandem deceſſit, à ſanguine extravaſato, cujus impetum in illo promovit caſus terribilis & in iſto ictus ſclopeti ope inflictus: Enimverò in confeſſo eſt ſanguinem è vaſis ſuis gravius proſilientem, cerebri ſubſtantiam ſine noxâ vix permeare, cùm & medullares ductus facilè inde comprimantur, unde nubecula mox inducitur, & ab ejusdem acrimoniâ, quæ ubi moram nectit, gravior evadit, fibrillæ nerveæ facillimè irritentur, atque hinc motibus epilepticis via ſternatur: Meminit equidem Celeberr. Wepferus Exercit. d. loc. affect. in apoplex. Nobilis cujusdam Poloni, in quo citra apoplexiam aut aliam graviorum ſymptomatum colluviem, non ſolùm intra cranium & duram matrem, ſed & intra hanc & duram meningem, quin etiam in ipſam cerebri ſubſtantiam, innoxiè effuſus fuit, aſt meritò inter rariſsima talia ipſo cum referimus: in molitore ſanè vaſa ita ſuccuſſa fuére, ut oſculis ipſorum protenus dehiſcentibus, ſi non ruptis, ſanguis impetuosè interiora occipitis petierit, ibidemque copiâ ſua cerebellum & ſpinalem medullam compreſſerit; nec enim apoplexiam imminentem caſum produxiſſe arbitramur, cùm ſanus ante vixerit, nihilque incommodi in capite perpeſſus fuerit: Vini verò ingurgitationem, hinc prorſus non removemus, utpote quo ſanguis primùm exæſtuat, & vaſa velociter cum aliquali diſtenſione percurrit, unde erupturo viæ faciliùs aperiuntur & patulæ manent: in ebrioſis autem huic ipſi fluxilitatem vitioſam, non rarò cum acredine inducit: Oſcillorum dehiſcentiam vehementem, comprobat ſanguinis ex auribus profluvium, non ex cavitate cranii per vias ſive manifeſtas (quas tamen pauci hactenus nôrunt) ſive occultas, illuc delati, quoniam ſi ta-

li exitu sanguis extra vasa prosiliens potiri potuisset, omnibus actionibus animalibus confestim æger non fuisset defraudatus, utpote cum alias cranio perforato trypano, post casum vel ictum, levamen sanguine emanante percipere soleant, sed quod vascula intra aures eorumq; canales, ex vehementi capitis, eâque iteratâ allisione disrupta fuerunt: Vomitum autem irritationi meningum, quam sanguis vel morâ acrior redditus, peperit, jure adscribimus, ventriculi membranâ nerveâ illis intimè compatiente: in artocreatario malum paulatim serpsit, quòd sanguis ictu prosiliit quidem ex vasculo, sed vel minori, vel quod ilicò ruptum non est, unde gravia symptomata primùm suborta, cessante ulteriore sanguinis impetu, aliquando mitigabantur, dum grumescens & ferè omni suo numero collectus intra medullas interiores corticis subsistere, sensim putrescere & in abscessum transire cepit, tandemque copiâ & gravitate sui, fibrillas interiores s. medullares funiculos occupando, dextri præprimis lateris, eclipsin gravem induxit, ut moveri non potuerit, usque dum versus basin sese effundendo, ceu materia purulenta in ventriculis horumque confinio reperta docuit, vitâ pariter ac motu miserum omnino orbavit: utrum vomuerit nec ne, probè non recordamur, quamvis videri possit, durâ meninge à cranii infixi frustulo titillatâ, vomitum abesse non posse; nunquam tamen pertinaciter vomuit, quòd interdum fibrillæ à spasmodicâ sui constrictione, in meningibus aliis vè his similibus quiescunt: ita biennium circiter est, à quo puerulus 6. circ. ann. cùm circumcursitando per ædes nugaretur, ex improviso in cellâ satis profundâ, de primo statim scalæ tramite cecidit, nullum ferè horum ampliùs attingens: accersiti Parentes cum misello attonitos offendimus, sanguine è naribus effluente & vomitu qualicunq; urgente: in capite gravioris contusionis nulla indicia, dolor verò per intervalla circa ventriculum infestabat, pulsus concitatior naturali sed æqualis fuit, sitis nulla: venam ilico tundere animus erat, sed reluctabantur Parentes, quòd juvenis esset maximè: quid periculi ex casu subsequi possit mox prædiximus, simulque ut ad sanguinis sive ex naribus, sive auribus eruptionem ut & vomitum attenderent jussimus: interea quia ægrotus soporosi instar decumbebat, præscriptis decoct. vulnerar. & pulver. ex volatilibus, cum mixturâ cochleat. propinandâ, balsamo item scrobiculo cordis illiniendo, capillos abradi curavimus & præmissa embrocatione ex ol. rosar. hyperic. & liq. C. C. succin. sacculo ex herbis nervinis in vino rubr. decoctis caput fovere: sub noctem autem pone aures vesicatoria applicuimus: Diebus insequ. prima symptomata remiserant, puerque ad se rediit, conquestus tum de dolore circa perinæum, & mingendi difficultate; urinas cùm inspiceremus, sanguinis grumosi tantillum in fundo notavimus;

notavimus; cui malo cùm tam externis ol. præcipuè amygd. dulc. & roſar. tum intern. emulſion. ex ſemin. card. bened. hyperic. aliisvé cum aq. veron. & malv. parat. addit. ocul. cancr. ſuccurriſſemus, ſingula in laudabili ſtatu verſari Parentes arbitrabantur, unde nec ad medicamenta capienda, licèt ſedulò hortaremur, impulerunt filiolum: aſt paucis hinc elapſis diebus, in deterius labi, febriſque quæ hactenus aberat, prehendi cepit, cum deliriis noctu primùm, inde & interdiu magis magisque ingruentibus: Præſcriptis medicamentis ex lege artis, quid funeſti fœtus ſubeſſe ſuſpicemur aperuimus, nec fefellit prognoſis noſtra, ingravuerunt enim vomitus & nauſea, tandemque convulſivis motibus, triſti eheu adſtantium ſpectaculo vitam finiit: In iſto ſanguinis ex vehementiſsimo caſu è vaſis in cerebrum proruptionem contigiſſe (ſectione enim ob muliercularum perfidiam prohibiti fuimus) cùm ſopor qualiscunque, tum ſanguinis è naribus profluvium, inprimis autem vomitus cruentus teſtari potuerunt, imò & grumuli urînis innatantes, quamvis enim muſculorum abdominis cum ſuis tendinibus contuſionem (utpote cùm ſuper abdomen ceciderit) non inficiemur vomitum, & præprimis urinandi difficultatem fovere ac parere potuiſſe: hæc ipſa tamen excreta de ſuccuſſione vaſorum & vi illis illatâ teſtimonium perhibent, nec valdopere refragaremur, ſi quis vaſi ſtomachico labem accidiſſe diceret, quâ ſanguinis tantillum dietim exſtillârit, qui deinceps ibi putreſcens motibus ſpaſmodicis in ventriculo anſam præbuerit, modò ſub finem cruenta rurſum evomi vidiſſemus vel nigricantia: ſubſiſtimus ergo in fomite, quem cerebrum paulatim excepit, nervoſo generi & inde toti corpuſculo exitioſum, idque artis noſtræ Cultoribus inculcatum cupimus, nuſquam in capitis vulneribus ſecuros nimium, Medicos Chirurgosvé eſſe debere, etiamſi appareant alcyonia, cùm interea hoſtis ut plurimum exitium intus adaptent, quem ubi vires ſemel ſumpſit, eliminare difficillimum eſt. Felicior hiſce, Juvenis murarius, robuſtus, annorum circiter viginti, quî An. 1676. cùm Pariſiis verſaremur, de tecto ſatis alto delapſus & hinc in noſodochium la charité dictum, vectus fuit, loquelâ aliquandiu deſtitutus, & neminem adſtantium cognoſcens, nihil comedens nec multum bibens, multum verò dormitans: V. S. celebrata ilicò in brachio dextro, eademque iterata, tandemque arteria pone aurem dextram tuſa fuit feliciter, applicatis juxta capiti, cujus capillos ilicò abradebant, remediis neceſſariis, nullâ contuſione prorſus conſpicuâ: in ſtatu tali per quatriduum ferè ſubſtitit, & quamvis primùm adſtantes intueri, oculisque circumvagari inciperet, nihil tamen loquebatur, ſed inſtar trunci jacebat, cum pulſu valido & æquali, nullisque ſanguinis extravaſati indiciis uſquam accedentibus: ut eleganter omnino Hippocrates fatus ſit

l.6. aphor. ἐκδύσιον ἂν σειθῇ ὁ ἐγκέφαλος, τετέος ἀνάγκη ἀφώνους γενέσθαι πάσχοντας: Mirari tamen ſubit, mutos ejusmodi & attonitos fieri poſſe, citra gravius damnum, quod cerebrum accipiat: an dicendum tali in caſu ſanguinis nihil proruere? ſolumque cerebrum ſuccuti: at unde dormitant, loqui deſiſtunt, & in ſenſibus motuque inertes ſunt? idque non per unam alteramvé horam, ſed biduum, triduum, quatriduum: quid nî ergo ex arteriolis paucioribus vel levius dehiſcentibus, noxa quidem cerebro à ſanguine ſuffundi dici poſſit, ſed parciore copiâ qui hinc, inprimis ubi medicamentis ſuppetiæ tempeſtivè feruntur, ductus medullares, vel baſin cerebri, pariter obruere & opprimere non valeat, ſed cum aliquâ ſui parte diſcutiatur tum per oſcula ductuum venoſorum potiſſimum reſorbeatur: Memoratu dignum eſt, quod ex Excellentiſſ. Thomæ Bartholini cent. 3. obſerv. Anat. refert laudatiſſimus Scafuſienſium Archiater Wepferus, de Juvene viginti circiter annorum, qui ab explo-ſo ſclopeto, velut fulmine ictus corruit, domumque ſenſu & motu privatus, delatus fuit, taliterque decubuit quinque dierum ſpacio: ſuſpicio erat per nucham penetraſſe pulverem urentem ad nervorum principium ob vocem interceptam & ſenſus omnes ſublatos, & propterea à Chirurgo perito vulneri convenientia remedia applicata fuere: exactis quinque diebus motus aliqua rediére indicia, ægerque os pro medicamento aſſumendo aperire, inde ſe erigere, fari, cœterasque actiones obire, paulatim cepit: quod autem cum Clariſſ. Obſervat. Authore non ſentimus, à nudâ ſpirituum perturbatione gravia hæc ſymptomata pullulâſſe, vel hoc unicum efficit, quòd cùm naturâ ſuâ ſpiritus agilis eſt, nec facilè ſubſiſtit, niſi cauſa intus hæreat, undulationem & influxum impediens, tum ſecretio ejus cum ſanguine arterioſo accedentis, iſthoc dierum ſpatio impedita non fuerit, unde licet primi attoniti ſubſtitiſſent, recèns tamen ſecreti influere in organa ſenſus motusvé debuiſſent.

Observ. XXXII.

Ex caſu contuſio maxillæ, vomitus, febris cum delirio & ſopore, ſiniſtri lateris paralyſis & motus convulſivi &c.

Puerulus 4. circiter annorum, vegetus ac vivax, cùm aliquando currum imprudens conſcenderet cum fraterculo, de eodem in terram præceps concidit, ita quidem, ut maxilla dextra inde præcipuè contuſa fuerit, capite aliisque partibus immunibus: nihil quoque ſanguinolenti vel per os exſpuit aut per nares

res excrevit: Parentes mali ſubliteſcentis inſcii, externè remediis domeſticis contuſioni obviam iverunt, aliquot autem diebus poſt, ægrotulo cibum renuente, imò, ſi quid ingeſſerat, mox evomente, graviora ſubveriti convenerunt nos d. 14. Maji 1683. conqueſti de imbecillitate ventriculi, quâ filiolus laboret, cui Diaphor. Mart, C.C, philoſ. ppt. ungul. alc. aliisque his ſimilibus proſpectum ivimus: Triduo poſt ingruentibus, nauſeâ, vomitu, ſiti intensâ & inquietudine apud miſellum, ut accederemus ipſi petierunt, ſimulque quid mali nuper acciderit retulerunt: pulſus celer erat & frequens, urina ſaturata: internè pro reſolvendo & diſcutiendo ſanguine grumeſcente uſi fuimus cinnab. antim. rectif. ant. diaphor. cum ſpir. urin. addit. aq. deſtill. externè verò Balſam. de Peru cum ol. deſtill. menth. Ventriculum inunximus: ſub veſper. ſymptomatibus perſiſtentibus, mixtur. ex antepil. diaphoret. per cochlearia ſæpiùs propinandam ſuaſimus, cui d. ſeq. febri augmentum ſumente miſcuimus ſpir. C.C. addito Epithemate ex ſpirituoſis penetrantibus, quo caput ſubinde foveatur: poſtero die pulſus celer erat, inæqualis, intermittens; urgebat ſopor profundus cum delirio: expergefactus ſtatim obdormiit, ſiniſtro latere immobili, adinſtar trunci exiſtente: de abſceſſu ſubliteſcente Parentibus ſuſpicionem noſtram aperuimus: Veſicatoria inde applicari juſsimus, ad quæ ipſi prorſus obmutuerunt: abraſis capillis facculos ex herbis cephalicis aromaticis, hinc & columbam vivam per medium ſectam imponi curavimus, pergendo juxtà in internis: Veſperi reduces in copioſo ſudore ægrum offendimus, ſed citra ἀφορίαν, pulſus matutino ſimilis: delirabat & evigilans torvis oculis adſtantes ſalutabat: Clyſter injectus à quo materiam ſatis graveolentem ſed parcè dejecit: Nox ſubſequens inquieta fuit, ægerque dentibus ſtridere cepit: Veſicatoria deinceps imperata, præſcripta verò emulſio in 2. doſ. ex ſemin. card. bened. aquileg. cucurb. cum aq: ſcabioſ. beton. add. C.C. philoſ. ppt. quâ rurſum idoneum ſudorem concitavimus, ſed citra ulterius emolumentum: Manè quippe poſtero motus convulſivi invaſerunt, qui paulatim increbuerunt, & miſellum die inſequente morti tradiderunt, incaſſum adhibitis antepilept. internis & externis. Sectione, quâ haud dubiè prædictiones

ctiones noſtræ obfirmatæ fuiſſent, ob alterius Parentis ruſticitatem prohibiti fuimus.

SCHOLIUM.

Caſus hic prioribus diſsimilis non eſt, patetque quàm facile ex leviori, ut vulgus auguratur, malo peſsima, imò lethalia pullulent ſymptomata, in tenellâ præprimis conſtitutione, ubi laxior fluidi ſolet eſſe compages, partiumque fibræ minùs robuſtæ, vel quæ impetui extrinſeco minus reſiſtunt: Nihilominùs in præſenti ægrotulo, labes funeſta primo ſtatim inſultu non invaſit, quin levis ſaltem contuſio videbatur Parentibus, medicamentis mox ceſſura; & certè impetuoſius ſanguis à caſu non ſtatim prorupit, unde nec vomitus nec ſanguinolentæ excretiones ilicò comparuerunt: tractu verò paucorum dierum, etiam in cerebro vaſculum tenellum unum vel alterum ſuccuſſum fuiſſe ac dehiviſſe, vomitus ingraveſcens docuit, quem ventriculo imbecilli ipſi attribuerunt, cum febri intenſiore, cui, ſi ſuccuſſio corporis totius anſam ſuppeditavit, ſanguis certè grumeſcens & in motu ſuo ſubſiſtendo, etiam reliquo liberum commeatum inhibens non parum adauxit: Funeſtam verò labem hic idem intulit, dum corruptelam graviorem nactus nunc poros cerebri ac fibrillas compreſsit, ſpiritusque animalis expanſioni obfuit, nunc nervorum funiculos occupavit, præprimis autem fœtidis acribusque ſuis miaſmatibus, ſanguineam maſſam infecit, hujusque motum turbavit, imò ſpiritibus animalibus & nervoſo tandem generi exitialis fuit, atque hinc ſopor, delirium, augmentum febrile, paralyſis, ac motus convulſivi derivandi veniunt, verbo lethargica affectio, quâ miſellus hic corruit: nec obſtat abſceſſus quem ex ſanguinis ſenſim erumpentis aggeſtione generatum fuiſſe ſuſpicati fuimus, & à cujus mole vel etiam ruptione, apoplexia potius induci debuiſſet, quæ etiam affectus ſoporoſos non rarò excipit; ſatis enim particularum ſummè acrium adfuit, cùm ruptus fuit, & adfuiſſe potuit, ex ſanguinis lymphæque infectorum reliquiis, ſi integrum perſtitiſſe credere velimus: Quicquid ſit, rara ac difficilis malo huic medela eſt: causâ tamen leviori exiſtente, ſi ſuppetiæ ilicò ferantur, iis præcipuè, quæ ſanguinem à grumoſitate præſervant, vel dum grumuit ſolvunt, in motu ſubſiſtentem agitant, ſicque poris tenerioribus impactum diſcutiunt, fauſtiorem eventum quandoque videmus; ita autem interdum comparatum eſt, ut validiora reſolvenria, volatilia ſulphurea haud permittat ſanguis æſtuans, metu, ne hoſtis cerebrum occupare incipiens incrementum ſumat; atque ad hoc in primis, in febribus malignis, quas lethargici quid non rarò excipit, attendendum eſt, licet enim in iis plerumque acidum volatile acerrimum

accuſari

accusari mereatur, cui dicta medicamenta itidem adversantur, & malo urgentiori præ aliis satisfaciendum ac succurrendum sit, satiùs tamen est blandioribus pugnare, si effectum eundem iis consequi possimus, quàm fortioribus particulas massæ humoralis intempestivè succutiendo & exagitando, malo ejusmodi vel ansam vel incrementum noviter præbere. Præclarè sanè hanc in rem Excellentiss. *Ettmüllerus* c. de febri maligna: *sed sudorifera, inquit, inter non levis delectus habendus est. Tutissima omnium sunt salia volatilia aromatica, sed hæc ipsa saltem in principio morbi & incremento conveniunt: in statu tutius fixiora usurpantur, idq; præsertim in volatilibus sulphureis ac remediis theriacalibus observandum, ut nonnisi in principio & incremento morbi adhibeantur, ac ubi mitior urget æstus, periculum aliàs est, ne in statu, novas turbas in massa sanguinea, intensiorem æstum & ebullitionem, indeq; varia capitis symptomata inferant*: Pariter quoque legi merentur, quæ Clariss. Ludovici, eorundem ratione prudenter monet, Dissertat. 1. de Diaphor. vegetabil. pharmac. p. 237. *Quod autem reliqua Diaphoretica simpliciter aut simul alexipharmaca attinet: antequam inde selectum instituamus, id tantùm inpræsentiarum, incipientium causâ addimus: ne ab unâ quidem parte volatilioribus calidioribus atque fumosis liquoribus atque mixturis inconsideratius nonnunquam abutantur, ceu talibus circa malignarum statum demum vel denuò exhibitis, haud rarò novas angustias, ac dissolutiones Virium funestas, in Variolis ac morbillis frustraneas ebullitiones, intensiores æstus & insurgentis naturæ confusiones, præcipuè verò nimis camphorata in eruditis, debiliore capite, tenerioribusvé fœminis cephalalgias incompescibiles atque deliria sæpe lethalia, plus vice simplici concitata vidimus: ne porrò & ab alterâ parte, circa malignarum plerarumq; pleuritide quoq; alitervé comitatarum principia vel etiam augmenta cephalalgias hæmorrhagias &c. magis quàm par est veriti, nimium à volatilioribus, præsertim salinis abstineant, & fixioribus solùm semet expedire conentur &c.* Cautelarum sanè ejusmodi veritatem experientia comprobat, possemusque, sin opus esset exemplis, singula confirmare, nî alii loco illa servare mallemus: Illud addidisse sufficiat, etiam ab initio & in morborum dictorum incremento, medicamenta laudata per intervalla exhibita, materiæ morbificæ secretionem commodum juvisse, dosi verò auctiore, simul & semel propinata, movisse quidem, ac æstus vehementes, quos similia symptomata comitari solent, produxisse, nihil verò promovisse: nec obstat illud Venerandi Senis præceptum sect. 2. Aphor. 29. ἀρχομένων τῶν νούσων ἐὰν τι ὀλοκλὴν κινέῃσιν κίνῃ. Incipientibus morbis ejusmodi naturæ motus, sive ἐκκρίσεις dictandas ac imperandas esse, cùm hoc ipso medicamentorum paulatina ac iterata exhibitio non tollatur, pauloque post addat: ἄκμας ζωσῶν ἢν ἡσυχίαν ἔχῃ βέλτιόν ἐστιν, quo certè suprà laudatorum Virorum sententias *de Massâ humorali in statu temerè non agitandâ*, egregiè stabilitur: Cœterùm de sede Lethargi ejusque ratione formali & causis, solliciti sunt cùm Vett, tum Recentiores: *Illi* ad pituitam putrescentem, cere-

briqúe intemperiem frigidam frequenter recurrunt, quorum illud *Bi* & præprimis *Clariſſ. VVilliſius* ſero copioſo corticem, medullasque cerebri interiores, alluente tandemque inundante non malè exprimunt: lædit ſanè ejusmodi glandularum fibrillarumque cerebri fabricam & actionem, ſpirituumque animalium agilitati pariter & expanſioni officit, ceu ſuprà monuimus, unde ſopori & oblivioni prompta via panditur: quia verò ſimul delirium urget, *ipſorum* in ductibus & reſervatoriis interioribus undulatio & motitatio, prorſus ceſſare non videtur, à quâ ceu totidem veſtigia repeterent, tam abſurda indiſtinctè blaterare dicendi erunt; neque videmus quî aliter delirium cum rerum omnium oblivione hoc in affectu ſubſiſtere poſſit: *Febris* cauſæ magis evidentes ſunt, inprimis cùm vel malignis utplurimùm ſuccedat, aut partium inferiorum inflammationes vel gangrænas (à quibus identidem particulæ deleteriæ & inimicæ ſpiritui animali quoque ſuffunduntur) vel ſanguinem extravaſatum lymphamque in cerebro aggeſtam & ſubſiſtentem agnoſcat, quorum utrumque, ſi aliud nil, ſanguinis in tota maſſa liberum legitimumque per cerebrum commeatum impediendo, ipſam fovere dicitur Clariſſ. *VVilliſio*, tract. de anim. brut part. 2. cap. 3. Videntur tamen præter iſtam, priores aliævé cauſæ potiores eſſe, inter quas præcipuè numeramus, ſanguinis lymphævé ſubſiſtentiam: id verò aliis quoque perſuaſum jam eſſe arbitramur, in omni Lethargo cerebrum perinde non affici: enimverò meminit Exercit. XVII. Clariſſ. Pythagoras pueri undecennis, qui 9. die ſopore in Lethargum degenerante correptus expiravit, in cujus cerebro ſalva omnia apparuerunt, exceptis cochlearibus aliquot ſeri flaveſcentis ad baſin cerebri circa medullam oblongatam & ſpinalem ſtagnantis: præprimis autem memoratu dignus eſt Lethargus ab aura venenata, ex pollice emiſſa ortum trahens, & per cauſticum actuale pollici admotum curatus, de quo Borellus Centur. I. obſerv. 96. nî illi ſimilem dicere placeat, quem narcotica ſæpenumero effeciſſe, Practici obſervárunt, in cauſis horum explicandis, non æquè felices; ſi enecari ab horum copulâ accreſcente ſpirituum manipulos quoſpiam, aliis inordinatos motus ſubeuntibus, certum omnino eſt, uti quidem ſulphur ipſorum fœtidum perſuadere videtur, res erit in vado: nec minus huc referri meretur Lethargus, quem à Lumbricis prodeuntem Excellentiſſ. Hollerius commemorare Cent. 1. obſerv. 26. dicitur. vid. ſis Ettmüller. prax. de affect. ſoporoſ. Nos apud Jacob. Holler. p. 420. Edit. Pariſ. in fol. ſeqq. legimus: *Vermes varia inducunt ſymptomata: Nam chylum conſumendo corpus minuunt: in ventriculo vomitum, famem, ſyncopem mordendo, inſtimulant, & aliquando jugulare videntur. In recto inteſtino pruritum excitant & teneſmum: in ventre medio, fluorem alvi, lienteriam, ventris inflammationem: in omnibus aliquando febres quotidianis ſimiles, & ſi arrodant inteſtina, ſæpe interficiunt. Hæc eadem*

vermium

vermium signa sunt, sicuti anhelitus fœtens, tussicula inanis & sicca. Cum clamore expergiscuntur ægri, arctiùs dormiunt, stridem quodammodo dentibus, morsus, nausea, fastidium & similia, cujusmodi aliis cum symptomata jam sæpius observavimus, ceu inferiùs ex historiâ lumbricorum è variis partibus excretorum patebit.

Observ. XXXIII.

Historia Hydrocephalici & Hydropici.

Sigmund Biermann Adolescens 27. circ. annorum, in tenellâ ætate, ut sciscitantibus nobis confessus est, motibus convulsivis valdè obnoxius, à catarrhis toto reliquæ vitæ decursu, nunquam immunis extitit. In Nosotrophium, propter summam imbecillitatem, sex circiter ante obitum septimanis advectus, præcipuè tum de diarrhœâ querelas movit & appetitu prostrato, cum siti, quæ tantùm non ad finem vitæ usque duravit: manus erant tremulæ, pulsus nunquam naturalis, sed tremulus & creber, tractu temporis, seri effusionibus magis magisque urgentibus, & infimo ventre pleniùs intumescente, æger Creatori spiritum reddidit.

Præsentibus Medicis aliquot, inter quos tum erat Clariss. D. D. Stokarus Scafus. sub vesperam operi sectionis nos accinximus An. 1677. Mens. April. Curæ præcipuè fuit cerebrum, unde cranio ablato illud studiosiùs lustravimus: *dura* Mater densissima fuit, & *pia* ipsi parum absimilis, si non densior, sanguine prætereà corrupto ac putrido penitus spurcata: *Cerebrum* quasi merâ gelatinâ obductum esset, per hanc ipsam transparuit: Ejus substantia tota flaccida fuit, & aqueis humoribus irrigua, qui pîâ meninge ablatâ copiosè in fugam dabantur. *Ventriculi* anteriores unà cum tertio & quarto, ichore aquoso erant referti, in *plexu choroideo* glandulam utrinque reperimus duriusculam, pisi magnitudine. Aperto abdomine, aliquot mensuræ seri putridi, summé fœtentis eruperunt: *Epiploon* putruit, *pancreas* albicans & durum, *hepar* parte cavâ inflammatum & correptum fuit. Ex *vesiculâ fellis* cujus facies exterior gelatinosa videbatur, discisâ effluxit humor, qualis ex ovo putrido prodire consuevit. In Mesenterio lympham in vasculis stagnantem animadvertimus,

in quam verò, uti nec in thoracem mediâ urgente nocte, studiosiùs inquirere non licuit.

SCHOLIUM.

A primâ infantiâ adolescentis hujus cerebrum labem sensisse, motus convulsivi oppidò comprobant, cui an perversa matris imaginatio aut succi nutritii pravitas in utero ansam dederint, nobis equidem non constat, aliàs verò solenne est ejusmodi detrimentum perpetientibus, vel in utero, quandoque mox post partum, convulsionibus affici: Incommoda quæ à seri profluvio, toto vitæ curriculo sensit, massæ humoralis vitium & acrimoniam satis indicant, confirmantque illud ipsum, diarrhœa appetitus prostratus, & abdominis intumescentia, organorum cùm chylificationi, tum sanguinis depurationi destinatorum, structurâ & hinc actione fluidi vitio magis magisvé labefactatâ, succedentia: de cerebri verò generisque nervosi labe, quorum illud animalis spiritus simplici ac legitimæ secretioni pariter vacare nequiit, hoc verò sive intemperie *illi* illatâ, accrescentibus præcipuè particulis heterogeneis, sive acriori sero sæpiusculé irritante, motus spasmodicos per intervalla iniit: neque fibræ medullares infestatæ humorum aqueorum mole, tonum suum retinuerunt, quin vel obstructæ uno alterové loco, vel compressæ maximam partem, perviæ spiritui animali æquè non fuerunt, atque hujusmodi quid funiculi in linguæ nervum facessentes, cum aliis perpessi esse videntur, sanguinis adiathesi minimè excluſa, cui corrigendæ uti spiritus æthereus idoneus satis est, ita hæc ipsa gravior, eundem inquinat ac inertem reddit, præprimis verò congruam ejus secretionem impedit, unde manuum tremor, vox difficilis, pulsus tremulus & inæqualis, tandemque balsamicâ fluidi naturâ prorsus inversâ, cum viscerum functionibus, quæ subsequi flaccida cerebri ejusque interiorum substantia, epiploon cum hepate putridum & corruptum &c. satis docent, funestus exitus, Antequam autem ad horum aliorumvé enodationem pergimus, de hydrocephalo pauca prælibabimus, quo laborâsse ægrotum, titulus monstrat, comprobatque præcipuè aquarum cerebri vastam molem irrigantium copia, cum meningum densitate: Egit de illo Excellentiss. M. Aurel. Severinus, cap. IX. de noviss. absceſſib. puerorumque affectum proprium quidem esse dicit: sed non sic, ut grandes ætate non quoque tentet, ceu tum ex proposito tum sequentis observat. exemplo patescit: enimverò licèt in hisce ea non fuerit vel ὑγκεφάλε intumescentia & protuberantia, vel ossium cranii distentio, membranæ nihilominus copioso viscido irrigatæ & interiores cerebri meatus & cavitates aquis pleniſſimæ fuerunt, quo ipso hydrocephalon

phalon æmulabantur: & quamvis cùm cranii durities, tum fibrarum ἐγκεφάλου robur, talia videantur, quæ aquarum inundationi magis reſiſtant, aut ſaltem per aquæductus feliciùs ſerum reſorbeatur & revehatur, hujus inſuper in aliis partibus, ſolenni ejus ſecretioni deſtinatis expurgatio, eò promptiùs fiat, quò motus alacrior in universâ maſſâ animadvertitur, labe tamen vel ſemel cerebro aliquali illatâ, ſi aqueæ materiæ cohors impetuoſiùs ſenſim accedat, quin in adultioribus affectus hic pariter ſuccreſcere poſſit, pertinaciter non inficiandum, quanquam in Viris iſtud facilè non admittat *Pet. Salius ob ſolidam ligamentorum oſſeorum firmitudinem*, quâ tamen non impeditur, quo minus ichor exundans per mollicellam cerebri ſubſtantiam, heic illic fluctuet: Ampliſſ. *Baumgarterus*, Poliater & Senator Sangallenſis æternâ laude digniſſimus, hiſtoriam nobis An. 1677. ſuppeditavit Pueri octo annorum, cujus caput, quod aperuit, in monſtroſam magnitudinem excreverat, & tres noſtrates aquæ limpidæ menſuras continuerat, oſſibus adeò extenſis, ut in vertice vix chartæ craſſitiem æquarent, cerebro nullo ferè & inſtar pultis diffluente: confirmat quoque ſententiam noſtram, exemplum juvenis octodecim annorum, cujus Clariſſ. Hildanus meminit Obſerv. 19. Cent. 2. & longè dignior hiſtoria hydrocephali, (quem utrum Hippoc. l. 2. περὶ νόσων, ὕδατος ἢ τὸ ἐγκεφάλῳ γενόμενος nomine expreſſerit, aliis dijudicandum relinquimus) quam obſerv. X. Cent. 1. laudatus Vir proponit, de puero Colonienſi, robuſtiſſimis parentibus nato, cujus caput in incredibilem molem excreverat, ita ut ipſius rotunditas ulnam Colonienſem & quartam hujus partem excederet: nullus præceſſerat morbus, nec ita natus erat, ſed intra menſes triginta caput paulatim in illam magnitudinem accrevit, ut tandem lethargicus periret æger: Cranio diſſecto, in duobus anterioribus cerebri ventriculis aquam cryſtallo clariorem ad libras Colonienſ. 18. repererunt, à quâ totum cerebrum, (cerebello excepto) in ſacculum quaſi extendebatur, gyris cerebri in conſpectum non prodeuntibus, reliquis abdominis & thoracis viſceribus ſatis benè habentibus, ſolâ nutricatione in partibus exterioribus deficiente: ſuprà nominatus Severinus, plura quæ habeantur problemata notatu digna in iſtâ obſervatione enodavit: cujus Viri veſtigia & nos prememus, præprimis cùm de aquarum tantâ exundatione agere heic conſtituerimus, utpote potiſsimâ cæterorum ſymptomatum causâ, ceu ab initio diximus, ipſeque fontem horum vel reticeat, vel ſaltem minùs diſtinctè explicet, cùm nonniſi inſolentem ſuperfluitatum copiam urgeat, cujusmodi aqua cryſtallo clarior non prorſus inferre videtur, neque etiam ex Hildano conſtat puerum hunc ita ἀδηφάγον fuiſſe, & ſi fuiſſet maximè, in aliis viſceribus noxæ quæpiam comparuiſſent: aliter hinc ſentimus & cùm hydrocephalus hydropem cerebri conſtituat,

de ejus, ferè ut de hujus generatione ſtatuimus: nempe cùm *ſerum*, tum *lympha*, variè in teneram ejus ſubſtantiam irrumpere poſſunt: *iſta* vaſculis in quibus includitur, ſive ex impetu vel nimiâ diſtenſione aut acrimoniâ ruptis vel eroſis, id quod confirmat hiſtoria pueri hydrocephalo mortui, quam legere eſt apud Excellentiſſ. Hertod. in Crocolog. p. 282. in cujus cerebro, vaſa lymphica partim rupta viſa fuerunt: quandoque ejusdem motus impeditus, malum idem producit, ceu eruditè notat Celeberr. Ettmullerus, de fœtu, ſi capite nimis inclinato verſus inferiora ſit ſituatus: *illud* autem ſi abundans variè ſubſiſtat, nec per ductus revectorios in ſinus cum reliquo cruore deponatur, aut è glandulis, vaſculis arterioſis undique appenſis, potiſſimùm exudet, vel, quæ nonnullorum eſt ſententia, per poroſas & tenues ipſorum tunicas magnâ copiâ tranſudet; atque hâc ſuo loco relictâ, arbitramur in prioribus caſibus, cùm glandulis tum medulloſæ cerebri ſubſtantiæ labem ſenſim pariter ac promptè afferri, eò magis quò teneriora ejus ſtamina fuerint, unde etiam ex matris vehementi ac perversâ imaginatione, hydrocephalum Hildanus docet Cent. 5. obſerv. 3. ſuccreviſſe, cujus rationem alibi ſumus dicturi, ut ineptas Lampſvveerdii calumnias retundamus: cœterùm de ductibus aquoſis novis in durâ meninge ex Vieuſſantii neurologiâ accuratiſsimâ quæpiam memorari in Act. Lipſ. vidimus, quæ lucem aliquam afferre forſan poſſunt, ubi aquæ intra meninges & cranium cumulatæ fuerint, & confirmari, quod de perpetuo membranarum madore & ſerolymphico aliqui hariolati ſunt, ſimulque viæ ſubſtitui, (de quibus Excell. Stenon. in hiſt. 131. vitul. Hydrocephal. Act. Hafn. inſertâ dubius fuit) ſero cerebrum naturaliter alluenti exitum præbentes, inprimis autem, ſubſiſtente ejusmodi materiâ & glutinoſis ſuis particulis adhæreſcente, membranarum dictarum denſitas demonſtrari: ſed ad reliqua Severini problemata illuſtranda tranſimus: Quod, inquit, à robuſtiſſimis parentibus, ortus puer hic languido capite prodierit, referendum eò eſt, quod *duro homines corpore, & hac ipsâ firmitatis fiduciâ arbitrario & prompto qualicunque victu & potu quantocunque uſi, vim ſuperfluitatum qualemcunque congerunt*: at ſi robuſta mater fuit, etiam cùm utero gereret, videtur ex craſſiore victu (de quo tamen uſque non conſtat) etiam bonæ notæ chymum elicere valuiſſe, idque notum eſt inſuper ejusmodi labem matrem æquè promptè ſentire ac fœtum: annon veriſimilius cerebri labem fuiſſe illatam lymphæ motu præpedito, ſive ex terrore, ſive aliâ de causâ, quæ ſeptem à partu menſibus, magis prodierit, contrà quam Author putat, ſub materni clauſtri foco vegetiorem pueri calorem, noxam præterfugiſſe: certè aut illuc recurrendum eſt, aut externus error, in lacte potiſsimum monſtrandus, à quo aquoſiore, vel viſcido tanta aquarum copia pullularit, totum ὑγρόφλοιον ita inundans,

ut

ut integra hujus compages soluta spiritusque animalis secretio plurimum infracta fuerit cum totius corpusculi alimonia sensim deficiente, à concidentibus partium fibrillis, & totius massæ haud dubiè vigore, finem faciente lethargo funesto, cui cerebellum, suâ functione strenuè quamvis defungens, moram ulteriorem injicere non potuit: nec tamen prorsus Severini de corporis inferi gracilitate, nullâ existente labe viscerum interiorum explosam cupimus, sed illum alimenti versus superiora raptum, per continuam succi lymphici. (quem nutritium alibi ostendimus) effusionem commodùm explicari posse credimus: commodiùs adhuc si succi nutritii delationem per nervos assumere liberet: cranii verò membranea tenuitas, ecquam duritiem, quæ natalia ossa primum habeant, nos docet, de quibus videatur eruditè differens Clariss. Kerkringius in suâ osteogenia: de catarrhis delabentibus adhuc quædam addenda sunt, quorum depluitionem adeò facilem vulgus sibi imaginatur, ut nihil communiùs inaudias, quàm è cerebro in ventriculum seri catarrhosi effusionem, ac si via patens adeò esset & aperta, ut collectum in ventriculis, & per infundibulum largiter ad glandulam pituitariam affluens serum, per patulam cavitatem, fauces ventriculumque petere posset: studiosè sanè cerebri compagem rimantibus patescit, illam dura meninge undique involvi, adeò, ut nisi istâ rescissâ prudenter, in conspectum non veniat, nec ejusmodi in cranii ossibus cavitates reperiri, quales aliqui sibi persuadent, qui cum Hippocrate nostro, ξύῤῥοιαι μῖαι, ξύμπνοιαι μῖαι ἢ ξυμπαθέαι πάντα in corpore nostro statuunt: quæ ipsa non levis difficultas ansam dedit aliis accuratiùs in singula inquirendi, inprimis verò Clariss. Victor *Schneiderus* hac occasione integra de catarrhis Volumina laboriosè conscripsit, metam tamen ubique non attigit: de ossis ethmoidis porositate, etiam alii multùm solliciti fuerunt, setæ trajectionem frequenter tentantes, nec enim sufficere videbantur processuum mamillarium fibrillæ, olfactus organum potius quàm seri canaliculi existentes: inde tamen canaliculi nondum prodiére, quorum ope in dicti ossis poros istud transfundi possit, nisi forte duram meningem excipias, per cujus substantiam transudet: Constans verò est natura sibi, inprimis non onerata, nec facilè vias inconcinnas adit, pristinis relictis, nempe de ductibus aquosis sæpiùs cogitavimus, quorum ope serum extillans & in cerebro conspicuum sive resumeretur in venas cum reliquo cruore, sive aliis partibus excretoriis vel palato eorundem ope suppeditaretur: at tam felicibus esse non licuit, ut illos contueremur & inveniremus: interim frustranea non fuit suspicio nostra, ceu patebit, ubi quæ Act. Erudit. Lipsi. ex Excellentiss. Vieussantii Neurolog. inserta huc transtulerimus, libro enim ipso nondum potimur, dabimus autem operam, ut accuratissimi hujus Viri vestigia pro viribus sequamur: Quam verò (*ita fantur Colle-*

ctores

ctores Actor. Excellentiſs. p.336. menſ. Jul. An.1685.) cuncta hæc in tractatione noſtrâ Author ſit perſecutus, prolixiùs diduci haud poteſt, niſi tranſcribere totum librum velimus: adeoque ſufficiet ſolùm ex ſcripto hoc annotaſſe in ſpecie quæ nova ſunt, quo ex illis tanquam ex ungue Lectori de Leone conſtet. Ex his primo loco ſtabunt ſinus duræ matris quatuor l.1.c.2. & 3. commemorati, de quibus quantum nobis conſtat' nemo Auctorum hactenus literarum monumentis conſignavit quicquam. Situs earum in ea eſt matris parte, quæ cranii baſi inſternitur ad prominentiam ſellæ equinæ. Duo autem ex his ſuperiores ſunt & minores, duo inferiores ac majores: illi, quorum veſtigia petroſis oſſibus ſupra foramina quæ ſeptimum nervorum par ſubit, utplurimum leviter inſcripta cernuntur, ex ea parte, quâ ſellam equinam reſpiciunt, receptaculis ſellæ ejusdem lateribus appoſitis inhiant, ex alterâ parte in ſinus laterales abeuntes, ubi ſcilicet ii ad calvariæ baſin deflectunt: iſti verò quorum veſtigia binis oſsibus, petroſo nempe & cuneiformi paulò profundiùs inciſa ſunt, ex una parte in prædicta receptacula, ad ſellam equinam exſculpta aperiuntur, & ex altera venas jugulares internas ſubeunt, ubi in eas ſinus laterales deſinunt. Uſus horum ſinuum eſt, ut unà cum ſanguine ſuperfluo etiam depluentem è cerebro aquoſum humorem, ad venas jugulares internas demandent. Etenim receptaculis his ad ſellam equinam factis, excipitur non ſolùm ſanguis ex oſsis cuneiformis ſubſtantia refluens, ſed etiam omnis ſeroſus latex ex cerebro in infundibulum & glandulam pituitariam in cavitates ipſorum deſcendens. Sequitur ſinus hos novos, alterum novum inventum, nempe fibrarum muſculoſarum cordis deſcriptio: cap. XVI. inquirit in originem pituitoſi humoris, qui in narium emunctione vel per ſcreatum ſolenniter rejicitur: deque illo ſequentem illam nondum omni ex parte notam adſtruit opinionem: ſcilicet organum hujus ſecretionis primarium pituitariam eſſe membranam, variis hunc in finem vaſis muciferis à natura exornatam; in ſinubus autem oſsium maxillæ ſuperioris & calvariæ baſeos, tanquam in ciſternis aſſervari iſtum mucum è ſanguine ſecretum, uſque donec datâ occaſione ad narium cavitates aut in patentes ad fauces meatus deponatur. Numerum horum meatuum determinans ad duodenarium extendit, & duos in ſphœnoide oſſe ſex in ethmoide, binos in frontis & par in maximo maxillæ ſuperioris oſſe recenſet, concluditque ex horum, prout vocat, aquoſorum ductuum & emiſſariorum præſentiâ. catarrhi deſcenſum à capite merè imaginarium eſſe, cùm ne guttula quidem ſeri, niſi per ſinus ſellæ equinæ ſuprà deſcriptos, & cranii cavitate deſtillet.

OBSERV.

Observ. XXXIV.

Cerebri meninges adnatæ. Ichor ſeroſus & cruentus, circa cerebellum & baſin cerebri copiosè ſtagnans. Pulmones coſtis utrinq; pertinaciter adnati &c.

Iohannes Meyer, Adoleſcens 20. annorum, à multo tempore cachecticus, & à pluribus retrò annis paralyſi lateris ſiniſtri laborans, operæ quotidianæ in orphanotrophio nihilominus pro virili vacavit: ſeptimanis aliquot ante obitum conqueſtus eſt de tuſsi moleſtâ & qualicunque reſpirandi difficultate, noctu inprimis infeſtantibus, ſputo item ſeroſo nunc tenui, nunc ſubviſcido: appetitus & vires qualitercunque conſtabant, ſitis verò per vices crebriùs vexabat. Ut malo imminenti, ſi non confirmato, repagulum poneremus, ſimulq́ue ſalium acrimoniæ in totâ maſsâ proſpiceremus, d. X. Jan. 1682. pilulas ſuaſimus ex diaphor. Jovial. fl. benz. reſin. ſtyrac. & myrrh. cum ſyr. fl. bellid. paratas, quarum X. ſingul. manè in juſculo florib. bellid. min. alterato ſumſit, juxta quoque demulcentia & pectoralia alia in uſum fuere vocata, lac inprimis, quod phthiſicorum ſacra ancora audit; aſt eluſit medicamentorum ſalubritatem, morbi enormitas & profunda radicatio, ægrumq́ue ſeptem circiter ſeptimanarum ſpatio peremit.

Cadaveris interanea vel ideò ſtudioſiùs luſtravimus, quòd & brumæ ſævitia & loci commoditas, ad præcipuorum etiam muſculorum ſitum detegendum, nos invitâſſe videbantur, inde præſentibus Vir. Clariſſ. & Præſtantiſſ. D. D. Eman. König, jam Acad. Curioſ. D. M. Speckero, D. M. Rüdino Medic. Licent. D. Köhlio Curienſ. Rhæto aliisq́ue φιλιάτροις, operi per biduum nos accinximus: Remotis integumentis communibus & muſculis abdominis. cum peritonæo ſubtenſo, ventris hujus viſcera naturaliter ſatis habebant, niſi quòd ſupernatans epiploon, labem qualemcunque contraxerat: Hepar, lien, pancreas, meſenterium, vaſis gaudebant ſatis conſpicuis, & portæ ramificationes, ſuperiora & inferiora verſus uti & cavæ deſcendentis evidentes erant: in illis nullum κακοθυμίας gravioris indicium apparuit, minus ad-

huc in ventriculo, inteſtinis vel renibus: inprimis lepidum fuit *veſicularum ſeminalium* examen, cui eò avidiùs vacavimus, quò omnem dubitandi anſam circa illarum inſertionem, vehementiùs contendimus eripi: Erant illæ proſtatis proximæ, & cum vaſis ejaculatoriis arctè ſatis connectebantur, inde etiam aëre per hæc injecto, illæ viciſsim implebantur & veſica urodocha: ſeparari quoque poterant, licèt communi inſertione in urethram donari, primùm ſimularint: Vaſis quoque elegantibus ad latera colli veſicæ pendentia hæc corpora inſtructa fuerunt, atque inteſtinula avium optimè retulerunt, ceu adſtantes viderunt: *Vaſa ejaculatoria*, ferè circa ſui terminationem, vaſis ſanguiferis identidem perreptari notavimus, intusque multijugâ fibrarum ſerie gaudere. Venter medius ſeparatis muſculis pectori incumbentibus & cartilaginibus coſtarum diſciſsis, ſternoque elevato, *pulmones* oſtendit purulentos, qui diaphragmati inferiùs, ſuperius ſterno, & ad latera coſtis vehementer erant adnati, ut absque vi ſepatari non potuerint: In pericardio ichor ſtagnabat modicus, ſubflavus: ſupremus *venter* meninges oſtendit denſas, cranio validè adnatas, quibus abruptis ichor copioſus profluxit; ſuperius ἐγκεφάλε hemiſphærium, flaccidum erat & ex ſero pellucidum: Vaſa quibus ornabatur perquam eleganter ſanguine ſeroſo palleſcente turguerunt: verſus ventriculos & glandulam pinealem cùm pergeremus, ſerum copioſum identidem occurrit, inprimis prope baſin cerebri & cerebellum, quo loci etiam *polypum* oblongiuſculum extraximus: *Glandula pinealis* præ flacciditate tota corruerat.

SCHOLIUM.

Siquidem miſer hic ab aliquot retrò annis, ſi non à primâ pueritiâ, paralyſi lateris ſiniſtri laboravit, à ſero non ſaltem flaccidítatem cerebro, fibrisque medulloſis inducente, ſed præcipuè ſui in ventriculis copiâ & exundatione deinceps, medullam oblongatam hujusque funes, ex iſta parte magis magisque comprimente, veriſimile non eſt tuſſim, quæ ultimo infeſtavit, machinam ipſius unicè deſtruxiſſe, enimverò accuratè omnia perpendentibus, patebit cerebro in prima ferè ætate labem inductam fuiſſe, ſanguinemque partium balſamicarum aut volatilium legitimâ copiâ utcunque defraudatum, ſero acri multum ſcatuiſſe, ceu id

præter

præter ichoris copiam vasa cerebri sanguine tenui seroso turgida commonstrant, eamque hinc liquori lymphico ἀγγεῖον non suggessisse, quam ni rodere debeat salsitate aut aciditate suâ, vel utroque juncto spissescere, naturaliter desiderat: pullularunt certè hinc multa symptomata, noxâ pulmonibus & cerebro præ aliis illatâ, (quam istud, si à primo statim ortu laboravit, impeditâ spiritus animalis legitimâ secretione ac generatione, non parum augere potuit) læsa enim inde ipsorum structura, osculisque vasorum, cum vesiculis pneumonicis ab acri paulatim erosis, respiratio difficilis à materiæ extravasantis aggestione & suppuratione, aëris liberâ eâque necessariâ expansione infractâ, cum febri lentâ, quâ corpus emarcuit, confestim successit, brumæ sævitiâ, ultimam, si ita loqui fas sit, manum imponente, fibrillas glandularum stringente, seriq; lymphici motum, imò necessariam ἀγγεῖον magis præpediente, quod dein sive tenuius acre acidum exudans, sive viscidum magis glandularum poros opplens, saltem utroque modo fibrillas laryngis bronchiorumque irritans, tussi ac dyspnœæ graviori ansam dedit: in meningibus verò, maximè ubi lamellæ cranii coire incipiunt ac pleurâ, contiguâque pulmonum membranâ, copiosa sui transudatione ac exudatione, & ut verbo expediamus, visciditate ac lentescentiâ, eam densitatem peperit, & adnascentiam, ut difficulter separari potuerint, mirumque est, hepar, lienem, decantata sanguificationis à Vett. organa, pancreas item & mesenterium, huic seri κακοθυμίᾳ non potuisse mederi, vel proventum ejus impedire, aut saltem ab eodem labem non contraxisse: Fatemur equidem, si diæta fuerit minùs laudabilis, ceu fuisse, nobis facilè persuademus, vitium primæ concoctionis in secunda emendari commodùm non potuisse, præcipuè verò confirmari inde arbitramur, Recentiorum assertum, sanguinem ipsum sanguificare, imò pulmones, pabuli ætherei legitimâ secretione, hujusvé cum sanguine miscelâ &c. (de quibus infrà) actioni isti haud parum adjumenti præstare: An polypus circa cerebellum delitescens oblongus, compressioni fibrarum cerebelli fomentum præbuerit itidem, multùm heic non litigabimus: impedimento sunt majores, & vasis præcipuè sanguiferis inclusi, sanguinis motui regulari maximoperè incommodant: cæterum natalia sua debet hic ipse, particulis sanguinis ramosis ac viscidis lentescentibus, reliquo cruore seroso tenui per vascula venosa utcunque remeante, ceu Dissertat. de structur. visc. par. 8. innuimus. De vesicularum quoque seminariarum structurâ quædam heic addere operæ pretium erit, vel ideò potissimum, quod in adultis nondum licuerat illas exactiùs sub examen revocare, quùm Prodr. Physiolog. conscriberemus: diximus autem cit. libr. vesiculas hasce liquorem sui generis conficere, nobisque dubium esse maximopere, an ab ejaculatoriis quidquam recipiant; nec asserti pœnitet experientiâ

rientiâ, jam in adultioris quoque ætatis hominibus inſtructis, ceu præſens hiſtoria docet, aliorumvé quos ab aliquo tempore ſecuimus, præprimis autem Juvenis 30. annorum, cujus veſiculas ſeminarias ab aliis cum quibus connectitur corporibus ſeparatas & præparatas etiamnum in ſp. vin. ſervamus: Qui nobis hoc in negotio contrarius eſt Clariſſ. Regnerus de Graëf ac qui hodie ipſum ſequuntur, l. de Virorum organ. ſeqq. fatur, ad quæ ſingulatim reſpondere, conſultum fore ducimus, ne causâ noſtrâ cadere videamur, vel quid incautiùs contra Viri hujus manes, quos reverenter habemus, ſtatuiſſe: *Uſus*, inquit, *veſicularum ſeminariarum eſt ſemen recipere, & pro futuro coitu ſervare, tali enim modo ſitæ ſunt, ut cùm via in urethram non pateat, neceſſariò ſemen à Teſtibus affluens, earum cavitatem ſubire teneatur.* E quibus verbis evidens ſatis eſt, ceu etiam paulò ſuperiùs meminit, peculiaria foramina per quæ ejaculatoria ſeſe exonerent in urethram, ipſum negare, viamque aliam quàm in dictas veſiculas ipſum non admitrere: *Miror profectò*, ait, *Viros egregios in re tam perſpicuâ adhuc falli poſſe, ſi verbis meis non credant, veniant quæſo ad ades noſtras, & illis omni tempore luce meridianâ clariùs demonſtrabimus, vaſa deferentia, cum veſiculis ſeminariis maximum habere commercium, idq; non in brutorum modo ſed in virorum diverſorum organis*: & paulò inferiùs: *Hæc omnia ut clarè atque diſtinctè conſpiciantur, aperire debetis anteriorem veſicæ partem cum ipsâ urethrâ, & immittere tubulum in vaſa ſemen deferentia utrinque unum, & videbitis ſtatim, ac in dextri lateris vas ſemen deferens liquorem propellitis, ejusdem lateris veſiculam diſtendi*: Veritatem horum noſmet ipſi confirmare neceſſe habemus, in eo autem diſſentimus adhuc, vaſa ejaculatoria in veſiculas terminari: ſanè cùm in homine peculiari ductu iſtæ non gaudeant, ſed in urethram ſuis orificiis prorſus terminentur, ceu proſtatæ faciunt in quibusdam animantibus ponè ipſorummet vaſorum deferentium inſertionem, fit facilè, ut aër flatu pulſus illa ſubintret, ac viciſſim impleat, pariter ut veſicam urinariam expanſione ſui identidem impleviſſe diximus: Eam verò communionem partium harum invicem, quâ illa ſe in has immediatè exonerent, nunquam deprehendimus: obſtant quoque rationes ſatis urgentes, glanduloſa viz. veſicularum ſtructura, quam in cervis, (quorum interanea ſuperiùs ruſpavimus) ceu in plures lobulos diviſa eſſet, & ante triennium circiter in apro majore, beneficentiâ Generoſiſsimi Dni à Gemmingen, præter meritum affecti, præſentibus D. D. Schorkopff & D. D. Lehenherr, eleganter tortuoſam, cum ductibus excretoriis peculiaribus, aliis unà demonſtravimus, ut de vaſorum ſanguiferorum nerveorumque multiplici ſerie, & diverſitate liquoris, quem exhibere ſolent, nihil dicamus: Equidem laudatus D. de Graëf dubia hæc ſingula adimere ſtudet, ſimulque rationes, pro ſententiâ ſtabiliendâ aliquot affert, quæ quid ponderis habeant, tantiſper diſpiciemus: Prima ipſarum

eſt

eſt petita à tali veſicularum diſpoſitione, ut ſemen per vaſa defluentia affluens, & viam in urethram per caruncúlam clauſam inveniens, neceſſariò debeat redire in earum cavitatem, ibiqúe aſſervari, donec opportuno tempore & loco excernatur: At quî caruncula iſta ſeminis in motu exiſtentis, effluxum impedire poſsit, nondum videmus, nec etiam qui D. de Graëf ſibi omnino ſimilis ſit, ſiquidem hinc concludimus, ipſum inficiari non potuiſſe, vaſa ejaculatoria in urethram terminari, cum caruncúlæ clauſæ in hac meminerit, quæ ſemen in veſiculas regurgitare faciat: aut num iſtam veſiculis adſtare, èqúe his ſeminis effluxum impedire opinatur? Nos certè negotium iſtud ita concipimus, Vaſa deferentia circa finem ſui eam nacta eſſe ſtructuram, quâ ſeminis elaborati portionem idoneam recipere ac ſervare poſſint; ampliantur enim manifeſtè, & eleganti fibrarum intus ſerie, (quarum interſtitia an glandulæ viciſſim occupent, Medullam glanduloſam Clariſſ. Warthoni conſtituentes, aliis dijudicandum linquimus) vaſorumqúe nitidâ cohorte extus inſtruuntur, ceu in pluribus animadvertimus, cum multâ ſeminis copiâ, ut hinc morari ſemen valeant, idemqúe ſtimulans, re ſic hortante, fibrarum robuſtarum ope expellere, ceu idem faciunt fibrillæ veſiculares liquoris copiâ, vicinarumqúe partium pruritu illas vellicante, ut inde caruncúlas, ſi ubivis adſint, eundem uſum præſtare partibus hiſce autumemus, quem proſtatarum canibus, viz. ne ſemen vel liquor veſicularum præter voluntatem effluat: 2da ſubſtantiam membranearum veſicularum, nullis glandulis viſibilibus, ductibus aut aliis inſtrumentis ſeminis generationi idoneis inſtructam pro fundamento habet: Verùm ſepoſitis jam quæ cùm Prodr. Phyſiol. ex Celeberr. Wepferi noſtrâqúe autopſiâ, tum heic rurſum de veſiculis cervinis maximè, & aprillis candidè diximus, id modò ex laudatiſſimi hujus Viri, cui vitam longævam animitus cupiiſſemus, Aſſeclis ſcire deſideramus, ecqui Vaſorum lymphicorum ramificationes, per membranam ipſarum excurrere ſtatuere potuerit: cùm lympham iſta revehant ab ipſis ſecretam: quî autem iſto officio functæ ſunt veſiculæ, glandulis viſibilibus deſtitutæ? ut prorſus nobiſcum ſentire debeant, glandularum ita viſibilem, ut vulgò contendunt, cohortem pro ſecernendo qualicunque liquore non requiri, maleqúe argumentari eos, nec partium membranearum ſtructuram æquè bene concipere, qui ubi illas non confeſtim datur conſpicere, negant partem ſtructuræ, configurationisqúe pororum ope ſecretioni vacare poſſe, ipſis glandulis aliter ferè munere ſuo non fungentibus: Ad liquorum diverſitatem in vaſis ejaculatoriis & veſiculis contentorum, quam ceu præcipuam urgemus, inquit, nihil hinc concludi poſſe, cùm facilè fiat, ut iu illâ morâ color vel conſiſtentia ſeminis parum immutentur: At non levis eſt iſta immutatio, ſi conſiſtentiam, cæteraqúe ac-

cidentia conſideramus, vid. ſis cit. Prodr. Phyſiol. cap. de ſem. mar. foretque mora iſta ex hoc ratiocinio ſemini nociva magis quàm utilis, utpote ad cujus elaborationem & confectionem tam induſtriâ vaſorum partiumvé ſtructurâ natura ideò prius ſe compoſuit, ut nihil omninò deeſſet ejus, quod ad fœcunditatem ipſi conciliandam deeſſet: Dubium etiam eſt quàm maximè, an ſola mora liquorem craſſiuſculum albidum, in ſuis cavernulis naturaliter contentum in ſeroſum, tenuem &c. pervertere poſſit? quæ utique ſingula anſam nobis non immeritò dederunt, inprimis verò ductus veſicularum peculiares in animantibus brutis, ſecus quàm laudat. Vir contendit, ut ab ejus ſententiâ receſſerimus olim, ac etiamnum recedamus heic, Veritatem ἀνλοψία ulteriùs pro viribus perſcrutati.

Observ. XXXV.

Hiſtoria Comato-Epileptici.

Puer 14. circiter annorum, habitu corporis macilento, ſtaturæ ſatis parvæ, toto quantum conſtat vitæ tractu, malè habitus, & vitio linguæ, ob quod ne verbum quidem integrum efferre poterat, à primâ nativitate laborans, cùm menſ. Septembr: 1680. Orphanotrophii ægros inuiſeremus, malè ſe habere tremulis verbis ſignificavit,

Ægrotam volvens faciem, maculisq; trementes
Pallentesq; genas. Virgil. Æneid. 4.

Nec tamen doloris locum dicere poterat, nunc parum circumcurſitabat, nunc caput contingendo, doloris indicia exhibebat: Verbera quibus à Magiſtro quandoque præter rationem exceptus fuit, ad iram miſellum concitâſſe videbantur, vana hæc ſit ſine viribus licet; prægreſſa quoque mala victus ratio, de corpore vitioſis humoribus repleto, qualiacunque prodidit veſtigia: hinc lene infuſum ex fol. ſen. &c. ſuaſimus, quod autem aſſumere renuit, aliquot diebus pòſt in deterius labens, viridia & flava copiosè vomuit, ſuccedente ſomno profundo, à quo difficulter expergefiebat, & expergefactus, præter morem neminem ferè ex adſtantibus cognoſcebat, imò vix dum oculis fixis ipſos tantiſper intuitus, in ſomnum lethæum rurſus proruebat, neque excernenda ampliùs retinuit, urinâ & fæcibus involuntariè

tariè profluentibus, quamobrem miſturam antepilepticam per cochlearia ſæpius exhibendam ex aq. fl. til. pæon. m. antepil. Lang. Spir.C.C. Tinct. caſtor. & ſyr. de pœon. præſcripſimus, veſicatorium nuchæ applicari curavimus, aliaque pro loci ratione, ex artis præſcripto imperavimus: ſed vix convulſionibus, quas imminere prævidimus, obviam itum fuit, quin miſerum confeſtim invaderent, & per dies aliquot graviter vexarent, uſque dum animula, ad Creatorem anxiè tendens, corpuſculum viribus ſuis prorſus defraudatum dereliquerit, in ſuo loculo blandè tantiſper requieturum, dum ſuo tempore lætiùs eidem conjungatur. Nos qui anxiè reſpiranti & ſtertenti imò agonizanti manè adſtiteramus, ſub veſperam, ulteriora fragilitatis noſtræ hauſturi tecmeria, juxta quoque mortis cauſam demonſtraturi, ſectionem inſtituimus, ſpectatoribus Vir. Excellentiſſ. & Clariſſ. D. D. Theodoro Zuingero, jam Eloq. Profeſſ. & Colleg. Leopoldin. *Ariſtotele* digniſſ. D.D. Rollvvagio Heilbronnenſ. D. D. Hochrütinero Sangall. D. Uriele Ritzio Pharmacopolâ & D. Phil. Speckero Baſ. Med. Licent. Remotis muſculis abdominis, epiploon putridum & corruptum totum oculis ſe ſtitit, cum inteſtinis flatibus diſtentis, ventriculo contra parvulo & inani: in illorum interioribus ultra viginti plexus glanduloſos protuberantes oſtendimus, qui omnes tribus tantùm exceptis gangrænoſin cum aliquali duritie contraxerant, de quibus videatur Clariſſ. D. D. Pejeri Exercitat. 2. de gland. inteſtinor. Valvulæ conniventes Kerkringii in iisdem admodum erant conſpicuæ: Hepar pro ætate & ſaturâ miſelli maximum, ſublividum: Vaſa cyſtica veſiculam ſuam eleganter perreptabant, pancreas ſubtus ventriculo protenſum albicabat: Lien omninò lividus & ſuperficie ſuperiore admodum corruptus. Vena cava turgidiſsima, ut & vaſa emulgentia & adipoſa: Teſticuli parvuli nucis avellanæ magnitudinem vix æquantes, ex innumeris vaſorum filamentis compacti: Renes cum ureteribus ſatis ampli: Venter ſupremus cranio ablato, cerebri molem exhibuit, itidem juſto majorem: Vaſa per hujus corticem diſtributa, admodum erant tumida & inflata ſanguine liveſcente: Glandulæ in ejusdem ſuperficie, præprimis corpus falcatum verſus, vaſis appenſæ videbantur: Sinus

tubulo

tubulo inflati maximi, ipsa autem falx à vasis reticulariter dispersis variè perreptabatur: Cortice abscisso ventriculi cerebri anteriores, vesicæ instar aquâ distentæ protuberabant, è quibus incisione factâ, ichor copiosissimè profluxit, qui in 3. & quartâ cavitate non minore quantitate stagnavit. Plexus choroideus totus palluit: Vasa quæ ex hinc corpus falcatum versus expanduntur, glandulis subduris, gelatinâ infarctis, stipata erant: Cerebellum flaccidum, à quo ante spinalis medullæ progressum plures nervos oriri inferiùs vidimus. Glandula pituitaria erat subfusca.

SCHOLIUM.

In inquirendâ symptomatum ratione, multùm prolixi heic non erimus, malum siquidem ab ineunte ætate pullulâsse videtur: enimverò balbutiebat linguâ, nec usque sapiebat animo; accessit mala educatio & prava diæta, unde illatâ paulatim M.H. labe, ipsisque intestinalibus glandulis, Viscera œconomiæ naturali destinata læsa fuerunt, cerebrumque noxam lethalem incurrit, vel enim sola ichoris copia comprimendo imò tantùm non destruendo medullares funiculos, soporem profundum excitavit, quem convulsivi motus, particulis ejusdem vel similibus nervosum genus, ejusque incolas aggredientibus, exceperunt, finem scenæ facientes, livoremque partibus variis, sanguinis liberiorem motum in vasis, cerebri præprimis & lienis præpediendo induxerùnt, cum intestinorum inflatione: glandularum verò intestinalium gangræ-nosin non tam isthinc deducendam autumamus, (quamvis in motibus epilepticis diuturnioribus ac admodum violentis, sanguinem etiam heic extravasare non negemus) quàm à sero subviscido fibrillas earum infarciente, illasque indurante, cui cruoris particulæ crassiores & ad motum ineptiores, subsistentes coadunari & unà hærere ceperunt: pariter etiam vomitus materiæ virideſcentis, cui mala diæta fomentum præbuit, particulas acres, fibras nerveas stomachi vellicantes, æquè heic agnoscit ac iram: (à quâ funesta symptomata pullulâsse seq. historia docebit) quandoque etiam motus convulsivi nervorum splanchnicorum, à copulâ heterogeneâ circa ipsos aut etiam ἐγκέφαλον spiritibus jam admixtâ, ejusmodi affectus præcedere solent: sunt verò alia adhuc, quæ attentionem merentur: Caput in quibuscunque fœtibus, præ aliis partibus, quarum ne rudimenta quidem distinctè contuemur, conspicuum esse experientiâ nobiscum alii compertum habent, est quoque in non paucis, cerebri moles, aliis partibus, habitâ ratione, major. Nempe fluidum, quod secernit,

ſecernit, toti reliquæ machinæ maximè neceſſarium eſt, deficitque illo labaſcente ſimul partium cæterarum functio, & ut verbo expediamus corporis animalis œconomia, atque hinc ſtructuræ cerebri integritas valdopere requiritur: utrum autem moles ejus auctior habitâ ratione corpuſculi, aliterque læſa configuratio caloris debilitatem involvat, ac juxta ad fatuitatem aliquid contribuat, diſpicere operæ pretium erit: Equidem quid de calore partium ſentiendum ſit alibi diximus, nec hujus debilitatis aucta moles indicium ferè eſt, niſi ſerum fibrarum cerebri interſtitia occupans, magisque ab invicem diducens, aut quoque glandulis inter meninges hærendo noxam inferens, pro causâ ejus agnoſcere velimus: alias ſupponimus etiam in cerebro grandiore, vigente glandularum ductuumque medullarium legitimâ conformatione per arteriolas undique expanſas, materiam ſpirituum legitimè adferri, hosque ibidem copioſiùs progigni: nihilominus pertinaciter inficiandum non eſt, ſapientiſſimum Conditorem figuram globoſam, quæ quidem in quibusvis animantibus perfectioribus, obſervatu digniſſima eſt, fruſtra cerebro non dediſſe, non tam quòd iſta ſit una ex perfectiſſimis, quàm quòd vaſorum circumgyrationibus optimè quadrat, fibrarumque medullarium ſeriem innumeram, ſibi aptè & concinnè reſpondentium, pro ſpirituum æquabili fluxu ac refluxu ex angulis interioribus, eleganter complectitur: atque hinc valere poteſt curioſum Clariſſ. *VVlliſii* ratiocinium: *Qui capite depreſſo vel nimis acuminato, aut alias improportionato inſigniantur, ut plurimum functionis animalis labe quadam notabili afficiuntur, ejusmodi namq; cerebra, tanquam ſpecula diſtorta, rerum ſpecies non rectè colligunt, nec animæ rationali eas verè objiciunt.* Prius verò ejusdem præſuppoſitum de indole ac ingenio à cerebri figurâ & magnitudine pendente, cùm vel in adagio ſit, cerebri parum aut nimium ſtoliditatem arguere, quoniam in parvo cerebro parciores tantùm ſpiritus gignantur, exerceanturque grandius verò texturâ plerunque viliore conſtet, quid reſpondendum ſit, modò innuimus: nec ſcimus an in præſenti hiſtoriâ cerebri moles, quam ſeri unda adjuvare potuit, ſola moroſin induxerit: nuper quoque adulti, qui à primâ ætate uſque non ſapiebat, ἐγκέφαλον aperuimus, in quo autem, niſi quòd mollicellus & laxior eſſet, aliud quid magnopere non deprehendimus: Pariter quoque nec 3tia ſupra laudati Viri poſitio admodum placet, dum inquit *ſubſtantia cerebri ſit benè temperata & laudabilis texturæ, nec tantum quoad caloris & frigoris &c. qualitates: verùm ſyſtaſis ejus ſal. volat. & ſpir. copioſis cum modicâ reliquorum proportione conſtans, ſit tenuis & aerea, ut ſpiritus facilè totum trajiciant, & ſibi tractus procudant*: fluunt iſta ex præconceptâ de fermento cerebri ſpirituoſalino, ſpiritus animalis matre hypotheſi, de quâ autem ſententiam in Diſſertat. de ſtruct. Viſc. expoſuimus, ſatiusq; foret, ſi deinceps judicium noſtrum dicere li-

liceat, si Vir ingeniosiss. in cerebri laudabili texturâ, pororumque & meatuum in glandulis & fibris bonâ conformatione, pro functionibus animalibus ritè excolendis substitissetˌ enimverò deficientibus spatiolis hisce, (ut cum ipso loquamur) sive obduratis, aut fluidis nimis partibus hisce existentibus, spirituum necessaria undulatio nec fieri satis, nec sufficienter percipi potest: Pori certè nimis stricti spirituum copiis materiem non satis uberem admittunt, laxi autem supra modum, particulas heterogeneas, regimini animali infestas simul recipiunt, quibus motus læsionem fibræductuum ratione unà addimus, imò non rarò spiritus animalis ipsius ineptitudinem: è quibus utique elucescit, nos cum in fibrillis cerebri malè affectis, sive cerebri malâ corformatione, tum spiritibus ipsis stupiditatis ac fatuitatis causas potissimum quærere: *Fatui*, inquit, Clariss. Willis. *non tam rudi crassâq; Minervâ quàm Animâ præditi esse videntur, eorumq; spiritus animales potius, quàm præcordia ex luto effingi*: nec tamen ita vappidos ac effœtos fieri, ut ille quidem suspicatur, nobis persuademus, enimverò destitutio ipsorum activitatis, in hoc consistere videtur, quòd vel ipsorum materiæ in sanguine particulæ adhæresçunt, liberam evolutionem & in glandulis corticalibus depurationem impedientes, vel secretis pororum ope, aliquæ accrescunt, lucidam eorum naturam, pernicemque motum offuscantes: fortè autem solo horum vitio malum rariùs contingit, & cerebri labes aliqua frequenter vel conjuncta esse vel præcedere solet, in primis in malo hæreditario, cùm stulti progignunt stultos: *iisdem particulis effœtis ad constituenda organa animalia in filio, quæ fuerant in patre confluentibus*, imò potius cerebri structuram, spirituumque legitimam secretionem lædentibus, maximè ubi mater fuerit stupidior, vel ob mariti fatuitatem animo satis langueat. De valvulis conniventibus, aliqua etiam in dissertat. de struct. viscer. monuimus: Primus eas intuitus fuisse creditur Laudatiss. Kerkringius, qui Observ. Anatom. 39. hunc in modum: sed alia erat novitas, ad quam præcipuè te vocabat, Lector, hæc nostra observatio. Notum enim jam tibi est, & dictum à multis in colo *existere cellulas quasdam à corrugatione per vinculum quoddam externum factas, quæ celerem facum lapsum sistant, quæq; rupto aut laxato eodem illo vinculo relaxentur atque dispareant: sunt eæ quidem, nec te decepit eorum, qui hæc observârunt, diligentia: sed aliud præterea, quod illi te celaverunt reperies: valvulas nimirum per jejunum & colon intestinum dispositas, quas ego si verbis audacia detur, nominare non reformidem valvulas conniventes. Quia non claudunt ita intestinum, ut totam ejus cavitatem oppilent, sed mediam circiter ejus capacitatem sic occludant, ut singulæ parte alterâ latiores paulatim angustiores fiant, & rursus paulò inferiùs ab alia excipiantur, quæ latior eâ parte, quâ præcedens erat angustior, talem intestino dent constitutionem, ut faces delabi quidem possint, sed non præcipitari unico quasi lapsu ad inferiora*: &c. Valvulas istas in canibus sæpiusculè

ſæpiuſculè conſpeximus, inprimis autem faciem elegantem exhibent in ſalmonibus, in quibus cùm ferè unus continuus inteſtini tractus ſit à ventriculo parvulo ad uſque rectum, cui innumeræ appendices materiæ chyloſæ organa ſecretoria pariter ac receptacula undique junctæ ſunt, uſum non exiguum præſtare videntur, morari videlicet particulas alimentorum ſolutas, dum in dictas appendices recipiantur, ſimulque fæcum præcipitatarum aſcenſum præpedire, ceu diverſa ipſarum configuratio, dum aliæ obliquæ, aliæ transverſæ, aliæ decuſſatim poſitæ ſunt ſatis perſuadet, poſſumusque hanc oſtendere curioſis in portione inteſtini quam exſiccatam ſervamus: propterea autem nolumus maſſam ſolutam valvulis hiſce ceu clauſtro cuipiam includere, quin vigente fibrarum inteſtinalium periſtaltico motu, valvularum fibræ quieſcere prorſus non poſſunt, utpote quæ ab illis dependent, maleque etiamnum credimns aſſertum eſſe & contra ἀνλοψίαν, à Richelmanno, motum periſtalticum natutæ inſtituto ſuperiora verſus non ferri; videſis eruditas Clariſſ. Pejeri Rationes obſerv. C. Decur. 2. Ann. 4. Ephemerid. Germ.

Observ. XXXVI.

Mors ſubita & inopinata.

Vir annorum 50. ſtaturæ proceræ Κοιλιῶδης & obeſus, operæ quotidianæ ſedulò vacabat, nec quantum conſtitit, morborum invaſionibus multum obnoxius fuit: Cùm hic aliquando coram judice varias cauſas ageret, nec adeò felici ſemper cum ſucceſſu, ad iram ſæpius fuit commotus: tandem autem cauſæ principalis eventum minùs auſpicatum ſuſpicatus, haud parum ſibi timuit: Pridie emortualis diei ſub veſperam iræ œſtro vehementiori percitus fuit: huic acceſſerunt nocturnæ ruminationes, eæque timidoloſæ ſatis, ob dubium rerum ſuarum eventum, hinc manè domo receſſit jam ægrotans, vomitusque crebrioris inſtantias perſentiſcens: in curiâ cùm compareret, ac per quatuor circiter horas ibi commoraretur, de torminibus ventris ingentibus & nauſeabundis diſtenſionibus querelas mox ingeminavit: omnia tamen quo potuit, ſuſtinuit animo: Malo autem fortiùs ingruente, crebrò ejulare, enormiter vomere, & quod de metu Poëta fatur Sat. XIV.

- - - *Trepidum quoque ſolvere ventrem*

Cepit, cum ſummâ cordis anxietate, ventris vehementiſsimâ in-

flatione, & clamore miserabundo. Domum rhedâ vectus, Medicum accersivit, viribus summopere fractis, qui cùm advenisset, ægrum agonizantem, sed placidè deprehendit: Obiit hinc statim post Medici discessum, nullis symptomatibus gravioribus vexatus: Rumor qui de morte inopinâ per urbem deferebatur, ac si veneno sibimet manus violentas intulisset, ansa fuit, quare qui defuncto arctiore necessitudine juncti erant, peterent ut cadaver aperiatur. Petitioni locus datus fuit facilè, & sectio celebrata præsentibus Vir. Excellentiss. Ante ipsam autem sectionem, nihil præ ore spumosi, nihil coloris admodum præternaturalis, nihil denique in abdomine admodum distenti, sed faciem merè cadaverosam conspicere licuit: Hinc imo ventre aperto, ventriculum & intestina lustravimus, in quibus rursum ne gry quidem, quod veneni assumpti indicium esse posset, deprehensum fuit: nullæ flatulentiæ, nullæ rubiginis vel gangrænæ signa aderant: albicantia & depressa omnia, præterquam quòd colon parte quâ hepar contingit, liquore flavo satis tinctum extiterit: *Hepar, lien, pancreas* omnia satis naturalia: copiosa quoque pinguedo præcipua viscera obtegebat: Ad thoracis Examen transeuntes, pulmonis lobum utrumque ritè constitutum vidimus, nullisque maculis sive nigricantibus sive aliis contaminatum: Cor autem flaccidissimum fuit cum fibris suis: Inerat ventriculis sanguis paucus, isque tenuis omnino & fluidus: Atque his sectioni finis impositus.

SCHOLIUM.

Oeconomiam naturalem, vitalis subsidiariam esse, eâque laudabiliter vigente, hanc rariùs lædi, agnoscunt quicunque vitium primæ concoctionis in secunda non corrigi, unâ pro certo habent; enimverò negari non potest ad fluidi laudabilem diathesin, in cujus motu vita nostra subsistit, Ventriculum & intestina, chyli optimâ confectione, aliasque partes liquorum variâ secretione, cùm illam adjuvantes tùm præcipuè totam massam depurantes, plurimùm conferre, reddendo nempe particulas sanguini in sui naturam facilè convertibiles, quæ ratione configurationis & mobilitatis ipso cum promptè uniantur, idemque hinc fluidum vitale constituant: Attamen contingit ut partibus ac visceribus hisce earumque functionibus labe nullâ, aut saltem non evidenti affectis, male habere incipiant homines, & non rarò subito corruant,

ruant, lecto nunquam affixi, in viſceribus ipſorum etiam poſt mortem, noxâ ſenſibili vix comparente. De pinguibus equidem admodumque obeſis, communis ferè eſt opinio, ipſos externis injuriis æquè non reſiſtere ac macilentiores, quod calor ipſorum diffuſus magis ac debilior eſſe creditur, ſ. potiùs quia ipſorum ſanguinis maſſa juſto fluidior eſt quandoque, particulis oleoſis ac ramoſis copiosè abſcedentibus: Gravat quoque ceu loquuntur, pinguedo excedens calidum nativum, illudque obtundit, aut magis comprimendo vaſa varii generis, glandulasque variis in locis, fluidi vario recurſui, aliisque actionibus felicius obeundis obſtat: Univerſaliter autem iſta nuſquam valent: Habitâ enim ſtaturæ habitusque totius, motus præprimis ratione, qui pingues & obeſuli ſunt, convenienti uſu ſex rerum non naturalium bene habere poſſunt pariter, & actionibus quibusvis feliciter fungi cum iis qui macri ipſorum reſpectu dicuntur: Inde tantò magis mirandum, ſi qui temperati eſſe, ac robuſti ſatis videbantur, ſubitò emoriantur, de malo quopiam prius non conqueſti, ceu præſens viri hiſtoria docet, quem funeſta ſymptomata ſimul invaſerunt, mortis imminentis prodromi, *quæ ſola fatetur, Quanta ſint hominum corpuſcula*: Cauſas ejusmodi inopinati interitus vulgus, & utinam non alii, qui magis ſenſati haberi cupiunt, ilicò toxico cuipiam hauſto, aliisve præſtigiis Dæmonisque interdum illuſionibus adſcribunt præter rationem: Interdum verò etiam Doctiores hærent, quando cauſa mortis vel poſt cultrum adhibitum palpabilis admodum & liquida non eſt; aut ſi quid de iſtâ ſuſpicantur, ratiociniis tamen ſuis eandem rurſus obſcurant, indeque ſæpiùs invalidam reddunt: Et ſanè difficile meritò cuique ſit & arduum, de ejusmodi occultis judicium præcipitantiùs ferre, quod qui ſuſpendunt, ſi aliud nil, hoc ſaltem lucrantur, ne ab imperitis temerè culpentur: Dicenda autem eſt ſententia, judice petente, vel hortante aliorum famâ, veritati, quantum ex indiciis, aliisque prægreſſis hariolari licet conformis, & ad hanc prudenter dicendam, diligenti ſcrutinio opus eſt: ſi veſicula fellis vel hepaticus ductus turguiſſent liquore ſuo, & ventriculum atque inteſtina copioſiùs alluiſſent, (de quo coli facies exterior flaveſcens teſtari ſufficienter aliquibus videbitur) torminum ventris, vomitusvé cauſa mox pateret: ſed obſtare poteſt quòd nec bilioſus fuerit ille, vel excreta alvi tinctiora, nec folliculus liquore admodum plenus: levamen quoque diarrhœa talis attuliſſet forſan, ſi perpendere placuerit, ejusmodi luxuriantis humoris exoneratione, ſanguinem liberatum fuiſſe ab hoſte, qui fundere ipſum aliàs & ſpirituoſitate ſuâ ac volatilitate nimiâ, ad majorem eamque noxiam rareſcentiam ducere, à nonnullis haud malè perhibetur, quibus uti prægreſſa ſæpius animi iracunda commotio, cauſa eſt ejusdem bilis ſpirituoſitatis auctæ, ita motum pariter retrogradum in

ſanguinem ipſius egregiè promovere dicitur, cui quidem opinioni inſigniter patrocinatus eſt olim, Vir cœterà Celeberrim. *Franciſcus de le Boë Sylvius*: aſt præterquam quòd Icterici nihil in corpore animadverſum fuit, probandus eſt inſuper Bilis iſte motus naturalis, cum effervescentiâ, quam in dextro cordis ventriculo inſtituere, Viris eruditis etiamnum creditur, utque linquamus Beatos Viri iſtius manes, quos piè veneramur, id tamen non poſſumus non mirari, quî convicto Excellentiſſ. D. Malpighii, Fautoris noſtri perpetuùm colendi experimentis, bina hæc dubia remanere potuerint: 1. ſuppoſito in glanduloſis hepatis acinis bilem ſecerni, ipſiusque partem reliquam, rectà per ductus hepaticos verſus eorum truncum ad inteſtinalem, & partem aliam per folliculi radices ad ejusdem cavitatem, atque inde per ductum cyſticum ad inteſtinum ferri, inde tamen non ſequi: *Nil ejusdem bilis tranſire ex iisdem acinis ad venæ cavæ ramos minimos acinis quoque implantatos*: 2. *Nil ejusdem bilis per notatos ductus bilarios tranſire in ramos venæ portæ, ipſis arctè conjunctos*: Secretionis negotium diſtinctè conſideranti, patebit ſanè, parvi momenti iſta eſſe; enimverò, cum venæ portæ materiam in glandulis ſecernendam afferat, eademque à reliquo cruore ſecreta oſcula, porosque ſibi configurationi reſpondentes in ramis ductus hepatici inveniat, quis quæſo vel cavæ, minùs portæ ramulis quidpiam ejus in ſtatu naturali miſceri aſſeverabit: junctos verò ſingulos hos uſque eſſe oportuit, pro ſecretione rectè inſtituenda, ut adeſſent rivuli è quibus glandulæ materiam bilis depromerent, meatus in quos eandem effunderent, ac vaſcula denique alia, quæ quod ſanguinis, aliusvé liquoris reliquum eſt, reveherent: nec obſtat, quod dubium eſſe, ait, & neque â *Malpighio* vel ullo alio probatum: *Venam portæ munus arteriæ explere*, cùm adſit *arteria hepatica*, cujus elegantem diſſeminationem verſus ipſas glandulas hepaticas, injectiones cereæ nobis aliisvé monſtrârunt; etenim *illi* aſſerendo ἀνλοψίαν anſam præbuit, quâ compertum omnino eſt ſanguinem per arterias meſentericas ad inteſtina eorumque glandulas advectum, per venas meſaraicas in portam reſumi, cujus innumeris propaginibus per hepar diſperſi obviam eant cavæ ramuli, ſicque circulationis negotium etiam iſthoc, in viſcere peragi: arteriam verò hepaticam, partibus in quas diſpergitur & abſumitur, ſin aliud nil, ſaltem ſucci nutritii portionem idoneam adferre, cujus omnes partes indigæ ſunt: Aliò igitur recurrendum erit, ut vel conjecturando cauſas ſubiti hujus interitus diſtinctiùs aſſequamur: Notum eſt iis, qui experiundo fervent, funeſta ſymptomata, ex injectione ſpiritus ſal.armon.in venam jugularem aut aliam majorem ſubſequi, hiſce non prorſus diſſimilia, nosvé ſuperiùs cùm de iſto tum etiam aêre, quem immiſimus, in canibus aliqua propalavimus: Fuit fortè in corpore iſthoc quod utrumque horum activitate ſuâ æquavit

vit, ſpiritum animalem intelligimus, hoſpitem illum æthereum, Euro ocyorem, cujus, inprimis irâ exagitati ὁρμὰς & cùm in ſanguinem, tum pręprimis, fibrarum nervearum funiculos in imi ventris viſceribus, nemo ſatis mirari vel concipere poteſt: ſuo ſanè elatere ætherem exæquat, quandoque & adeò ſanguinis ab invicem diducere valet particulas, bilis unà acrioris, conſtrictis glandularum ductuumque hepatis à copioſo & concitato ejus influxu fibrillis, frequenti ad inteſtinum tenue, ac hinc cum chylo in maſſam humoralem, amandatione, fibrasque muſculoſas in functione ſuâ concitare, ut & ille inde nimis rareſcat atque attenuetur, talique cum impetu, cor & arteriæ ipſum propellant, ex quo vel enerventur ſubitò concidantque miſerè, vel oſcula vaſorum hiſcant aut rumpantur, ſanguinisque liberum effluxum concedant, uti in apoplexiis ab irâ experientia teſtatur: ita ante complures annos Militis uxor vegeta ac benè colorata, cùm primo mane ad iram pertinacem adacta fuiſſet, poſt prandium, inſultum apoplecticum, adſtantibus tale quid non ſperantibus incurrit, totâ facie rutilans, cui ſupervenientes motus convulſivi, vitæ filum penitus abruperunt: in dictâ ſanguinis ſolutione, quam bilis ejusmodi miſcelam producere experientia comprobat, cùm particulæ acres circa fibras nerveas ſplanchnicas abſcedere poſſunt, tum unà ſpiritibus animalibus accreſcere, eosdemque ipſorum impetus fovere ultetiùs, motusque ſpaſmodicos in viſceribus, vomitus, tormina ingentia, & alvi vehementem dejectionem ciere, quibus etiam anſam præbent bilis ſpicula ſalina, ſoluto muco inteſtinali, in fibras nerveas agentia. Ipſe verò ſanguis taliter conſtitutus, ad motum pro vitâ conſervandâ neceſſarium, ineptus evadit, junctaque *iſti* fibrarum cardiacarum enervatio, qualis in animi pathematibus ſibi prorſus oppoſitis, irâ atroci & timore panico, proh dolor! frequentiſſimè contingit, eclyſi vel ſyncopæ cardiacæ dictæ producendæ, aptiſſima ſunt: atque hinc ſubitaneos ejusmodi hominum occaſus, interdum deducendos eſſe arbitramur, habitâ prægreſſorum ratione, eorumque quæ cultro adhibito dehinc detegimus: Probant ſanè hanc ſpirituum vehementem concitationem, ſymptomata in actu ferveſcentis iracundiæ conſpicua: enimverò pulſitat cor cum arteriis atrociter, æſtus præcordia occupat, ſuccutiuntur viſcera, tremor extremas partes invadit, Verbo

Μένε & μέγα φρένες ἀμφιλέλαιναι,
Πίμπλανται· ὅσσε δ' οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐίκτην,

ſicut de Græcorum Principe canit Homer. Iliad. α.

Jam face ſuppoſitâ ferveſcit ſanguis & irâ
Incaluére oculi.

Excellentiſſ. *Borellus* in illuſtri de motu animalium opere, ſollicitus eſt in inquirendâ causâ motus excandeſcentiæ febrilis, tandemque, cùm eadem,

eadem, quæ in ferventiſſimâ iracundiâ, contingere heic notâſſet ſymptomata, rejectis ſententiis aliis, ita fatur: *Propriißima affectio & character febris eſt pulſus & commotio vehemens cordis & arteriarum, ad quam conſequitur incaleſcentia & alia ſymptomata, & hoc evidenti ratione & experientiis ſuadetur. Quia videmus, quòd poſitâ vehementi cordis motione & concußione, paulò poſt ſubſequitur in toto corpore animalis nova caliditas, quæ prius non aderat, ut patet in irâ & vehementi agitatione corporis: ſimiliter ablatâ hâc, vel diminutâ contracta & tardius facta, ſubſequitur tepor, rigor & frigiditas, quæ prius non exiſtebat per corpus animalis, ut contingit in timore: Propoſ. 225. Part. 2. Edit. Roman.* Cauſam autem diverſorum horum motuum, mox eleganter explicat, quando ait: *Et quia cor, adinſtar authomatis, per ſe moveri poteſt, independenter ab imperio voluntatis ſucceßivis pulſationibus interpoſitis morulis, neceſſe eſt, ut ab eodem ſpiritu à nervis intra cor inſtillato, pulſationes cordis producantur placido & leni motu, in ſtatu ſanitatis, & vehementer in ſtatu febrili &c.* Ejusmodi autem ſpirituum in animi paſſionibus (de quibus alias laudatur Nobiliſſ. Carteſii ſcriptum) eò faciliùs machinam humanam deſtruunt, quò ſpiritus animalis, commotiones mentis inclinationes pertinaciùs comitantur, idque ex lege unionis quæ menti cum corpore intercedit: Sic Vir vehementi animi motu percitus, in cerebro imaginem infortunii ſatis vividam, ſine ingenti ſpirituum copiâ producere & conſervare non poteſt, nec commotionem ſatis violentam: ubi verò iſta ſemel acceſſerit, nervi ferè omnes, inprimis internas corporis afflicti partes amplectentes, commotiones & agitationes neceſſarias viciſſim recipiunt & inſtituunt, ſubſequunturque eò pòſt ſymptomata, de quibus modò verba fecimus: De hiſce verò in meletematibus Phyſicis fuſiùs diſſerendi dabitur occaſio.

Observat. XXXVII.

Motus convulſivi cum ſubſequente febri & mixtione cruentâ.

Puer 14. annorum, An. 1679, Menſ. Febr. diarrhœâ ſerosâ atroci vexatus, quam dolor ventriculi, appetitus proſtratus, vomitus & artuum laſsitudo, hincque etiam dyſenteria levior comitabantur, noſtram imploravit medelam. Pulſu æquali & blando exiſtente, humorum acrimoniæ bolo ex Elect. Diaſcord. &c. proſpeximus, additis pulveribus abſorbentibus & nervin. demulcentibus: inde etiam pilulis ex extract. rhabarb. quod ſupereſſe poterat, eliminare ſtuduimus: Quibus cùm benè haberet,

ret, diebus proximis, tempeſtate humidâ admodum ac pluviosâ, ſignifer per urbem cum commilitonibus (more circa Bacchanalium feſtum recepto) circumvagabatur, diætæ parùm ſtudioſus, quin pomis crudis & aquæ frigidæ potu manè & noctu gulam ftequentiùs oblectaret, unde & moleſtam ſcabiem à multo tempore ſibi contraxerat: ſub finem circiter dicti menſis, deteriùs habere cepit: facies cum artubus intumuit, inferioribus præprimis, quibus ſpretis, æger ſub dio ſolisque radiis adhuc obambulavit: appetitu inde dejici incipiente, & urgente nauſeâ ac vomitu materiæ acris, ſeroſæ, denuò accerſiti ſumus: A præſcripto Diaphoretico, tantiſper ſudavit, julepum verò veſpertinum ilicò revomuit: ſudor tamen ex parte evanuit: ſub veſperam reduces, dolor capitis miſerum torquebat, & materiæ bilioſæ evomitio, pulſu juxta naturali perſiſtente: Ventriculi regio Ol. balſam. & nervin. inuncta, & epithem. fronti applicatum: juxta bolus roborans exhibitus ex confect. de hyacintho, circa decimam noctis: Cùm jam inducias expectarent adſtantes, ſub mediam noctem motus convulſivi invadunt ilicò, qui circa ſiniſtrum hypochondrium incipientes, mox femur proximum, & hinc brachium, cum reliquo latere aggrediebantur, ſenſim ingraveſcentes, ſalvo manente dextro: Præſcriptâ pulveris antepileptici doſi, cum julepo tali per cochlearia ſumendo, manè injectus fuit clyſter, & mixtura cum cinnab. antimonii iterata: Quibus cùm ad ſe redire videretur, convulſionibus non ita crebrò affligentibus, inſiſti juſsimus, addit. tinct. Caſtor. cum ſpir. urin. naribus admovendo, ubi rès poſtulaverit, ſacculo item ex carminativ. vino incoctis abdomini, hypochondrio præſertim ſiniſtro applicando. Somno hinc blando ægrotus capiebatur, hoſtisque remittebat, unde in præſcriptis ſub veſperam pergi curavimus, addito decoct. ex Mercur. vivo, ſi quid fortè verminoſi, quod fœtor oris præſagiebat, juxta ſubeſſet. Poſtridie meliùs habuit, noctem quietam tranſegit, ſed jam pulſus celer & frequens, ſitis intenſa, urinæ tinctæ, cum ſedimento craſſo: V.S. hinc indicta ad ſanguinis ventilationem, & julepis certatum addit. bland. diaphoret. Veſperi febre remittente, trageam ex abſorbentibus & antepilept. præſcripſimus. d. ſeq. urinis turbidis

ac crasis etiamnum existentibus, cum pulsu frequentiore, julepo ex alterant. præparante perrectum est, in crastinum verò purgans ex syr. ros. sol. compos. &c. paratum, quo aliquot diebus pòst iterato, cûm copiosè dejecisset, urinæ sensim claresce-re ceperunt, cum sedimento utcunque laudabili: accidit autem ut claresscentes sanguinolentæ evaderent, citra doloris vel in renibus aut perinæo indicia, cui adstringentibus, fibrasque hinc roborantibus, pilul. præprimis ex terebinth. rhabarb. & sanguin. dracon. parat. subvenimus, ægrumque favente Deo pristinæ sanitati restituimus.

SCHOLIUM.

Errorem, quem in rerum sex non naturalium usu, sæpe impunè nos commissuros credimus, gravissimorum quandoque morborum matrem esse, modò innuimus. E præcedenti historiâ ecquid animi pathemata valeant, insuper videre est, ex præsenti verò, quantas corpori noxas præcisè inferat prava victus ratio, evidentiùs constabit: Equidem in pueris & adolescentibus calor robustus est, & usque vegetus fluidi motus, multum quoque agiles isti ac rarò quiescentes seri dissipant, accidit tamen frequenter, ut à nimietate ingestorum, partes tenerioris structuræ labefactentur, serique sanguinis ineptitudine lymphæ laudabilis generatio impediatur, præprimis ubi talia illa fuerint, quæ chylum bonæ notæ non suppeditent, sed cùm subigi minus apta sint, vel viscidiora subsistant in ventriculo & intestinis, corruptelæ proxima, vel sanguinis oceano illata ejusdem chymum corrumpant, lymphamque miserè inficiant, in partibus nutritis dehinc separandam: Atque hinc scabies ortum suum ducit, sero ejusmodi salsacido, quo massa humoralis saturata utcunque est, ad glandulas cutaneas depositò, ibidemque hærente, ac in ductibus vasisque lymphicis, quod viscidius & ad motum ineptius, imò oscillis ipsorum improportionatum est, subsistente ac restitante, sicque partium exteriorum artuumque tumori & lassitudini ansam suppeditante: Quandoque solenni naturæ motu sive ἐκκρίσει, nunc per vias urinarias illius copia aliqua vacuatur, nunc ad glandulas intestinales & ventriculi unà defertur, ibidemque fibrillas nerveas titillando, nauseæ primùm & torminibus, mox vehementiùs irritando vomitui & diarrhœæ locum suggerit uberem, appetitumque dejicit eò magis, quò fibrillæ ventriculi & intestinorum ex inordinato victu labem jam acceperunt, & fermenta horum oppressa sive enervata sœpiùs jam fuerunt; abscedit quoque à rodente sero mucus in tenellâ constitutione facilè, de-

lè, denudatisque vaſculorum ſanguiferorum oſculis, dejectiones cruentæ evadunt, nunc magis nunc minus. Cujusmodi quid omnino heic contigit: enimverò ſcabiem ex errore diætæ contraxit eademque aucta dehinc reliquorum ſymptomatum mater unà fuit: à quorum aliquibus liberatus, non quievit, donec exponendo ſe aeri pluvioſo frigido, naturæ in excretione motum turbaret, neceſſariamque tantopere Diaphoreſin impediret, ſeri ex ſe ad ſtagnandum prompti: inde conſtrictis partium teneriorum poris ac fibrillis, lymphæque particulis deinceps fixatis, facies & artus inferiores præprimis, intumuerunt, factâque ſive ſeri in glandulis ſtomachicis aggeſtione, ſive fibrarum nervearum ab ingeſtorum ſubſiſtentium corruptelâ, & hinc acquiſitâ acrimoniâ, forti vellicatione, nauſea vomitusvé recruduerunt, quem unà ſuccuſſis & ſpaſmodicè conſtrictis ductûs hepatici ac veſiculæ felleæ fibrillis, exploſa bilis amarulentum reddidit, potueruntque à ſpiculorum in fibras ſtomachicas impetuosâ actione, meninges earumque fibrillæ ita viciſſim affici, ut doloris atrocis ideam in mente parerent, quamvis non eamus inficias, ſeri vellicantis ſpicula circa easdem optimè ſtagnare ac hærere potuiſſe: Nec verò heic ſubſtitit hoſtis furor, quin ſpiritum animalem ita ſuâ atrociâ exagitaret, ut motus convulſivos in partibus produceret, quorum ortus utcunque indagatione dignus eſt: Excellentiſſ. Williſius affectionum ſpaſmodicarum cauſas, nunc circa ἐγκέφαλον ſubſiſtere, nunc circa extremitates nervorum hærere, aut in iis ipſis quærendas eſſe arbitratur, libr. de motibus convulſivis, moxque ad ſeroſam colluviem in cerebro, liquorisvé nervei corruptelam properat, poſſetque hoc ultimo ſæpius negotium explanatum ac abſolutum dari, modò ejus exiſtentia omnino probata eſſet: Quia motus ſpaſmodici ſubitò, ceu adſtantibus videbatur, ingruerunt, brevique pòſt, medicamentis convenientibus adhibitis plenas inducias dederunt, præcipuè autem quia ſiniſtri hypochondrii confinia, partesque illius lateris reliquas infeſtârunt, probabile nobis non fit circa nervoſum in cerebro genus, copulam hanc ſpiritibus vel accreviſſe, vel ipſorum domicilia tantopere impetiiſſe, ſed ſtabulantem in inteſtinis & circa fibras ſplanchnicas, humorem ſeroſum acrem ſalſacidum, (qualis interdum circa plexum meſentericum doloribus atrociſſimis, imò convulſivis motibus viam pandit) ſpaſmodicas fibrillarum contorſiones produxiſſe, eò faciliùs, quò in teneriori texturâ, nervuli minus reſiſtunt, & animalis ſpiritus ad ejusmodi exploſiones commodùm adigitur, atque hanc cauſæ ſpaſmodicæ ſedem confirmare videntur, tormina, nauſea, vomitus, quæ modò præceſſerant: de Lumbricis verò non ineptè ſuſpicionem fovimus, utpote experientiâ edocti, non modò in pueris ipſorum proventum largum eſſe ſæpius, ſed graviſſima ſymptomata non rarò parere, quorum

rationes invenire ſine iis difficile eſſet: ita inferiùs hiſtoriam dabimus pueri octennis, qui vegetus, motibus epilepticis ſubitò prehendebatur, à Lumbricis ventriculi & inteſtini tenuis regiam occupantibus & exercentibus: de modo verò & ratione formali convulſionum, motuumque epilepticorum, in ſeqq. hiſtor. anſam diſſerendi nanciſcemur; jam ſupervenientem febrilem æſtum, cujus beneficio materia ſpaſmodica infracta atque eliminata fuit, tantiſper luſtrabimus: Πυρετὸν ὑπὸ σπασμῷ βελτίον γενέσθαι, ἢ σπασμὸν ὑπὸ πυρετῷ, præclarè fatur Hippocrates ſect. 2. aphor. 26. Rationem hujus quærunt communiter in materiæ μεταστάσι ab interioribus cerebri generisque nervoſi in maſſam humoralem, unde iſta onerata particulisque ferosis acribus ſaturata, accenſo motu cordis, incaleſcere aut aliter ebullire & efferveſcere incipiat: Excellentiſſ. Borellus, ceu ſuperiùs monuimus, rejectis quibuscunque opinionibus aliis, ſpiritus ſeu ſuccos nerveos redditos ſolito acriores, nervos & cor irritando, cauſas productivas primas & immediatas eſſe excandeſcentiæ febrilis, cit. propoſ. adſtruit, hancque acredinem ipſi variè & à variis partibus cauſisque communicari & affricari poſſe, videturque ejus hypotheſis ficulnea non eſſe, enimverò cùm motus cordis, ſpirituum animalium influxui potiſſimùm, imò ſi ipſo cum loqui velimus, unicè debeatur, de febrili verò efferveſcentiâ, hic ipſe auctus & concitatus teſtetur, neceſſe erit ut ſpiritus auimalis primaria ejusdem cauſa exiſtat, atque huic particulæ irritantes alicubi accreverint, cujusmodi in puerulo hoc accidere potuit, nominatis inteſtinorum viſcerumque fibris à fero mordaci irritatis: aut reſorpta ejusmodi materia, circa ἐγκέφαλον ſpiritui in ſui ſecretione admiſta, eundem concitavit, ut aucto cordis motu, ſanguinis particulæ activæ ſuſcitatæ unà fuerint ad heterogenei ſubactionem & eliminationem commodiùs ſuſcipiendam: aliàs evidens eſt à gravioribus animi pathematibus, iſthoc ſpirituum motu, febriles inſultus frequenter induci, nec ab hac Borelli opinione deflectent, qui cum D. Jones, circa partium extremitates, digitorum præprimis apices fomitem paroxyſmi recrudeſcentis deponi, ibidemque acrimoniâ, quam vel morâ ſui concipit, fibrillas cutaneas vellicando, primos horrores creare perſuaſum habent; cujusmodi quid vel glanduloſarum partium ductibus obſtructis, ſuccis quos ſecernunt, liberè exeundi viâ præclusâ, degenerantibus, & lymphâ vel ſanguine circa vaſculorum capillarium oſcula ſubſiſtentibus, à quibus febrilis exæſtuationis, intercepto fluidi motu legitimo, alii hoc ævo cauſas non malè derivant, contingere dici vel fingi poſſet: quod jam ſæpe laudati Viri ſententiam tantiſper obſcurat, eſt ſpiritus animalis & ſucci nervei confuſio, parilesque effectus nocivi quos inde utrique tribuit: ita ſub finem propoſ. 227. inquit: *Loca igitur, in quibus ſucci nervei primò fermentantur, ſunt glandulæ & radices nervulorum,*

lorum eorundem obſtructæ & malè affectæ & irritatæ: Cauſa verò fermentationis eſt retentio violenta partium, quæ excerni debuerant è nervis &c. Nos ſpiritum animalem, itidem ut fluidum concipimus, ſed ſubtiliſſimum, nec ex ſe fermenteſcere aptum, ceu alibi dictum, præterque particularum nocivarum miſcelam, quæ in ſecretione ejus in fibræductus, potiſſimùm contingat, aliud in nervis coinquinans, ferè non novimus: Mictionem tandem ſanguinolentam quod concernit, illa ſi ſanguinis tenuitatem ac ſeroſitatem arguit, non minùs etiam de læſâ urinæ in renibus ſecretione teſtimonium perhibet, quâ fibræductuum oſcilla ſanguineas particulas unà cum ſero admiſerunt, occaſionem iſtis motibus convulſivis parantibus, quâ cum vaſcula interiora, tum ductuum maximè partium vicinarum fibrillæ ſuccutiuntur & debilitantur.

Observ. XXXVIII.

Tincturæ Antimonii effectus in motibus convulſivis.

Filia ſedecim annorum, à primâ nativitate muta, menſtruisque hactenus orba, carnoſa quamvis & benè habita, primo Februarii 1683. de qualicunque horrore, cum ſubſequente calore acri anxietate circa præcordia & inquietudine tacitè conqueſta eſt, cùm aliquot menſes antè dolore circa lumbos ſe affligi geſtibus monſtrâſſet: Vocati die quarto, crus utrumque cum femore vehementer intumuiſſe notavimus: Tumore exiſtente pellucido & doloroſo, ſuique indicia ex ſiniſtro latere ad eandem mammam uſque, multo cum ægræ cruciatu prodente: abhinc tamen anxietas & inquietudo ceſſârunt: pulſus celer & frequens, cum ſiti utcunque intensâ: præſcriptis diaphoreticis volatilibus, ad ſeri diſcuſsionem, viarumque, ſicubi natura vellet, reſerationem, id impetrâſſe videbamur, ut tumor crurum ſatis fuerit imminutus: Noctu interim convulſionum inſultus, quamvis breviores, ægra bis experta fuit, unde ad volatilia antepileptica poſtridie confugimus, veſperique ſymptomatibus pari vi pergentibus, iisdem fortiùs decertavimus: inſequentibus diebus cùm motus iſti frequenter ingruerent, mirari ſubiit medicamentorum inertiam, retulit verò mater, jam à primo ortu convulſivi quid miſellam per intervalla perpeti, d. 7. ad ſangui-

nis ventilationem, particularumque acrium distractionem ac subactionem V.S. in brachio dextro imperavimus, quæ feliciter cessit, citra paroxysmi vel ante vel post meridiem invasionem: postridiè autem eodem denuò ingruente, tinct. antim. in usum vocavimus, ad gutt. X. vel XII. manè & vesperi in idoneo vehiculo sumendam: atque hâc aliquandiu usurpatâ, paroxysmi manifestè remiserunt, ægraque à frequenti horum impetu, sanguinisque febrili agitatione liberata fuit.

SCHOLIUM.

Paria symptomata Filiam hanc invaserunt, quæ menstruatas quandoque, vel menstruari incipientes interdum affligunt; enimverò luxuriantes tantisper sanguinis particulæ, præsentiam sui circa lumbos sive mavis ligamenta uterina dolore, quem spiculis suis induxerunt, demonstrârunt, factâque dehinc spirituum animalium, & massæ totius agitatione, febrilem omninò exæstuationem suscitârunt: Nihil verò floris virginei subsecutum est, sanguine particulis, ut videtur, ad motum ineptioribus & circa vasorum capillarium extremitates facilè subsistentîbus saturato, serosis maximè & aquosis, quæ deinceps sive abscedentes, inter musculorum interstitia, vel in ductibus aquosis ceu canalibus ordinariis hæserunt tumoremque pellucidum femoris utriusque produxerunt, & tandem motuum convulsivorum recidivam, non tam irritando partes nerveas utero confines, quàm sui portione aliquâ spiritibus animalibus accrescendo, ingruerunt enim illi crurum tumore disparere incipiente, seriique particulis in massam humoralem ex parte resumptis, usque dum Tinctur. Antimonii ejus spicula acida, fibrillis nerveis infensissima, magis adhuc infracta fuerint, & ægrotæ à frequenti epilepsiæ impetu inducias longiores effecerint: De convulsione & motibus convulsivis plurima habentur in Vett. & Recentiorum scriptis, apud illos ferè obtinet Hippocrat. l. 6. Aphor. 40. effatum Σπασμὸς γίνεται ἢ ὑπὸ κενώσιος ἢ ὑπὸ πλησμόνης, ὅτῳ ἢ κῇ λυγμός. Spasmum esse nervorum pravam affectionem, qui à nimiâ ariditate, aut superfluâ humiditate decurtentur; & tunc musculos, per quos sui ramos dispergunt, violenter contrahi ac inflecti, vel dilatari articulos, quibus annectuntur: Ast præterquam, quod nervi ira arefacti & exiccati, instar pisorum, qui combusti vel torrefacti torqueri solent, visi nunquam ulli fuerunt, non videmus, quî suppositâ ipsorum contracturâ (ut de madore, qui naturaliter ipsis convenit, & à quo nusquam contrahuntur sileamus) articuli tam validâ vi incurvari possint aut distendi, cùm nervi non affigantur; muscu-

muſculorum in morem, duobus terminis duris, ac firmiter renitentibus, ceu de *motu cordis* Diſſertat. de ſtruct. Viſcer. notavimus, & præclarè monet Excellent. *Borellus*, ſed potius ipſorum principia laxè uniantur. Alii inter quos eſt Sennertus, & qui ipſum ſequuntur, quodcunque irritans convulſivorum motuum cauſam eſſe ajunt; nec malè hactenus, modò in quo ratio formalis utriuſque, *agentis* nempe & effectus ſubſiſtat clarius explicaret: Qui ſucco nervoſo patrocinantur, hujus acrimoniam, ſive ſalſam ſive acidam, & coinquinationem felicius inveniunt: Ingenioſiſſ. *VVilliſius Contractionem Muſcularem* fieri cenſet, dum ſpiritus animales è fibris tendineis, ceu promptuariis, in quibus reconduntur in carneas profiliunt, ibidemque particulas alius generis activas offendunt, cum quibus efferveſcentes & exagitati, fibras in corrugationes agunt, cui verò ſententiæ erudite opponit Clariſſ. Majovius cap. 1. de *motu Muſculari* utrum autem hic ipſe pro motu muſculari aſſerendo, adeò neceſſe habuerit ex cruore particulas ſalino-ſulphureas accerſere, quæ carnis muſculoſæ miniſterio ſecretæ, particulis nitro-aëreis ſive ſpiritui animali miſceantur, & inde motu perniciſſimo ſemet exagitent, à multis non immeritò diſquiritur, præterquam enim quod ad iſtam indolem ſpirituum, (quam pro exploſione ciendâ ille quidem aſſumit) non videtur recurrendum, utpote quorum ignea natura Machinæ animalis deſtructoria magis foret quàm amicabilis, dubium omninò eſt inſuper, in convulſivis motibus, particulas à cruore efferas uſque ſuggeri, &, quod potiſſimum, annon ſpiritus animalis, ſive ab accreſcente heterogeneo, ſive mordicatione nervorum, fibrillarumque nervearum in partibus concitatus & irritatus, iſtiusmodi effectum, ſolus producere valeat: Laudamus nihilominus ingenioſam Viri hujus hypotheſin, quâ particulas in motum pernicem agi aptas requirit, cujusmodi è cruore accedentibus actuandis ſpiritus æthereæ naturæ jam ſufficit: Ad priorum confirmationem faciunt, quæcap. V. ſupra laudatus Vir habet. *Sicut particulæ nitro-aëreæ in cerebrum tranſmittendæ, ita è contra particulæ ſalino ſulphureæ,*)addidimus quæcunque irritativæ) *ab eodem omnino excludendæ ſunt, ut enim ſi iſtæ aut ob ſummam tenuitatem ſuam, aut propter meatus cerebri patulos nimis, ſive ob æſtum ſanguinis nimis intenſum cerebrum irrumpant, eadem ſpiritus animales in motus inordinatos concitant: Hinc œconomia animalu valdè perturbatur, utiin ebrietate, Epilepſiâ, idq; genus aliis morbis evenire veriſimile eſt* &c. Quicquid ſit, in hoc ferè authores conſentiunt, irritari fibras nerveas, varieque & impetuosè concitari animalem ſpiritum, in gravi hoc ſymptomate, & partes muſculoſas variè divelli & torqueri: jam videndum quid in convulſionibus præcisè accidat horum ratione: Muſculum motus voluntarii inſtrumentum eſſe, Veteres, uno, quod ajunt, ore confirmant: In convulſionibus idem præter voluntatem movetur, differtque motus iſte à volun-

voluntario non in actione ipsâ, sed in causâ efficiente: In statu sanitatis spiritus animales è nervis promptè & placidè, fibrillarum muscularium poros subintrant, & sese expandendo, illas quasi contorquent, in statu morboso, à vellicante motus iste spirituum impetuosus, & inordinatus, quandoque autem pertinax est, duratque nimium ipsorum contentio, sanguine ab eodem agitato, alias particulas subinde ministrante, nî talibus saturati jam sint; modus iste fibrillarum per contorsionem contrahendarum, musculorum qui contrahuntur constrictioni & duritiei sive renitentiæ, ceu in infantulis convulsis & seq. histor. patebit evidentiùs) admodum consentaneus est, demonstraturque hic ipse experimentis à Clariss. Majovio: Non arbitramur hinc in motu voluntario spiritus animales, vellicando initia nervorum in cerebro, eosque comprimendo, exprimere guttulas succi nervosi intra sanguinem contentum in musculis, à quibus displosio inflativa consurgat, quæ eo major fiat, quo vellicatio spirituum gravior est, ceu in convulsionibus motuque voluntario accidere Borellus existimat propos. 213. part. 2dæ, tum quod succum hunc nerveum superiùs removimus, ejusque difficultates alibi explanavimus, tum quod *idem* cum spiritu per nervos, commodissimè posset accedere, idemque in motu utroque officium præstare, ut opus non sit, demum ex sanguine ipsum elici & exprimi: nec scimus qui citra secretionem hoc ipsum succedere possit, ut inflationem partium musculosarum in motu earundem præsuppositam linquamus: ad causas fomitemque mali tantisper transibimus, quorum *iste* interdum in unâ simplici parte subsistit, motusque convulsivos per consensum dictos parit, illas *autem* constituit quodcunque acre irritans, salinæ naturæ, sive jam acidum, sive alterius genii fuerit, tale semper, quod spiculis suis improportionatis teretibus, tetrahedricis, polyhedricis, hamulis uncinulisque præditis fibrillas nerveas distorquet, stringit, aliterque à suâ configuratione dejicit: Et quidem acidum, plerunque in causâ est, fuitque in filiâ præsenti, cui tinctura ex sulphure antim. solamen & auxilium tulit, licèt ipsa particulis acribus prędita, commissi nempe invicem sales diversi generis, spiculis improportionatis in se invicem agunt, donec sibi invicem adaptentur, sicque utriusque aculei diffringantur, quandoque etiam particulæ ramosæ, aliævé salium spiculis adhæresunt vel accresunt eademque post obtundunt & crassiora reddunt: nec tamen salia alia exterminamus: scimus enim quæ symptomata sal. tart. oculo canis aspersum, aut etiam nervis cruralibus ranarum, inducat horumque rationem aliquam superius reddidimus: in malo hæreditario spirituum certo modo vitiatorum & in crasi suâ deficientium erratum suspicatur Clariss. Ettmüllerus, quale tamen istud sit, usque non explanat: In puerulis certè, quò tenerior generis nervosi textura, eò ab

accre-

accreſcente heterogeneo ſpiritui animali, motus epilepticus faciliùs ſuccedit: videtur tamen in Epilepticis à primâ nativitate, labem aliquam in ipſis fibrillis & funiculis nerveis cerebri quandoque accuſandam eſſe, quâ vel pori meatusque ipſorum patentiores ſunt, nec leviori ſpirituum impetui vel accedentis heterogenei copulæ reſiſtunt, ſed ita mox afficiuntur, & ſuccutiuntur, ut ipſe magis adhuc promoveatur, indeque fœtus confeſtim pullulet, de cujus noxâ heic diſquirimus: quandoque etiam invicem convolutæ ſunt, aut aliter vitioſam texturam obtinent, cujusmodi de ſtupidis ſtultisvé quid ſuprà monuimus. Cœterùm laudatæ tincturæ vires in pertinaci flatuum copiâ utiliter experti jam ſumus ſæpiùs, antequè annos quatuor puero octenni, vero inſultu epileptico, bis quatuordecim dierum ſpatio vexato, cum fructu eam exhibuimus, immunis enim inde, in hunc uſque diem ſoſpes vivit, ut ejus efficaciam Clariſſ. Ettmüllerus aliique Chymici Præſtantiſſimi non immeritò laudent.

Observ. XXXIX.

Ex dolore in lumbis & inguine, utriusq; cruris & pedis imi Tetanus.

D. 11. Januar. An. 1686. auxilium noſtrum efflagitavit, fœmina primipara viginti circiter annorum, 14. à partu diebus, conqueſta de dolore pungitivo & lancinante circa lumbos & inguen dextrum, qui in crus & pedem imum ejusdem lateris atrociter ſæviebat. In iſto tumor aliquis ſubdurus & renitens obſervabatur, citra ullum ruborem, ægraque pedem nec flectere nec movere, nec eidem inſiſtere potuit: Rogata num ante partum dolorem ſimilem perſenſerit, annuit, & quidem ita, ut incedere interdum inde prohibita fuerit: ingruentibus doloribus partus, crus idem maximè affectum fuit, in convenienti, ceu debuiſſet, ſitu non poſitum: jam lochia fluere deſinebant, ſitis intendi & appetitus proſterni cepit, pulſus celer erat & frequens: lumbis & femori ol. lumbric. hyperic. &c. cum liq. C.C. ſuccin. ſuræ verò & pedi fomento ex herb. ſalv. fl. chamom. ſambuc. &c. in vino decoct. additâ camphorâ & croco proſpeximus; juxtà pro emendando acri in maſsâ humorali ſtabulante tragema ex Diaphor. Martiali ocul. cancr. corall. &c. cum ſacch. paravimus.

Sub vesperam dolor idem urgebat, simulque femur petebat: suasimus ut dict. liquor. cum tinctur. croc. & aliis illud blandè lavaretur & fricaretur, additâ mixturâ diaphor. ex aq. card. ben. veron. C.C. philos. præparat. &c. D. sequ. retulit se noctem utcunque quietam transegisse; doloris ex femore in pedem insultum non ita crebrum nec atrocem esse, rigor tamen in partibus musculosis maximè sub genu, doloros us admodum perstitit, cujusmodi etiam in femore animadvertimus, & alvi fluxus aliqualis ægram invasit: à sumptâ mixturâ parum sudavit, pulsus tamen hesterno melior, plenus nec ita frequens: perrectum est in præscriptis, circa tertiam verò pomeridianam, bolum ex Elect. diascord. corall. &c. exhibuimus, quem mox evomuit, quod ad medicamenta difficilis erat: sub vesperam dolores in inguine recruduerunt, crure universim cum pede obrigescente: jussimus illi forum applicare, & suræ cataplasma, ex farin. rad. alth. flor. sambuc. chamom. semin. lin. carv. addit. axung. can. mur. alp. camphor. croc. ol. lumbric. &c. Postero manè reduces, dolorem multò mitiorem esse audivimus, tetano quamvis adhuc subsistente, sumsit hoc manè de trageâ & in cæteris perrexit: Vesperi dolor punctorius rediit atrociter, pes tumebat supra modum, & renitebatur cum fragore, qualem ubi tantisper in alium locum movebatur cum sonitu edidit: pulsus celer & parvus: cataplasmati additæ ʒ aliquot fimi caballini: in fomento & oleis perrectum, juxtà paratus sacculus ex radic. bryon. lilior. alb. herb. bryon. fl. sambuc. &c. cum croc. lacti incoquendus & inguini calidè applicandus: internè verò propinavimus julep. blandè diaphoret. in 2. dos. Postridiè ex sacculi usu dolor remisit, redux ad tantillum motum, pes verò nec ita renitebatur, nec tanto cum fragore: perstitimus in externis, internè autem julepus similis rursum exhibitus; & quia diarrhœa denuò miseram vexabat, Emplastr. ex gumm. tacamahac. Bals. Peruv. ol. dst. menth. & pice stomachi regioni applicuimus. Vesperi ægra pedem aliquantum movere poterat, sed non extendere; dolor urgebat præcipuè infra genu: in inguine verò nonnisi per intervalla affligebat, in medium femur usque pergens: siquidem in pede imo tensio remiserat, in externis nil immutatum fuit, horâ verò somni julepi

dosin

dosin dimidiam propinari jussimus. D. seq. symptomata ferè eadem, nisi quòd pes minùs tumeret, tensusque esset: jam cataplasma femori applicuimus: suræ verò & pedi imo fumus adhibitus ex flor. sambuc. sem. aneth. oliban, mastiche, thure, &c. juxta præscripta emulsio in duas doses ex amygd. d. sem. nasturt. cardbened. &c. addit. jul. rosac. Diarrhœa remiserat, urinæ tantisper lixivæ, nec ita crassæ ut præcedentib. diebus, die postero tensio & dolor in sura paulum ingravuerant: unde ad cataplasma rediimus, auctâ dosi fimi caballini, additoque sale volat. C. C. iterata quoque fuit emulsio ex semin. sal. volat. imprægnatis: seq. manè retulit ægra se noctem satis quietè transegisse, remisisse dolorem in pede, adeò ut digitos flectere posset, etiam in surâ & femore, nec nisi sub genu aliquid ejus supereſſe, pulsus erat melior, nec urinæ ita saturatæ appetitus magis constans: perrectum fuit in externis addit. ol. ovorum Tinct. croc. &c. In crastinum verò jussa est lenem sudatiunculam pane recèns ex furno extracto experiri: Cùm rediremus d. proximâ, non sudârat, sura & pes imus multùm detumuerant, pedemque in lecto facilè movebat, ipsi tamen ob musculos extensores etiamnum spasmodicè affectos, insistere non potuit: sudor quoque de reliquo corpore per intervalla fluebat, cœteraque benè habebat; jussimus subsisteret in ordinariis, à quibus illud per Dei gratiam levaminis sensit, ut in seqq. diebus genu flectere, commodumque obambulare potuerit.

Die 23. Januar. ægrotâ levi de causâ ad iram commotâ, dolor vehemens inguen sinistrum invasit, citra tamen femoris vel imi pedis spasmum, qui succedentibus diebus utrumque horum invasit; accessit febricula, ob quam V. S. parca imperata fuit: sanguis eductus viscidus omnino fuit & corruptus, appetitus prosternebatur, sitis ingruit. Propinati hunc in finem, julep. & emulsiones ex blandè sudorem cientibus, juxtaque Diaphor. Mart. plurib. vicib. exhibitum: Externa verò eadem in usum vocata fuerunt, provocato sub finem sudore ope herb. bryon. fl. sambuc. rad. bryon. &c. in aq. fervent. coct. atque his per aliquot dies iteratis, sura & pes emolliri, tumorque aquosus, qui comparuit ultimis diebus, discuti cepit, Ægrotâ in hunc diem vegetâ superstite.

SCHOLIUM.

Attigimus in præcedent. ſchol. cauſas motuum Epilepticorum, eosque à ſpiculis ſalinis, fibrillas nerveas pungentibus, incitantibus, varieque lancinantibus & vellicantibus vel rodentibus, ut plurimùm provenire innuimus: ſi ad ſingula, quæ in caſus hiſtoriâ recenſuimus, attendere libuerit, patebit ſanè & de ratione formali affectus tam atrocis & non rarò funeſti, cauſæque genio nos non malè ſenſiſſe. Enimverò ab *acido auſtero*, (cujus præſentiam ſymptomatum pertinacia, dolor graviter lancinans, quo convelli quaſi & contorqueri fibras ægra ipſa percepit, ſanguis corruptus & viſcidus, urinæ craſſæ primùm hinc lixivæ, mox ſedimento ſimili ſaturatæ, diarrhœa quoque ferosa, & lochia ſubſiſtentia, ſatis arguunt,) vellicante in lumbis & inguine, concitati ſpiritus, eâ ſenſim copiâ vi & contentione exploſi fuerunt, ut contortis pertinaciter muſculorum fibrillis, reſiſtentibus circa oſſa maximè tendinibus, crus utrumque cum pede imo dolorosè omnino intumuerit & ad attactum cum fragore & ſonitu reniti deprehenſum ſit, medicamentis internè & externè uſurpatis non cedens, uſque dum eliminatis & correctis particulis ſimilibus in maſsâ humorali, fomes imminutus fuerit, emollitisque fibris & diſcuſsis Balſamicorum & volatilium ope copulæ irritativæ reliquiis, imò ſpiritu ipſo ad quietem compoſito, ad priſtinam figuram & ſitum muſculi redierint, cujus ratione præcipuè laudare audemus cataplaſma, cui fimum caballinum, ſale volatili ſaturatum addidimus. Recruduit equidem lærna, ex animi graviori pathemate, & mutatâ quaſi ſcenâ crus alterum invaſit, ſuperveniente febriculâ ſiti aliisvé ſymptomatibus, è quo ipſo evidens rurſum eſt, quantum ira in ſpirituum & cordis ac totius maſſæ humoralis commotione valeat, quamvis enim concedamus reliquias ejuſcemodi acris & auſteri ſuperfuiſſe & circa inguen ſiniſtrum aggeri potuiſſe, inde tamen inficiari nemo audebit, ex iſta animi agitatione, cui ſpirituum impetus ſucceſſit, illas ſuſcitatas & quaſi actuatas fuiſſe, ſobolemque hanc poſteà pejoris mali parentem evaſiſſe. Acre autem iſtud irritativum hamulos ſuos præcipuè circa ligamenta uteri fixiſſe & reliquiſſe videtur, quorum teres, nervoſum, alterâ ſui parte membranosâ, per muſculos femoris dirimi Anatomicis conſtat: nec immeritò ſuſpicamur, cùm jam ante partum hoſpitis hujus inſultus ægra per vices ſenſerit, in partu ipſo partes haſce crebriùs adhuc fuiſſe exercitas, ſ. ut alii loqui amant debilitatas, & hinc ſpiculorum ferociam minùs eluſiſſe. Conſtat inde, ut arbitramur, pro motibus convulſivis in parte ciendis, non neceſſarium eſſe, ut circa ἐγκέφαλον materia irritans deponatur: vel levis in parte fomes,

fomes, malo isti vel universim, vel in uno alterové loco ansam dare potest: superius adduximus olei nicotian. in ranis, serpentibus &c. effectus: Ex irâ absque præviâ causâ aliâ, insultus epilepticos subsecutos fuisse, experientia alios nobiscum docuit: Ab acri austero circa ventriculum & in intestinis tenuibus vellicante motus convulsivos in pueruli productos, ejusdemque eliminatione sopitos, infrà ostendemus: pariter etiam mensium per aures effluxum, præcedaneis motibus epilepticis historia plenior inferiùs exhibebit, nec novi quidpiam est variolas & morbillos, sui excretionem præviis iisdem moliri, utque alia silentio prætereamus, cruris utriusque tetanus & pedis imi, à copulâ acerrimè vellicante, (unde ingens spirit. ὁρμὴ & impigra contentio) circa uteri confinia, ecquàm ista facilis, horrendorumque symptomatum non rarò fœcunda mater existat, satis edocet: Notabilis quoque est epilepsia, à sinistri pedis pollicis læsione orta, sæpiùs recurrens, quam Excellentiss. Abrahamus Merclinus Ann. VI. Dec. I. Ephemerid. Nat. Cur. p. 112 commemorat, ubi præcedaneo dolori metus accessisse videtur, eaque spirituum inde ad motum concitatio, ut vel ex tantillo stimulo, pristinos impetus mox repeterent.

Observ. XL.

Odoratus vitiosus, indeq; nata incommoda.

A. 1682. quùm sanitati venerandi D. Parentis nostri in thermis Favariensibus studeremus, consilium à nobis petiit Reverend. D. Lavaterus Pastor Goclingensis, conquestus de miris olfactus incommodis, quibus ab aliquo tempore afficiebatur, adeò ut rem etiam fragrantissimam odoraturus, deglutiendi difficultatem mox incurrat, voxque hæsitare mox incipiat, ceu frustum deglutiendum illam impediret: Præprimis autem ejusmodi molestiæ Dnum Pastorem prehendunt, cùm in aëre crassiore vel locis vaporosis versatur, aut etiam tempestas humida urget: Primus paroxysmus ipsum sacro in officio constitutum invasit, tempore æstivo, à miasmatibus fœtidis urinam redolentibus, (videbatur enim sibi odorare saccos lotio madidos) quæ rustica cohors de se reddiderat: tentatur autem solus ejusmodi effluviis, aliis in eodem loco constitutis, tale quid non olfacientibus: Post pastum quoque à malo isthoc liberior est, cœterà sanus: quia affe-

ctus sacris emancipatum curis vehementer turbat, magnoperè ab ipso aquarum pótu liberari optavit & speravit.

SCHOLIUM.

Olfactus organum jam Vett. processus mamillares esse deprehenderunt, in brutis animantibus, canibus præcipuè aliisvé è longinquo objecta olfacientibus, magnitudine & fibrillarum structurâ ac dissemination egregios, nempe hunc in finem animalia olfactus organo tali instructa fuerunt, ut objectorum salubrium miasmata per aërem delata, etiam ad distans sitorum recipere magis, quàm dignoscere, indeque determinato ab opifice motu in illa ferri possent: atque in hoc noxii & incongrui à salubri distinctio, quorum istud fibrillarum poris non proportionatum, similem spirituum motum non parit, præcipuè consistere videtur: Detexit verò Recentiorum sagacitas, fibrillas nerveas innumeras per membranulas narium tubulatas dispersas, iisdemque intertextas, processuum mamillarium totidem propagines, ad quas sive odoriferi sive alterius perticulæ primum appulsum facere, suique præsentiam per spirituum undulationem animæ significare possunt: Enimverò ad quemvis sensum tria requiruntur: Organi legitima dispositio & textura: objectum sensile hujusque ad sensorium justa proportio & conveniens applicatio, tandemque hinc subsequens commotio, s. ut Cartesius contendit glandulæ pinealis inclinatio, quam in homine mens determinat & regit, in brutis verò, si illa displiceant, Deus ipse sui conservationem unicuique prudenter imperando dictitavit: Quod si jam ex his alterutrum malè habeat vel deficiat, sensus variè utcunque læduntur: & quidem in præsenti casu ea fibrillarum per membranam tubulatam dispersarum teneritudo & rarissima textura jam esse videtur, quâ à subtilissimis, iisque aliàs amicabilibus miasmatibus ita facilè afficiantur, quâ concitatâ spirituum copiâ versus interiores cerebri fibræ ductus, eam rei molestæ in mente ideam pariant, ob quam illa spirituum motum versus gulam musculosque deglutitioni inservientes ilicò determinet, unde factâ ipsorum in fibras expansione, deglutiendi difficultas nascitur, voxque difficilis evadit, ceu bolus deglutiendus foret: Utrum autem omni tempore fragrantium exhalationes ferre non potuerit, equidem ambigimus, persuasumque habemus, à primo paroxysmi insultu, sive mencem spirituum motum ita determinâsse, sive mavis, organi texturam, fibrillarumq; poros ita læsos fuisse, ut nec odoriferi quòd iis se facilè inserit, miasmata ferant, quin ille ocyùs subsequatur: Et hinc ad imaginationis vitium aliquod recurrendum esset, in mente ex perverso spirituum fibrillarumque motu priùs enatum, quale hypochon-

driacis

driacis familiare esse dicitur, enimverò imaginatio consistit in solâ facultate quam mens habet sibi efformandi imagines objectorum, hæc autem efformatio duo in se includit, alterum quod ab ipsâ mente pendet, estque voluntatis imperium, alterum quod pendet à corpore, estque obsequium spirituum animalium, fibrarumque in cerebro, qui vel priùs, vel modò motu suo imagines hasce insculpserunt: quò ergo motus fibrillis interioribus semel impressus fortior fuerit, quò sensorii textura tenerior, quò spiritus agiliores & promptiores, eò etiam, accedente præprimis objecto externo in idem organum easdemque fibrillas denuò impingente, motus primùm ab anima ita determinati faciliùs succedent, præstabuntque obsequium voluntati imperanti spiritus promptissimè: exempla virium imaginationis prolixè heic recensere opus non est, cùm inferiùs de illis differendum sit & Doctiss. Lampsvverdii intempestivæ aggressioni occurrendum Excellentiss. Wepferus in suo de cicut. aquat. nox. tractatu meminit fœminæ, quæ quoties pharmacopolium præteribat post morbum chronicum tota exhorruit, nauseâ correpta fuit, & vix vomitum evitare valuit: Et Monialis, cui protenus ceu ab electivè trahente, aliquot vicibus alvus solvebatur, quoties coram ipsa de Rhabarbaro & fol. sen. differebatur, p. 205. Novimus quoque nos, qui ex solo medicamenti cathartici aspectu, aliquoties vomere necesse habent, particulas ejus necdum odorati, cujus sanè rationem reddere difficile non est, si ad mentis quod habet in spiritus imperium & abominationem, quam cathartica pridem ei pepererunt attenderimus: in aliis fibrarum sive œsophagi sive ventriculi ea est teneritudo vel certa textura, ut nec leviora spicula ferant, imò à re etiam gratissimâ graviter lædantur. Si verò quæsiveris, in quonam ista organum afficiendi dispositio consistat, fortè præter magnitudinem, figuram & motum, quæ in corporibus unicè agnoscimus, & quibus ipsam absolvi statuimus, aliud non reponemus, quorum ratione ut variè omnino habent, imò habere debent, ita etiam varia sensoria idque variè afficiunt, differentiumque sensuum in mente ideas progenerant: Particularum olfactilium salina natura videtur esse, eaque tenuis & subtilis, quâ sensorium promptè ferire aptæ sunt, suique vestigia, sive ex ejusmodi sui configuratione, sive quod particulas accrescibiles sibi junctas habent, aut iisdem cum ligatæ sunt, tantisper relinquunt: Subtilitas ista vel inde necessaria esse evincitur, quod observamus, eò plus corpora odorata odoris effundere, quo calor intensior est & aptior ad plures particulas è corporibus odoratis suscitandas ac evolvendas, iisdem cum in quiete à frigore detinentur, (stringentibus hujus spiculis ipsorum poros,) parum omnino odoris vel obscurè spirantibus, ut alia omittamus de quibus videri potest Clariss. Rohault in Tract. Phys. Sensit ejusmodi urinosorum

rum & fœtidorum miaſmatum ἐνέργειαν Dnus Paſtor etiam æſtivo tempore, ipſorumque ſpicula ſubtiliſsima, aliis utpote immunibus & tale quid prorſus non olfacientibus, ſummâ cum difficultate tulit, ob rationes ſuprà allegatas. Suaſimus inde ipſi, ut in thermis conſtitutus, ipſarum efficaciam experiretur, hypochondriacis aliàs ſalubrem, aquarumque portionem aliquam ſingulis manè naribus hauriret, ſi forté fibrillarum textura inde roborari & emendari poſſet, præprimis autem monuimus, ejusmodi phantaſmatibus, ilicò obtemperandum non eſſe, ſed compeſcendum magis ab animâ ſpirituum motum illegitimum, quàm imperandum, in primis quod cœtera benè habeat, & poſt paſtum ſpirituum manipulis aliò influxum ſuum dirigentibus, ſymptomate hoc rariùs infeſtetur: fibras quoque ab exquiſitâ iſtâ ſenſibilitate, ſi aquæ non proficerent, liberari tantiſper poſſe iis, quæ particulis ſive ramoſis ipſas obmuniunt, ſive aquoſis diluunt, ſalinorumque ſpicula attemperant, aliterque ſpiritus pacatiores reddunt, quem ob finem pulv. præſcriptus, bis vel ter de die naribus inſpergendus ex fl. papav. alb. nymph. tragacant. alb. &c. nimio tamen horum aliorumvé uſu prohibuimus, ne obtunderetur ſenſorium, vel eam tandem fibrillæ configurationem ac texturam acquirerent, quâ organum actione ſua prorſus defungi nequeat.

Observat. XLI.

Hæmorrhagia narium inſolita.

Vir annor. 87. illibatæ fidei ac pietatis clariſsimus tradux, toto ferè vitæ curriculo, à gravioribus morbis immunis, & ſanguineus utcunque in candidiore ſenio, narium tamen hæmorrhagiæ rarenter admodùm obnoxius, & cucurbitulis ſcarificatis magis, quam V.S. in provectiore quoque ætate aſſuetus, cùm ab omnibus hiſce per annos plures ſemet vindicâſſet, quod nivei capilli, liquoris rutili defectum potiùs quàm copiam arguere viderentur, d. 19. Junii Ann. 1683. vegetus ac incolumis, niſi quòd aurium qualescunque tinnitus vexabant, pro more laudatiſsimo, concionem ſacram matutinam adiit, illique pientiſsimâ attentione ad finem uſque interfuit: Domum inde reverſo, nares præter ſpem prurire, & ſanguis affatim proſilire incepit, citra graviorem moleſtiam: Fluxu hoc ad horæ ſpatium durante, advocamur & remedia vaſorum fibrillas roborantia & tantiſper

tiſper ſtringentia, ſanguinisque fluxum demulcendo cohibentia præſcribimus: Turundas quoque ex crepitu lupi paravimus, quibus ſang.drac.ver. aliaque aſperſimus, naribus indendas, at citra evidentiorem ſucceſſum, fluxu ita ferociente, ut viis per narium cavernas anteriores exeundi præcluſis, in palatum non ſine incommodo copiosè deſtillaret. Dno ægroto interim de quoquam ſymptomate alio, præter aurium ſibilum ac tinnitum, querelas non movente, pulſu quoque æquali ac valido utcunque permanente, non citra adſtantium ſtuporem, utpote cum trihorii ſpatio ultra libras aliquot ſanguinis floridi & laudabilis conſiſtentiæ, fonticuli hi profuderint. Domum tantiſper reverſuri, ut juſculis confortantibus viribus paulatim ſuccurrerent, & ligaturis in digitis, ſanguinis motum coërcere ſtuderent, non neglectis medicamentis præſcriptis, ſeriò inculcavimus: aſt vix dum ædes noſtras ingreſsi, revocamur ad Dnum ægrum morientem, quem verò redeuntes in meliori ſtatu deprehendimus; qui enim poſt noſtrum diſceſſum, ex conatu alvum exoneraturus, ſtertere cepit ilicò, & adinſtar ſtatuæ obrigeſcere, ſibi nunc conſtabat, pulſuque laudabili pollebat, á ſanguinis ῥοπῇ liberior: Exhibito interim cardiaco, ut Dnus ægrotus ad quietem ſe componeret lectumque repeteret rogavimus: alvum ſolvens fœtida & nigra dejecit, cum aliquali teneſmo & virium evaneſcentiâ, ut adſtantes paroxyſmum parilem denuò metuerint: at feliciùs res cecidit, D. ægroto ad ſe ſenſim redeunte, viresq; ex fluxu, qui ab illo momento deſiit, deperditas, cùm medicamentorum tum juſculorum nutritiorum ope adeò recuperante, ut quatriduo pòſt in ædibus propriis vegetus ſatis obambulârit, vivitque hâc ipsâ, quâ ſcribimus die, per Dei gratiam, incolumis.

SCHOLIUM.

Clariſſ. *Graſſius* Phyſ. Suidnicenſ. Obſerv. 165 Decur. I. Ann. IX. & X. Ephemerid. N.C. hiſtoriam recenſet fœminæ ultra ſeptuagenariæ, quæ apoplexiæ prodromis interitum minitantibus tentata, hæmorrhagiâ uterinâ copioſiſſimâ ſuperveniente evaſit, deplente providâ naturâ per arterias uteri ſanguinem, qui cerebri vaſa implendo ſubſtantiamque medullarem tantiſper comprimendo, ſymptomata periculoſiſſima induxerat; mirum ſanè, ſed nuſquam laudandum illius opus, quo etiam μάλιστα γέροντας, ceu Hippocr. illos appellat, quibus ſanguinis parum ſu-

pereſt ordinariè, repetito per vias alias ſibi uſurpatas, motu ſolenni, vel noviter inſtituto, ſanguinis aliquâ profuſione à graviori malo vindicat: equidem in Viro octogenario majore, Apoplexiæ imminentis non adfuerunt indicia: nullus enim ſopor aderat vel ſenſuum hebetudo aut capitis gravitas: aurium tamen tinnitus & ſibili, naresque prurientes ſanguinis in vaſis arterioſis, carotidibus, harumque propaginibus ad aures, tympanum præprimis, & nares diſperſis luxuriationem, motumque inteſtinum tantiſper auctum confirmârunt, potuiſſentque facilè, nî per narium vaſcula exoneratio ſucceſſiſſet, graviora ſymptomata oriri: pulſus validus utcunque & æqualis, ſenſus conſtantes, genæ rubentes, cum ſanguinis optimâ conſiſtentiâ & colore, fortè intenſius rutilo, quid motu iſthoc boni moliatur, tantiſper perſuadebant, ſimulque cruorem turgeſcere ex omiſſo cucurbitularum ſcarificatarum uſu, neque ordinariis vaſis & receptaculis, commodùm ampliùs contineri poſſe, ſed implendo & diſtendendo capillarium ſpatia & fibras, uberiùs erumpere, quàm autem per venularum ductus reſorberi queat, ſatis oſtendebant: enim verò nec Ἀναβρώσεως minùs Ἀναπηδήσεως ulla aderant indicia, vel ſpaſmi fibrarum ſive in vaſis ſanguiferis, ſive partibus ſanguinem recipientibus: abſit nihilominus ut negemus in anaſtomoſi omnem ſemper acrimoniam abeſſe: ſanguis intensè rubens, ipſe acrimoniam aliquam involvit, utpote naturæ maximè alkalinæ, ſi Clariſsimum Sylvium audimus: Medicamentorum denique efficaciam eluſit, cruor in motu exiſtens, nariumque cavernis occluſis in palatum profluxit, quo fortè accedere potuit fibrarum vaſculoſarum quæ ſanguinis impetum aliquandiu ſuſtinuerant, fatigatio, ita ut promptè ſe ſtringendo ejus effluxui occurrere minùs valuerint: Aliàs in ejusmodi hæmorrhagiis, inprimis Medici de vulgo, V.S. adminiſtrare aſſolent, quæ fortè & heic locum inveniſſet, nî ſenium obſtitiſſet: Elegans omnino eſt hanc in rem Celeberr. Etmulleri monitum: *Stultum eſt, quoties ſanguis non evidenter abundat, eundem jam effluentem velle ulteriùs evacuare: ſcilicet in quâvis hæmorrhagiâ ſanguis purè paſſivè habet, movetur nempe eo quo ſpiritus impetu, & organorum moventium pellitur & effluit, ubicunque vaſorum ora aperta ſunt, utut occaſionalis cauſa interdum in ſanguine hæreat.* Pruritus certè ipſe comprobat particulas ſanguinis aliquas, fibrillas vaſorum certo modo afficere, cujuſmodi interdum etiam aliis in corporis partibus, iisque profundioribus ſentitur, videturque inde anſa dari ſpirituum motui: ſeu potius animæ iſtum determinanti, per fibrillarum fortiorem ſtrictionem in vaſis, quandoq; & cordis motum concitatum, cruorem titillantem & luxuriantem expellendi, cui producendo ſanguis non ſolâquidem copiâ turgeſcens, (cujuſmodi orgaſmum particulæ æthereæ inprimis æſtivo tempore, aliquando juvant ac promovent) ſed fibras easdem in vaſis partibusque diſtendens

ſtendens, vel ſubſtantiâ & tenuitate ſuâ humectans, aliterqué afficiens, ut pro more ilico ſe ſtringere, ficque ejus nimium effluxum impedire nequeant, idoneus itidem eſſe poteſt: *Virum novi*, inquit ſuprà laudatus Ettmüllerus, *habituali hæmorrhagiæ narium obnoxium, qui ut plurimum moleſtiam quandam in ſiniſtrâ thoracis parte percipit, antequam illa ſuperveniat*: Subſtitit verò in Venerando hoc ſene, ſanguinis profluvium, miro naturæ artificio ne magis dixerimus an defectu: ſtimulabant alvi excrementa nigricantia & aduſta ad ſui excretionem, quàm dum adjuvare ſtudet ille, ſtertere incipit & tantùm non emori: nempe ſpirituum unà cum cruore copioſo non parum profluxit, tantumque pro ipſotum reſtauratione quantùm alias ad cerebri glandulas, impoſſibile jam appulit: aderant tamen manipuli ipſorum ad actiones & functiones hactenus prompti, qui ſive à recrementis aduſtis irritati & turbati, ſive metu ſuperveniente, de quo equidem nobis non uſque conſtat, concitati & quaſi retròacti, ſubſidiariisque aliis ilico non inſtructi, ultimas excubias ſubitâ ſui in muſculos artuum horumque fibras expanſione, tantum non egerunt, ſimulque cor & arterias in motu fortiore feriari tàntiſper fecerunt, nec enim præſentes fuimus paroxyſmi tempore, ut de pulſu abolito ſententiam ferre poſſimus: quia autem iſte ſpirituum impetus brevis omnino erat, & Dn. Æger cùm rediremus, pulſu laudabili gaudebat, non arbitramur gravem ἔκλυσιν ipſum paſſum fuiſſe, ſanguinis ceu cujus copia ingens effluxerat, ſpirituumque in cordis thalamos influxu deficiente, ſed horum motum interruptum fuiſſe credimus, cauſamque ex parte præter opinionem, hæmorrhagiæ poſteà ſubſiſtentis, aliâs ſin iſta ſymptomatica prorſus & cordis thalami adeo exhauſti fuiſſent, animi ejusmodi deliquia rediiſſent, & fortè ſanguinis ῥοπή, quæ omnia ſpiritibus pacatioribus redditis per Dei gratiam ceſſârunt, ægerque ad quietem compoſitus & cum alimentis euchymis enutritus tum medicamentis roboratus, priſtinam ſanitatem mox recuperavit, ſenſitque (quod monendum adhuc) ab illo tempore ſanguinis è naribus profluvium per intervalla, ſed non ita abundanter, jam nonagenario major: Patet hinc tum quid ſpirituum ſubitanei motus, quibus aliò avocantur, poſſint, tum quid valeant non rarò ſanguinis ſolennes vacuationes intermiſſæ: Notum eſt frigidam cervici aſpergi ſolere, iis qui hæmorrhagias narium frequenter patiuntur, quâ non tam ſanguinis impetus coërcetur aut intercipitur, quàm verò ægri, tale quid non expectantes terrentur, ſuntque ejusmodi perterrefactiones, præſentaneum ad ſanguinis impetum ſiſtendum remedium. Uſque verò novi nihil eſt, ut hujus magnâ copiâ diſſipatâ unà cum ſpiritibus, animi deliquium ſubſequatur, ulteriorem fluxum dehinc cohibens, ceu vidimus ante quatuor annos in fœminâ quadragenariâ, hæmorrhagiâ uterinâ gravi laborante, ut de vita omnes deſperarent;

sperarent: Vasorum verò fibrillis sive à sanguinis acrimoniâ erosis, aut spasmodici quid patientibus, sive ab ejusdem continuo affluxu & tenuitate humectatis nimium & laxatis, verbo in tono suo læsis, si sanguinis unà aquosa ἀλύθεσις juncta sit, hæmorrhagia funesta in promptu est, corde per arterias, quicquid sanguinis accipit, pellente, tandemque in motu suo deficiente & concidente, cujusmodi An. isthoc 1686. in sectione cadaveris Vir, alicujus Clariss. unà nobiscum notârunt Vir Excell. D.D. Eglingerus Collega honoratiss. & D.D. Zuingerus, Acad. Nostr. Aristoteles digniss imus, istius enim pertinaci sanguinis per nares effluxu diu vexati tandemque extincti, cor cruore exhaustum fuit, totumque flaccidum, deficiente unà animali spiritu, à cujus laudabili præsentiâ fibrarum cardiacarum robur potissimum pendet: nec tamen, ceu suprà monuimus, quodvis sanguinis profluvium temerè sistendum, vel solennis vacuatio omittenda: orgasmo sanè spirituumque hinc motu accedente, non rarò per vias incongruas ille exitum molitur: Unicum heic allegâsse sufficiet. Meminit Clar. Hildan. observat. chirurg. Cent. 2. observ. XI. quòd Vir quidam nobilis, per annos multos hæmorrhoidum singulis mensibus fluxu maximo cum fructu laborans, cùm eædem ætatis suæ septuagesimo anno subsisterent, lassitudine & gravitate corporis totius correptus fuerit, & duobus mensibus pòst, sanguinem purissimum absque dolore eminxerit: ita probè recordamur mictionis sanguinolentæ, quæ V.S. aliàs solenni, aliquot vicibus omissæ succesit in viro quadraginta circiter annorum, robusto & vegeto, fuitque hæc ipsa cohibitâ, sanguinis missione legitimo tempore celebratâ.

Observ. XLII.

Asthma convulsivum.

Vir 58. circiter annorum, staturæ proceræ, varias in juventute ærumnas emensus, podagræ diris maturè satis obnoxius evasit, præprimis dulci mero, quo se cum compotatoribus strenuè sæpiùs exercuit, liberaliùs indulsit, cæterà robustus, àque aliis morborum insultibus immunis. Ann. 1680. cùm ætate sensim proveheretur, nec tamen ordinatiorem diætam sibimet imperaret, asthmate subitò cum dolorosâ tussiculâ infestatus fuit, quâ tamen parum omnino ejecit, doloribus podagricis juxta hinc inde infestantibus, præprimis circa scapulam sinistram & thoracem: respirandi difficultas paulatim ita increbuit, ut citra suffo-

cationis

cationis metum in lecto amplius decumbere nequiret: facies palleſcebat, pulſus parvus erat & frequens, appetitus proſtratus: Vocati antepilept. carminativis & volatilibus certavimus ex aqu. petroſelin. fl. chamom. confect. alk. Tr. caſtor. &c. & ſub veſperam clyſterem injici curavimus. Poſtridie ſymptomatibus in eodem ferè verſantibus, clyſterem iteravimus, & in mixtur. antaſthmat. pergere ægrotum juſsimus. D. tertio in ſtatu paulò meliore ipſum deprehendimus, hinc ad ſeri acris correctionem & per alias vias eductionem pulver. ex antepilept. abſorbent. & blandè diureticum commendavimus, addito juxtà Electuario confortante: quibus cùm tantillum proficeremus aliquandiu inſtitimus, præſcriptis poſteà pilulis ex Diaphor. Jovial. & Extr. caſtor. quibus optimè habuit.

SCHOLIUM.

Exemplum ſuggerit præſens hiſtoria, quàm miſerè in ſenectute luere teneamur quandoque peccata juventutis: Pollebat ſanè, ſi quis alius, vir iſte robore, præterque podagræ inſidias, nullos Morbonæ inſultus alios expertus eſt, quamvis illæ ipſæ diætam exactiorem dictare debuiſſent: aſt valet heic illud Poëtæ:

Naturam expellas furcâ, tamen uſq; recurret,

Vini certè delitiis ſemel inebriati, iis non valedicunt, niſi coacti, maluntque expectare plures nocivos ejus effectus, quàm antè abſtinere: Podagrâ laborantibus, aut hujus inſultibus obnoxiis illud damnoſum eſſe, etiam in vulgus notum eſt, probatque lactis cura evidentiſſimè, quâ multi ipſius inſidias vel ſubterfugiunt vel mitigant: nec opus eſt in cauſas prolixiùs inquirere, cùm naturæ acidæ acris, nervis ſummoperè infenſæ, illas eſſe potiſſimùm, uſque conſtet, probentque inſuper tophi & calculi ex abſceſſibus circa articulos apertis exempti, ceu in Exercit. noſtr. exempla adduximus: Acidum autem iſtud vagum quandoque eſt, & circa varias partes ſpiculis ſuis acuminatis dolorosè ſævit, circa muſculorum membranas, fibrillasque ipſorum nerveas interiores, vel etiam oſſium, perioſtia dicta: interdum muſculorum intercoſtalium interſtitia occupat, ibidemque nervorum propagines aggreditur, vel etiam pulmonum membranam ſuccingentem, aut fibrillas nerveas partium pneumonicarum, unde conſtrictis his aeris in veſiculas pulmonales expanſio, ſimulque irritato animali ſpiritu, ſpaſmodicâ affectione, muſculis intercoſtalibus inductâ, motus eorundem neceſſarius, impediuntur, ut maxima reſpirandi difficultas urgeat, aſthmaque tale produca-

tur, quod convulsivum nominamus, de quo eleganter satis Ingeniosiss. Willis. part. 2. de medicamentor. operationibus: ejusmodi familiare est hypochondriacis, materiâ vellicante fibras nerveas intestinales vel splanchnicas alias aggrediente, enimverò egregia omnino est textura, ac distributio Nervi intercostalis, & paris vagi, ac elegans plexuum utriusque variis in locis sociatio, ut incolis unius affectis, vicini facillimè compatiantur, inque partibus, quibus surculis suis præsunt, eosdem si ita loqui ausimus, explosivos motus instituant, præter opinionem; hinc musculi laryngis & faucium, subitò sæpè stringi incipiunt, ægriqúe subsilire, ac aperto ore anhelare: in nostro ægroto affectio ista gravis fuit, & sanguinis Ἀφ'ϑεσις serosa & acescens, eidem fovendæ ac producendæ apprimè idonea, unde pulsus quoque mox dejici & facies pallere ceperunt: benè tamen habuit à clysterum injectione, quibus emollitæ fibræ intestinales & vicinarum partium per consensum fuerunt, simulque serum ad glandulas intestinales alliciebatur, & à bezoard. Jov. cujus in ejusmodi acrimoniâ corrigenda, ope particularum metallicarum absorbentium, vires laudare satis nequimus, ceu in catarrhis & febribus catharralibus epidemiis experti sumus, cum extract. castor. cujus particulæ balsamicæ & volatiles usque notæ sunt chymicorum filiis: Helmontius affectum hunc, pulmonum caducum appellat, tractat. de *Asthmate & tussi, §. 29. Licet itaq; libertate Philosophicâ, Asthma nominare caducum pulmonum: in areâ thoracis fructificat, respicitq; singulariter pulmonem: velut suæ proprietatis scopum & objectum proprium: è veneno fit iste caducus pulmonis, quod proprietate suâ pulmonem afficit, non secus atq; cantharis lotii organa*: Equidem, si erravit Helmontius, uti non malè opinatur Clariss. Ettmüllerus, quòd in caduco pulmonum, poros ipsorum obstrui semper & occludi asserat, per quos aër trajici deberet, error tamen tantus non est, qui non facilè condonari possit, enimverò & cribrosam sive veiculosam pulmonum substantiam pro aere trajiciendo suspicatus jam est, optimeque facultate motivâ ipsos privavit. Legi quoque merentur Observationes elegantes, quas citato loco recenset: *Ex utero*, inquit, *vidi surrexisse virus, quod nil præter gulam stringeret, sic ut à trimestri, vix quidquam deglutiret matrona illustris: Accessi illam, malum cognovi, sanavitq; eam Dominus, præ macie enim & fame continuo caduco infestabatur. In consule quidem consistit virus in liene, ideoq; cum febri incepit incipitq; semper, quòd febrilibus initiis ibidem fuerit confermentatum: In venatore verò circa os stomachi* &c. Vett. parum de hoc innotuit affectu, aut saltem præconcepta suâ hypothesi farcti, asthma quodcunque ab infarctu pulmonum, vel flatibus in iisdem genitis deducere satagunt, utut ipsis difficile sit singula evidenter ostendere: Clariss. Piso qui eruditum Tr. de morbis à colluvie serosâ conscripsit, ad eandem in asthmate confugit, quamvis rarò demonstrabilem, hinc appositè suprà laudatus Helmont.

p. 35. *Reor interim satisfactum unicuiq; quòd saltem præfata asthmata, suam non debeant originem defluæ cùidam pituitæ in pulmonem, aut putatitio catarrho, cùm repentè invadant ac solvantur absq; manifestâ exscreatione, quæ pulmonem sic potuisset exercuisse: imò si quid fortè sub finem exscreetur atque tantillum, id non prioris aut causæ occasionalis rationem subire debet, sed potiùs producti vicem habet, ex magnâ scil. coarctatione, & injuriâ pulmoni illatâ.*

Observ. XLIII.

Ptyalismus ex nimio fumi Nicotianæ usu.

Præfatus Vir, rebus suis in melius vergentibus, ut paroxysmi podagrici sævitiam, si non eluderet, saltem mitigaret, maleferiati cujusdam consilio magis obtemperans, quàm nostræ dehortationi, aliquo post tempore, Nicotianæ fumo intempestivè ac immodicè se oblectavit. An. hinc seq q. 1681. cùm asthmatis insultus aliquos noviter pateretur, Nicotianam utpote hujus matrem, ejusque constitutioni maximoperè nocivam, penitus vitandam esse seriò inculcavimus, præscriptis ex artis dictamine medicamentis, quibus paroxysmi vires feliciter infractæ fuerunt: at *ille* monitis nostris diutiùs morem non gesit, quàm adversæ valetudinis postulabat genius: An. inde 1682. mens. Aug. horribili ptyalismo correptus fuit: saliva ex ore continuò effluebat, corpus summopere emaciabatur, appetitus penitùs vacillabat: urinæ paucæ erant & tenues: pulsus celer & frequens: paravimus apozema ex bland. adstringentib. terreis, balsamicis item pectoralibus, similibusque salium fluorem corrigentibus & acrimoniam, de quo sumsit singul. m. & v. ℥jv. adhibito pulvere ex diaphor. Mart. corall, sangu. dracon. & similib. Hisce denuò à molestiis liberatus fuit, appetitu redeunte: Ubi verò pristinam cantilenam recinere cepit, tandem mali fomes An. seq. prorsus erupit, ægerque hydrope comitante orthopnœâ funestâ mortuus est.

SCHOLIUM.

Contraxisse ex malâ victûs ratione, præprimis generosâ vini potatione ægrum hunc aquosam sibi sanguinis ἀλφόθειαν, sive mavis, salia in fluorem inde fuisse evecta magis magisque, ex prædictis colligere dis-

re difficile non eſt: conabatur iſtam vel potius fontem illinc pullulantem corrigere ac mitigare Nicotianæ fumo, quo gulam imprudenter oblectavit, ſicque in Scyllam ſuâ culpâ incidit, cupiens vitare charybdim: Equidem de Nicotianâ ejusque oleo & fumi variis effectibus ſuperiùs prolixiùs dictum fuit, daturq; anſa adhuc de illius noxis heic diſſerendi, ut promiſſis ſtemus: illud dolendũ magis quàm mirandũ, adeòejus Cultores fumoſis delitiis ineſcari, ut ægerrimè illis valedicere queant, incom̃od orum quæ pariunt licèt conſcii, id quod maleſuadæ conſuetudini attribuimus: Pollet ſanè particulis oleoſis & ſalinis acribus, quibuscum referat ductuum poros & oſcula nicotiana, ſemelque adhæreſcens, fibrillas ipſorum ſtringit, ſuccosque è fontibus elicit, præprimis verò ulterius ſpicula ſua ſalina communicans, ſanguinis particulas ſolvit, incidit, viſcidiores, præterque modum uſurpata fluxiles nimium facit, ſeroque per ductus ſalivales patulos, glandularumque poros excretorios, quibus *illæ* ramoſæ juxta facilè adhærent, extillandi copiosè viam parit, ſimili planè modo & eventu, quem ex Mercuriali inunctione ſubſequi notamus; enimverò læduntur à nimietate ſeri affluentis, ductuum fibrillæ, glandularumque pori & copiosè irrigatæ ac humectatæ ita laxantur, ut ad votum noſtrum ſtringere ſe non valeant, pro aquarum impetu cohibendo: accedit ſpiritus animalis defectus, læsâ vel ſolâ ſanguinis ipſius materiam advehentis neceſſariâ craſi & enervatio ab impuris ac improportionatis fumi miaſmatibus, ipſi ſubinde accreſcentibus, inque motu ſuo turbantibus ac pervertentibus. Notatu ſanè digniſſimum eſt, quòd ex crebriore Nicotianæ fumo aſthma & Phthiſin ſubſecutam fuiſſe Practici animadverterunt, à particulis nempe nocivis in inſpiratione imediatè aſperæ arterię hujusq; expanſionibus comunicatis, à quibus corrugantur & quaſi exſiccantur mẽbraneæ veſiculæ, aridiq; fiunt pulmones, quorũ officii defectum graviter luit poſtmodum univerſa humoralis maſſa: ſalivâ quoq; copiosè profluente, vel inerti redditâ, ex ſpirituum defectu, fomento in cibi concoctione neceſſario ventriculus deſtituitur, quin imò materia menſtruo hujus idonea identidem decedit, unde minuitur appetitus, læditur πέψις, aliaque innumera in corpus mala redundant: Ex Mercur. dulcis exhibitione, ad gr. XV. ſaltem in ſexagenario quartanâ laborante ptyaliſmum leviorem itidem ſubſequi, cum moleſta dentium vacillatione vidimus, fluxili redditõ ſanguinis ſero, ductuumque oſculis uſque apertis relictis: qui autem ceſſit ex convenientium antidotorum uſu: unde ſalivatio hæc procedat, docet Excellentiſſ. Ettmullerus Pyrotechn. rational. l. 1. ſect. IV. *Notum eſt*, inquit, *quòd internè adhibitus Mercur. ſalivationem moveat: Ratio eſt fundata in malignitate Mercur. arſenicali, Mercurius enim vulgi adjunctum habet ſulphur peregrinum volatile, de natura arſenicali à quo exoritur ſalivatio, qua ſua volatilitate & pene-*

penetrantia reſolvit tam utiles quàm inutiles humores: earundem igitur particularum portio aliqua in Mercurio dulci ſuperſtes parili effectui producendo, in quartanario hoc apta fuit: id quoque notandum, pro diſpoſitione maſſæ humoralis, ductuumque excretoriorum, qui in quibusdam crebræ ſputationi aſſuetis quandoque ampliores vel laxiores evadunt, effectu iſthoc nunc citiùs nunc parciùs mercurium potiri: alias contra febres ejusmodi pertinaces præſtans remedium audit, dum incidendo viſcidum quo H. M. utplurimum ſaturata eſt, vel coagulum in partibus ipſis ſubſiſtens, ceu fomitem comodiſſimè amovet: prudenti verò cautelâ opus ubique eſt: De ductibus per quos ceu conſtitutos canales, in ptyaliſmo ſerum copiosè effluit, non opus eſt, ut ſolliciti multum ſimus, cùm ſatis pateant, Anatomen gnaviter exercentibus, imò laudatiſſimâ ipſorum induſtriâ novi indies detegantur, ut mirari non oporteat, aquarum copiam canalibus tot ipſam effundentibus: Excellentiſſimus Stenonis & Clariſsimus Warthonus æternam ſibi Nominis famam compararunt, ille quidem palatinis & ſalivalibus, à parotidibus conglomeratis ortum ducentibus ſuperioribus: hic verò à glandulis ſublingualibus prodeuntibus inferioribus, quibus ſocium ibidem oriundum haud ita pridem addidiſſe cupit Curioſiſſ. Caſparus Bartholinus, cum quo etiamnum Viri Clariſſ. & omni laude digniſsimi certare dicuntur *Joſephus Du Verney* Pariſinus & *Auguſtus Quirinus Rivinus*, Anatomici ac Medici famigeratiſsimi: Nos Spartam hanc nulli dubiam facturi, laudamus atque extollimus ſeduliratem & dexteritatem tam præluſtrium virorum, rogamusque ut utiliſsimis hujusmodi inventis Rempubl. Anatomicam porrò locupletare dignentur: Annus hinc eſt quo libello de ductu ſalivali novo Excellentiſſ. Antonii Nucken potiti ſumus, in quo novum par Viri hujus induſtriâ ac ſolertiâ ſingulari detectum eſſe animadvertimus: Animum hinc ſubiit ſæpenumero in iſtud inquirendi, dum otium & commoda occaſio ſuppeteret: Menſe hinc Decembr. A. 1686. cùm in explicandâ corporis humani, partiumque hujus fabricâ privatim ac faciundis experimentis occuparemur cum Nobiliſſ. D. Mejero Med. Lic. Scaf. Anat. Cultore ſolertiſſ. in cane, quem vivum aliis de cauſis ſecuimus, iſtud operis effectum dedimus, invenimusq; ʒ circ. diſtantia inter 1. & 2dum dentem molarem, numerando à poſtremis, oſcillum ductumque ex utroque latere, quem laudatus Vir deſcribit, eumque primo ſetâ, hinc ſtilo argenteo intruſo ac obliquè ſurſum adacto, rectà verſus glandulam in orbitâ oculi anterius ſitam perſecuti ſumus, unà cum pluribus ramulis, quos à conglomeratâ hâc glandulâ ſubinde accipit: arteriolas quoque hujus ſubſtantiam perreptantes haud obſcurè vidimus, ejus tamen longitudinis, quam ipſi adjecta icone attribuit, eſſe dicere non audemus, ſiquidem in noſtro cane, qui tamen moloſſus fuit,

multò brevior fuerit. Inde in aliis quoque animantibus ductum eundem perveſtigare ſtatuimus, & menſe eodem, caput vitulinum nobis afferri curavimus, ſed nulla planè oſtii ductus veſtigia, cùm tamen Stenonianum patentiſsimum fuerit, utrinque deprehendere licuit: poſtridiè hinc cum præfato Dno Mejero, ſeparatis ſeparandis & diffracto prudenter proceſſu zygomatico à glandulâ ipſum perſequi cogitavimus; Verum fefellit ſpem noſtram *glandulæ* decantatæ utrinque abſentia, ceu Viri literatiſſ qui præſentes fuerunt, D. M. Bauhinus, D. M. Stehelinus, D. Hoferus Mülhuſin. D. M. Bernoulli, D. M. Huſerus, aliiqúe, inprimis autem Clariſſ. Dni Licent. Screta & Oſchvvaldius Scafuſ. in hoc negotio occupatis accedentes, teſtari poterunt: fereque hinc perſuaſi ſumus in Vitulo ductum hunc non reperiri: Ulterius tamen ſortem noſtram cùm in hoc tum aliis animantibus experiemur, ne contra experientiam aliquid uſque venditemus.

Observ. XLIV.

Phthiſis cum calculis è pulmonibus & palato excretis, &c.

Matrona honeſta 40. circiter annorum, plurium liberorum mater, gibboſa, & variorum morborum inſultibus divexata pridem & laſſata, Menſtruo quoque fluxu à multo tempore orbata, conqueritur de tuſsi & ſpirandi difficultate, ſputum, quod primis ſeptimanis ſubſalſum erat & feroſum, nunc viſcidum magis eſt & craſſum, non rarò cruore tinctum & ſubpurulentum, quandoque etiam ſanguinem floridum copiosè ejicit cum ſpumâ: Emaciatur ægra, urinæ tenues ſunt & crudæ, pulſus frequens, appetitus proſternitur: Cùm plurima hactenus in uſum vocaverit remedia, ſed absque fructu, petiit, ut Excellentiſſ. D. D. Wepferus, unà nobiſcum ſententiam dicere, manusque auxiliares ferre dignaretur, quò ſi Deo viſum eſſet, priſtinam ſanitatem recuperare poſsit.

SCHOLIUM.

Celeberrimi WEPFERI *noſtramq; ſententiam complectens.*

Non opus eſſe auguramur, in affectus naturam, quo Ægra jam vexatur prolixius inquirere, cùm ex ſignis reconſitis ſatis pateat, Ægram hæmo-

hæmoptoicam phthiſi confirmatâ magis quàm incipiente infeſtari: Ulcera pulmonum, quî ſuam ſumant originem, facilè capient, qui ipſorum artificioſam ſtructuram ex veſiculis & lobulis innumeris conflatam, cum innumerâ vaſorum hæmagogorum, tenuiſſimis filamentis eosdem perreptantium ſerie, accuratius perpenderint. Pulmones dum aëri ingredienti uſq patent, & expandi incipientes, pabuli ætherei ſecretioni vacant, ſimul quoque ſanguinis arterioſi in venas receptionem adjuvare, atque circulum ejus quadantenus promovere, Virorum Doctiſſimorum fert opinio. Id ſanè ratum eſt, neceſſariam eſſe actionem utramque, & quamdiu ritè fiunt, ut nihil materiæ nimiæ vel heterogeneæ in lobulis ſubſiſtat vel veſiculis inferatur, illas comprimat, aliterque impediat aëris legitimam expanſionē ac ſecretionē, (parietes quibus illæ mutuò cohęrent rumpendo,) ſatis bene nobiſcum agi: quamprimùm vero ſanguis ſale acri impręgnatus vel rodit, vel in motum vehementiorem concitatus, oſcula vaſorum impetuosè aperit ac dehiſcere facit, vel etiam lympha acrior aut viſcidior vaſcula diſtendit, rumpit, facilimè dictis partibus labes inuritur, ut nunc corrodantur, vel à copiâ ſtagnantis fluidi, quæ ſufficienter excuti nequit, repleti veſiculoſi ductus, amplientur p.n. tandemque factâ aliquâ parietum ruptione, quaſi in lacunâ materia morbifica aggeratur, unde non modò pulmonis ſtructura graviter læditur, ſed etiam ſanguis in circulum iturus, impeditur, pabulo æthereo magis magisque orbatur, imò ulterioribus inquinamentis inficitur, unde malum profundiores radices agit, circa quarum extirpationem ſæpiſſimè in caſſum laboramus: Interdum ſalia à quibus legitimè aliiscum cruoris particulis unitis, mixti ſalus multum pendet, à naturali texturâ & combinatione deſciſcunt, ac in fluorem evecta, ſero inſignem acrimoniam conciliant, non modo veſiculis pneumonicis, ſed etiam fibrillis glandularum trachealium, ad quas copiosè non rarò deponitur, maximopere infenſam, atque hinc non tantum tuſſes ſolennes, ſpaſmodicæ, quæ depluitionibus fictitiis à cerebro, malè à compluribus adſcribuntur, ſed etiam excretiones materiæ ſeroſæ ſalſæ oboriri ac derivari poſſunt, quæ quidem ubi tempeſtivè ceſſant, cum ſalute ægrorum quandoque fiunt, contrà ſi pertinacius durent, præprimis in tenellâ conſtitutione, peſſima ſymptomata inducunt, viamque ad phthiſin ſternunt: In Dominâ Ægrotâ ſputum ſalſum cum tuſſi, materiæ ejuſmodi ad dictas partes depoſitionem olim factam arguit, potuitque tractu temporis, ab erodente acri cruor unà extravaſare & miſceri, vel etiam ab impetuosâ tuſſi, idem excuti, veſiculisque labes funeſta induci, cruore cum admixtis particulis ſeroſis in pus ſenſim immutato, nunc magis nunc minus: indeque factum arbitramur, ut nunc ſputum ſanguinolentum, nunc purulentum albicans craſſum, cum ſpirandi difficultate tuſſi ejectum fuerit, teſta-

turque de ejuſmodi veſicularum à cruore ſeroſo impletione vel ſi mavis, compreſſione, quâ reſpirationi grave incommodum accerſitur, ſanguinis tenuis, floridi & ſpumantis, cui puris tantillum admixtum erat, excretio: Inprimis autem ſpumoſitas fontem ipſum oſtendit Teſte Hippocr. l. 5. aphor. Ὁκόσοι αἷμα ἀφρώδες ἀναπτύουσιν, τυπτόισιν ἐκ τῶν πλεύμονος· ἡ τοιαύτη ἀναγωγὴ γίγνεται: Menſtrua ſupreſſa huic malo anſam potuiſſe præbere, non imus inficias, idque non per nudam quandam regurgitationem, ſed quoniam mixtum à craſi ſuâ naturali adhuc magis deſciſcere fecerunt, quin imo ipſa menſtrui vectigalis ſubſiſtentia de coagulo quod in ejusmodi ſalium fluore, promptiſſimè generatur, teſtimonium perhibet, confirmantque hanc M. H. Ἀγάθειαν, varii affectus, quibus olim obnoxia fuit: enimverò probè recordamur ſymptomata hypochondriaca & nephritica, ipſam ſæpius perpeſſam eſſe, pluresque calculos excreviſſe, unde ſalium, acidi præprimis prædominium, non ineptè arguere poſſumus, à quibus deinceps lympham, ſerumq; ſanguinis inficientibus, iſtiuſmodi in veſiculis pneumonicis eroſiones contingere, aut in lobulis ductibusque coagula ſuccreſcere frequenter ſolent: Hæreditariam labem accuſare non poſſumus, quin autem gibboſitas, quâ ſimul affecta fuit, ad illam facilius inducendam, calculum ſuum contribuerit, impediendo promptum eumque neceſſarium thoracis motum, indeque aëris in pulmones expanſionem, apud nos extra aleam eſt. Quicquid ſit, affectu ejusque cauſis ita ſub incudem revocatis, Ægrotam perieulosè decumbere unà affirmamus, funeſtumque exitum jure metuimus: Satisfaciendum nihilominus eſt Ægrotæ precibus, atque affectui urgenti, iisque quæ tum quod coagulatum eſt reſolvunt, tum verò quod acre eſt, mitigant, demulcent, purulentum detergunt & expectorari faciunt, vaſa rupta conſolidant & conglutinant, ſicque etiam ipſi M. H. craſi reſtituendæ proſpiciunt certandum. Quo utiquè faciunt, vulneraria detergentia, blanda volatilia, balſamica aliaque amicam γλιχρότητα poſſidentia, &c. Equidem quæ medicamenta olim in uſum fuerint vocata ignoramus, nulli tamen dubitamus, quin indicationibus illa ſatisfecerint: jam lacte aſinino utuntur cujus uſum apud Ægrotam commendant, haud dubiè quòd triplicis ſubſtantiæ ratione indicantia exhaurire videatur, utpote detergendi, nutriendi & agglutinandi virtute præditum; juxta tamen in acidi dominio, facilimè coagulatur, variaque ſymptomata inducit, menſtruo ventriculi unà ſalſacido exiſtente: Noſti Vir. Excell. quantum contra hunc hoſtem laudetur Antihect. Poter. quod ſive ſub formâ pulv. ſive in pilul. cum extract. veron. concinnatum Ægrotæ ſingulis diebus exhiberi poſſet: Nec inutilis foret gelatina ex raſ. C. C. &c. vel ſuccus tuſſiag. veron. pulmonar. aliarumque plantarum expreſſus: alii valdopere decocta pectoralia commendant; ſyrupis ſaccharatis nullum

lum ferè locum concederemus, cum pectori usque amici non sint. Dubitamus etiam an balsamum sulphur. sive anis. sive terebinth. quem ceu specif. in pulmonum ulcere commendant Vir Celeberr. commodùm ferre possit: Decoct. ordinar. parari posset ex radic. chinæ fl. bellid. min. & scabios. si alvi fluxus accederet, Emulsio amygdalin. cum decoct. C. C. ust. parata proficua foret: Cœterum accuratè caveatur, ne quis in diæta error committatur.

Responsoriæ Excellentiss. D. D. WEPFERI.

Tardius respondeo, quoniam præter expectationem diutius nuper S. Blasii detinebar, Consilia antiphthisica perlegi: Quid sentiam candidè aperiam. Lectis non paucorum qui de phthisi scripserunt monumentis, neminem adhuc offendi, qui pulmonum dispositionem veram in phthisicis memorârit: sufficit ipsis ulcus nominâsse. D. Barbettus verò ulcus adesse negat in praxi, quod summopere miror, cùm sciam Virum doctissimum & veri studiosissimum, à cadaverum sectione non abhorruisse: Quotquot secui, quorum numerus certè non exiguus est, in omnibus ulcus inveni, qualia sint ulcera in Epist. & resolutionibus, quas suis Observationibus Exc. D. D. Verzascha inseruit, obiter descripsi: Et hactenus iteratò reperi pulmonum portiones indurari, quasdam suppurari, pure non solùm vesiculas & portionis suppuratæ cavernas, sed bronchia impleri, quibus accedit sputum spumeum, aliquando mera lympha spumea, nunc copiosior, nunc paucior: Lympha extillat, ut Excell. Domine probè observâsti, vel ex glandulis bronchialibus, vel ex capillamentis arteriarum pulmonicarum: nunquam vel rarissimè à capite per laryngem in pulmones defluit: Pus simile est illi, quod in ulceribus partium membranosarum, nervearum & tendinosarum exsudat & colligitur, ad cujus cumulationem singulis pulsibus nova materia adpellitur: Lymphæ affluxui ansam dant incendium partium vicinarum & tussis: sanguis permiscetur sputo nunc loturæ carnium similis per ἀμπύλησιν, spumeus verò rupto vel exeso vase sanguifero, & quidem ferè arteriâ capillari: si major referetur, plerunque brevi post de vitâ actum erit: Puris portiones quas venæ resorbent, febrim lentam accendunt & fovent: unde sulphureas partes sanguinis tunc magis pati existimo; licet in ulcere salinis potior culpa deferenda sit: Ulcera dysepulota aliaque, in primis circa articulos, quæ oculis contemplari possumus, quibusque proximè medicamenta adplicamus, difficilimè curantur, ut vel in pædarthrocace quotidie experimur: quanto difficilius erit pulmonum ulcera detergere, mundare & consolidare, in primis si hæmorrhagiæ accedant; Periculosissimè quoque gibbosæ ex hoc morbo decumbunt, nul-

lamque evaſiſſe recordor, quamvis aliquot cum Medicis peritis adſtiterim; pectoris enim vitioſa diſpoſitio pulmones in arctum compingit, & plerunque accedit empyema vel pectoris hydrops: Non tamen prognoſtica relinquenda eſt: In hac pulmonum diſpoſitione exiſtimo induratum & compactum pervium faciendum, pus abſorbendum & detergendum, febriliqúe incendio pertinaci, ſtudio reſiſtendum eſſe arbritror: Freitagius in Conſilio Antiphthiſico id omne perficere conatur Decoct. Guajac. compoſ. quâ in re Arcæum imitari videtur, de quo conſulere potes obſervat. Schenkii: Nec dubito hanc Methodum ſuccedere in quibusdam humidioribus & fortè phthiſicis ex mente Barbetti: Id auſim dicere non præſtantius remedium eſſe in tabidis à lue Venereâ, quamvis extremè extenuati eſſent, reſtitui quoſdam hujus beneficio, etiam poſt inunctiones Mercur: Animavit me ad illius uſum Nicolaus Maſſa de lue Vener. qui ab uſu hujus decocti' ſummè macilentos pingueſcere ſcribit: Aliàs uſus ſum his remediis 1. dedi ſucc. naſtut. numular. bellid. min. rec. expreſſor. cochlear. ij. vel iij. vel plura, cum pauxillo mell. roſar. aut ſyr. M. & V. vel contudi herbar. iſtar. Mij. vel iij. affudi juſc. carnium non ſaliti ʒjv. vel v. calidè, ſubitò percolavi, addito parum mellis. Horum ſuccorum uſu duo prope incurabiles, præter expectationem hoc anno convaluerunt. 2. Uſus ſum quoque Antihect. Pot. nunc cum conſervis nunc in form. pilul. cum ſuccis expreſſis: De illius uſu me per literas ad D. Sibelium datas Excell. D. Ludovici monuit, conjungendum eſſe cum humectantibus, & in ſummè tabidis tutum ſemper non eſſe: Itaque dedi hactenus dimidiâ horâ, ante ſuccorum uſum doſin, aut adjunxi decoct. pectoral. & traumatica: aut Gelat C. C. compoſ. cui tamen hauſtus juſcul. carn. fl. bellid. min. alterati ſuper ingerendus eſt 3. Omnibus noctu dedi diacodium: aut liquor. laud. op. imprægnatum. In ulceribus veſicæ & renum commodè utor pulver. ex rad. alth. bol. arm. or. tragac. gumm. arab. ſem. portulac. & ſacch. penid. Annon quoque hic commodè adhiberi poſſet? inprimis ſi ſputum cruentetur. In lactis uſu hoc memorabile obſervavi, ſi febris in tabidis intenſior ſit, cremorem detrahendum eſſe: Balſ. ſulph. ejusque lac reſpuo penitus, utrumque nocentiſſimum expertus ſum: Purgantia deteſtor, nec clyſteres magnifacio, quam enim damnoſa in pleuritide ſint, monet Sydenham de febrib. Victus ratio ſit ex optimi ſucci cibis & facilis coctionis: Vinum exulet, bibat decoct. C. C. hordei Chin. cum fl. bellid. m. pap. err. & ſcabioſ. niſi hæc ultima ingrati ſaporis ſint. Sed ſatis de his.

Script. Scaphuſ. d. 2. Sept. 1679.

Acceptis hiſce literis, ipſi ad Ægrotam, petentibus ita Amicis profecti fuimus, eamque in tali, quem hariolati ſumus ſtatu, reapſe deprehendi-

mus,

mus, simulque ex relatione ipsius audivimus, quoties abortierit, quòd ante triennium, cum doloribus capitis atrocissimis vexaretur, calculos per palatum, aliosque tussi è pulmonibus excreverit, item, quàm diversas Medicorum sententias & auxilia experta sit, purgantibns & vomitoriis exercita, cùm febriles insultus perpeti inciperet, mox ad acidulas Ripplisavienses ablegata, cùm utero concepisset, inde etiam redeuntibus horroris & caloris insultibus sanguinis iteratâ missione fatigata, usque dum ex subsistentibus mensibus, tempore solenni redeunte, hæmoptysin gravem incurrerit, phthisisque incipiens magis magisque radicata fuerit: Urinæ tenues erant & crudæ: corpus emaciatum, urgebat tussis cum sputo purulento: pulsus hecticorum similis: commendavimus medicamentorum usum, quamvis mali radicatio multam spem nobis denegârit.

Observ. XLV.

Pulmones calculosi cum duplici Liene, &c.

Maria Halter, puella 10. annor. illegitimo thoro nata, miseliam quoque educationem sensit: In orphanotrophium receptam, quùm primâ vice visitaremus conquesta fuit: de multâ glandularum in collo & maxillis protuberantiâ scrofulosâ: urgente juxta tussi frequenti exspuitione purulentâ, pulsu celeri & crebro, ac respiratione difficili, dum interim facies rubebat, & ægrotula mente sibi satis constabat: Utrique malo commodis remediis obviam ire tentavimus, licèt mali provectio, parum boni nos ominari jusserit: Exteriùs applicatum fuit Empl. diach. cum gumm. interiùs verò pulv. antiphtis. cum syr. per cochlear. sumendo. Verùm vicit sæva mors, misellæ vires, easque penitus destruxit, ægrotâ d. 7. Jun. 1681. noctu è vivis excedente. Cadaveris lustrationi d. inseq. sub vesperam vacavimus præsent. Vir. Nobilissim. & Clarissim. D. Johan. Martinio Haësbartio, Med. tum Licent. Clivens. D. M. König D. M. Speckero Basil. D. Jac. Hochreutinero Sangall. jam Med. Doct. & D. Andrea Köhlio Curiens. Med. Cult. Infimus Venter multum p. n. non exhibuit, quin faciem amicabilem eminus ostendendo, facilè nobis concesit vale: Nulla heic aquarum copia, nulla glandularum, vel in pancreate, vel in mesenterio notabilis scirrhositas:

sitas: *Ichor* pauxillus tantùm in cavo abdominis stabulabatur: *Epiploon* laudabiliter se habebat: Hepar quoque à graviori corruptelâ liberum fuit, nisi quòd in ejus superficie, hic, illic *arenulas concretas*, flavescentes animadvertimus: *Ductus* ex vesiculâ fellis, cujus cavum bilis oleaginosa opplevit, in intestinum abiens, circa initium sui, *appendicem* duriusculam, glandulæ similem ostendit. Ex *cavo vesiculæ* nullus aër, cùm inflaremus, versus intestinum perrexit, benè tamen ex ductu: *Ductus hepaticus* insignis erat, bile flavâ turgidus. In sinistro hypochondrio delituit *Lien* figurâ & colore & consistentiâ naturalis, sed duplex, ℥ enim aliquot ab hoc distabat alius, figurâ & magnitudine ovi columbini majoris, vasis pereleganter donatus, & quoad colorem & interiora *illi* similis: *Renes* naturaliter erant constituti, *succenturiati* verò oblongi, & modicè lati, cavitatem obtinebant insignem, in quam vasa ab emulgentibus terminabantur: aër in hos injectus, versus renes usque per arteriam emulgentem progrediebatur. Per intestinum *colon* glandulæ solitariæ protuberare videbantur. *Medium Ventrem* quum aperiremus, tantum ille laborem non peperit, uti aliorum, neque enim pulmones adhærebant arctiùs, aut gravius quodpiam aderat obstaculum: Ichoris tamen fœtidi copiâ scatebat, cujusmodi fero flavescente, *Pericardium* etiam refertum erat: *Glandula thymus* maxima, glandulas exhibuit induratas, calculosas & subatras, suis inclusas folliculis, & versus lobum pulmonum superiorem, lateris sinistri protensas, atque cum hoc connexas: *ipse* hic *lobus* calculos exhibuit plures, hinc inde in ejus substantiâ latitantes: lateris dextri lobus purulentus magis erat, unde & materia similis, illo leviter presso, per asperam arteriam ubertim effluxit. *Cordis auricula sinistra* exigua omnino apparuit, & quasi tota concidisset, *dextra* contrà duplò major, sanguine grumoso & *polypis* verè *membraneis* & fibrosis distenta fuit, quales etiam in ventriculo dextro observavimus: *Ventriculus* sinister itidem sanguinis grumos exhibuit: Aëre per *arteriam venosam* insufflato, potissimam ejus partem ventriculus recipiebat, neque *auricula* inflata tantam capacitatem ostendit, quantam dextra citra inflationem jam obtinuit. *Glandulæ* in collo, è suis folliculis exemptæ

ptæ & diſſectæ, pituitam tenuiſsimam, iis impactam oſtenderunt. Et his cadaver ſuo loculo reſtitutum fuit.

SCHOLIUM.

Calculos in compluribus corporis noſtri partibus generatos fuiſſe, uſque conſtat, nec opus eſt Authorum fidem heic prolixiùs adducere: nihilominus è viſceribus vulgò dictis ſunt, in quibus multi difficile omnino eſſe, ſi non impoſſibile arbitrantur, illos ſuccreſcere poſſe, inprimis in pulmonibus & aſperâ arteriâ: ita Clariſſ. Thom. Batholinus de *Pulmon.* nec in vaſis pulmonum, nec in bronchiis lapides concreſcere credit, cum morâ ad concretionem opus ſit, quam vaſa negant, bronchia non concedunt, eandem autem nec membranaceæ veſiculæ largiuntur, aëris ſecretioni uſque vacantes, & tamen in his calculoſam materiam ſubſtitiſſe imò ex his ejectam fuiſſe, hiſtoriæ quas modò recenſuimus, probatum dant: Clariſſ. quoque Johannes Schmidius Ann. IX. & X. Ephemerid German. Obſerv. 50. exemplum ſiſtit virginis venuſtæ, quæ dudum tuſſi ſiccâ vexata, adhibitis medicamentis congruis, tandem lapillos friabiles plurimos cineritii coloris excroverit per multum tempus, opinaturque tophos hosce in bronchiis pulmonum hæſiſſe, nec contradicimus, ſi pulmonum ſtructura incolumis uſque perſtitit, perſuaſumque habemus tali in caſu idem cum materiæ calculoſæ ad bronchia delatione contingere, quod cum purulentæ in pleuriticis, viz. ut illa fluida ſit perque poros tranſudare poſſit, in calculum demum, mora quam nectit, in bronchiis tranſiens, ſui tamen indicia irritando mox prodens, ut mirum omnino ſit, ſin heic ſubſiſtat, diutius hærere poſſe, cùm fibræ bronchiales ejus exterminationi ſtrenuè intentæ eſſe ſoleant: In præſenti ægrotâ, glandularum in collo & ſub maxillis durities, ecquid materiæ ſubſit, ilicò monſtravit, confirmavitque ſententiam hinc ἀυλοψίαν: id quoque experientiâ edocti ſumus, rariùs partes has pertinacibus ejuſmodi tumoribus affici, quos ſcrofulas dicunt, glandulis interiorum partiũ meſenterii, pancreatis, aliisvé incolumibus exiſtentibus, mirumq; omnino eſt, labe graviori partes hasce caruiſſe, quam tamen prorſus non eluſit, *Hepar* arenulis congeſtis ſuperficiariè ſcatens, *Pulmones* & *thymus* præcipuam à ſanguinis tartaro & viſciditate copioſis noxam acceperunt, expediendumque vel illud heic potiſsimùm eſt, quòd circa lobulorum uſum, ab eo, quo diatriben noſtram de ſtruct. Viſcer. conſcripſimus tempore, ruminando & experiundo aſſecuti ſuimus, patebitque inde adhuc magis calculorum, ſcirrhorum, aliorumque pulmonum affectuum, quos ibidem commemoravimus ortus: Pulmones aëris purioris ſecretorium organum eſſe, huncque ceu ſubtiliſſimis ve-

ſicularum pulmonalium oſculis maximè proportionatum per ipſos expandi, uſque probatum eſt. Ætheream hanc ſubſtantiam ſanguini miſceri debere, ob neceſſarios uſus, nemo ſanæ mentis inficiabitur: ubi autem miſcela iſta præcisè fiat, dictum nondum eſt, quamvis de halituum, quos lobuli recipere videntur, per poros aſperæ arteriæ tranſudatione, aliqua commemoraverimus: Attendentibus ſanè interſtitiis in ipſis conſpicuis, inflatis, veſiculas quoq; turgeſcere, quod facere recuſant lobuli, ubi aër per tracheam injicitur, veriſimile omnino eſt, harum ipſa expanſiones eſſe, quorum ope aer ſecretus advehatur, & (quia ibidem vaſa in rete elegantiſſimum efformata conſpiciuntur,) ſuo elatere minutiſſima vaſculorum oſcilla unà ingrediens, ſanguini arterioſo per venas confeſtim reſumendo miſceatur, humore lymphico per vaſcula propria, lobulos uſque comitantia, remeante: Atque hæc ubi fluidum naturaliter habet partiumque textura, conſtanter natura peragit: quamprimùm autem infringi reticularis vaſculorum complicatio, incongruè ab invicem dehiſcere oſcilla, vel etiam erodi aut rumpi, à ſtagnante lymphâ viſcidâ, aut particulis ſalinis, acidis, tarrareis, aliové ſanguinis impetu, lædi incipiunt, ilias malorum pectus occupat, de quibus in Diſſertat. diximus, cui nec *lien* duplex obicem ponere heic valuit, de cujus uſu multa ibidem probabiliter propoſuimus: ſanguis certè per viſcus hocce peculiariter circulatur, ſpirituque animali copiosè refectus & actuatus, per venarum propagines numeroſas verſus alias partes ducitur, cordis thalamos mox inde repetiturus: Ut verò affectus alios taceamus, qui *Lieni* affecto, malè utplurimùm tribuuntur, è quibus glandularum tumorem à ſanguine melancholico & fæculento, meritò allegamus, quid de iſtâ Lienis appendice judicandum ſit, arduum magis videtur eſſe inquiſitu, numque ejus primordia in ovo, è quo puella hæc prodiit jam adfuerint: enimverò orbicularis iſta, à liene qui figuram & magnitudinem naturalem obtinuit, prorſus diſtinctus fuit, ceu Exercit. L. ad Pythag. monuimus: Nos ut tantiſper ſententiam ſubjiciamus, ſiquidem parenchyma Lienis aliud non ſit, quam veſiculoſum corpus, ex arteriolarum venularumque, quas nervuli copioſiſſimè ſtipant, admiranda complicatione ac ulteriori earundem, venularum præcipuè expanſione natum, probabiliter lienem hunc alterum, ab eorundem vaſorum, quibus ipſe gaudere à nobis viſus eſt, ulteriore divaricatione ac ramificatione pullulâſſe cenſemus, ejusmodi autem vaſorum diviſio rara prorſus non eſt, ceu in arteriâ Renum emulgente ſæpè jam animadvertimus: Patet inſuper Curioſis Naturæ Ruſpatoribus, ubi ductuum vaſorumque principes rami ac primordia adfuerint, facilè ulteriùs expandi illos poſſe, nec propterea ad novorum formationem, aut vim plaſticam in adultis etiam ſuperſtitem, denuò recurrendum eſſe: ante-

quam

quam hinc abeamus, dicere aliquid neceſſe habemus ad theſ. XV. eruditi ſcrutinii λιτογενεσίας quod ſub Præſid. Excellentiſſ. Metzgeri ſuſtinuit D. Jo. Ulricus Schmidlin: *Facto*, inquit, *hoc calculorum ſeminio, quo calculus modo in variis corporis partibus naſcatur, quâ viâ in gallinæ cerebro collectus, quo item modo ad uterum delatus, unde in abſceſſibus ortus* (quorum iſtud deciſu difficile Cl. Harderus, illud impoſſibile Mercurialis &c. cenſent) *explicatu nobis facile eſt.* Equidem, ſi Exercitat. noſtras initiales perlegit, vidit haud dubiè, nos ad easdem vias, vel vaſa advehentia, easdemque particulas invicem cohærere & conglomerari præ aliis aptas confugiſſe, ex ſanæ rationis methodo, noviſſeque per arterias ſive carotidas, ſive vertebrales materiam ſabuloſam adferri poſſe, è quâ cerebri calculi prodire queant: iſtud verò arduum mirumque nobis viſum fuit, tranſiiſſe lapillum ſiliciformem, in oſculum meſeraici vaſis, & per arterias parvulas gallinæ ad cerebrum advectum fuiſſe; enimverò generatum inibi iſtum fuiſſe quod ille præcipuè adſtruit, etiamnum pernegamus, cùm ex illorum genere lapillus ſit, cujuſmodi devorare ipſæ ſolent, & in hoc Clariſſ. Pythagoram Exercit. ſeq. conſentientem habemus.

Observ. XLVI.

Pulmones putridi & ſcirrhoſi. Epiploi ſcirrhus.

Henricus Landenberger, annor. circiter 15. pueritiam duriorem, ob parentum paupertatem expertus, in orphanotrophium hinc admiſſus fuit. An. 1680. de difficultate ſpirandi, tuſſi crebrâ, & totius corporis emaciatione querelas movit: pulſus frequens. juſsi ut ſingulis manè & veſper. doſin ſumeret pulv. antiphthiſ. cujus baſin antihect. Poter. conſtituit. Die 28. Decembr. cùm malum inducias non daret, ſed frequenter purulenta excerneret, detergentibus pectoralibus, ſimulque reſolventibus bechicis certavimus. Aliquot ſeptimanis pòſt de qualicunque exæſtuatione febrili conqueſtus fuit, cui mixtur. ex aqu. plantag. ſcabioſ. papav. rh. corall. ſyr. fl. bellid. &c. proſpeximus. D. 3. Martii 1681. vomitu crebro afflictus eſt, quo ſingula, quæ cum appetitu priùs ingeſſerat, rurſum ejecit, ſuccedente multâ oris amaritudine, commendavimus hinc uſum elect. ex conſerv. roſ. r. fl. bellid. min. oc. cancr. præp. & ſyrup. corall. parat. quo ſymptoma moleſtum deinceps infractum fuit: Quatuordecim circiter diebus poſt, qui hujus affectus genius eſſe ſolet, ſubitâ virium

proſtratione infeſtatus fuit, tuſsi perſiſtente: nunc facies tota expalluit, nunc rubore ſuffuſa micuit: Æger quoque ultimis diebus dormitare cœpit, neque ad ea quæ offerebantur, aut interrogabantut, quidquam reſpondit, uſque dum viribus prorſus effractis anima derelictâ quam hactenus inhabitârat machinâ, ad Creatorem lætior profecta fuerit. Cadaver luſtravimus, præſentibus plurimis Viris Præſtantiſſ. & quidem contempto fœtoris inſultu, imum ventrem penitiùs examinavimus, qui mox epiploon corruptum, glandulisque miliaribus numerosè refertum, & parte ſuperiore, quâ colo nectitur, Ventriculi fundum conſcenſurum, ſcirrho inſigni longitud. ℥v. & craſsit. ℥j. dotatum comparuit. Hepar grandiuſculum, hypochondrio dextro firmiter adnectebatur, quæ tum in ſuperficie ejus exteriore, tum interiore hypochondrii facie innumeræ conſpiciebantur, cujusmodi alias in pulmonibus adnatis itidem notavimus: Pancreas, Meſenterium & Renes naturaliter ſatis habebant. Lien nigro ſanguine turguit. Ventriculus parum inflatus, bile copiosâ intus tinctus erat, quam ex naribus eructantem cadaver etiam exhibuit. Glandulæ ſtomachicæ in hoc conſpicuæ, & in duodeno valvulæ conniventes Kerkringii. Ex dextro inguine duplicatura peritonæi dilatata inteſtini portionem intro ſuſceperat, unde ultimis menſibus de inteſtinorum prolapſu miſer querelas movit. In thorace pulmones inferiùs coſtis & diaphragmati ſcirrhosè adnatos animadvertimus, adeò ut multâ omnino vi ad ipſorum ſeparationem opus fuerit. Pulmonis ſiniſtri lobus inferior ad attactum ſcirrhum exhibuit, qui cum thymo ſcirrhoſo, ſecundùm longitudinem, uti videbatur, cohæſit, ejus ſuperficies exterior, factâ inciſione, corpuſcula ſubatra & duriuſcula copioſiſsimè, inſtar glandularum gangrænatarum oſtendit, medietatem verò explebat materia ſebacea copioſa, & tantillum renitens: Lobus ſuperior corruptus magis erat & purulentus: Pulmonis dextri lobus inferior, parte ſui maximè inferiore, materiam ſimilem hinc inde coagmentatam, ac inſtar cartilaginis renitentem, friabilem nihilominus continuit. Pericardium ichore flavo plenum fuit. Glandula thymus liveſcens & maximè ſcirrhoſa. Venter ſupremus vaſa in cerebro elegantia ſed pal-

leſcentia

leſcentia oſtendit: exterius gelatina aliqua corticem ambiebat. Medullaris ſubſtantia ichore ſeroſo, qui ex ventriculis turgidis undiquaque emanavit, tantum non tota maduit: plexus choroideus albicabat corporis ſtriati veſtigia pauca.

Observ. XLVII.

Phthiſis & Cachexia ex Pulmonum & pancreatis ſcirrhoſitate.

Eſthera Bitterlin, puella 14. circiter annorum, durius in pueritia fatum pariter ſenſit: In orphanotrophium admiſſa, operæ ibi quotidianæ vacavit, & quod ejusmodi domeſticis familiare eſſe notavimus, plus ciborum, panis ſicci inprimis ingeſsit, quàm cui ob vitam ſedentariam, digerendo ſufficiebat, unde ſimilia ferè cum aliis incommoda experta eſt. D. enim 18. Martii An. 1680. de dolore circa præcordia diſtendente ac lancinante, nunc magis, nunc minus querelas movit, comparente circa ventriculi regionem qualicunque tumore renitente; appetitus tamen conſtitit: Facies erat cachectica & corpus macilentum. Urinæ ſubpallidæ, crudæ de glandularum obſtructionibus, ipsâque M. H. viſciditate & cruditate &c. luculentè teſtabantur, quin imò ſæpiùs prædiximus ſcirrhum pancreatis latitare. Medicamentis nihilominus, incidentibus attenuantibus, aromaticis blandis, volatilibus, &c. ſtrenuè pugnavimus, neque ut videbatur, citra omnem ſucceſſum: Aliquando etiam pill. noſtras Mercuriales ex Merc. dulci opt. lot. fl. ſal. armon. gumm. amm. & par. in uſum vocavimus, quarum efficaciam in ſolvendâ pituitâ viſcidâ alias promptam comperimus: Concitârunt iſtæ aliquoties vomitum, pituitæ tenacis & viſcidæ citra incommodum. Venter quoque detumuit, atque omnia in melius ire videbantur. Aſt fefellit ſpem eventus, ſuccedente poſt tuſsi ſiccâ, pulſu celeri, macie totius corporis & ſub finem exſpuitione materiæ purulentæ, doctâque plus valuit arte malum, ægrota d. 19. Maji Ann. ſequ. vitam cum morte commutante.

Ex abdomine Miſellæ, quod præſentib. Nobiliſſ. aliquot Medic. Licentiat. & Philiatris cultro aperuimus, ichor modicus

profluxit: Epiploon parte quâ cum ventriculo arctiſsimè conjungitur,& cum inteſtino colo, gelatinâ prorſus farctum erat, atque corruptum: Renes aliquantum flaccidi, è quorum cavitate, ureteres ⅔ unius latitudine, aduſque medietatem ſui egrediebantur. Inteſtina & ventriculus parùm inflata, glanduloſas cohortes intùs monſtrârunt. Meſenterium verò gelatinam cum glandulis ſubatris & induratis exhibuit. Pancreas ſcirrhoſum erat, unâque glandularum ejus ſectâ materia purulenta prodiit: ſcirrhum parte quâ hepar arctiùs contingit, pugni majoris magnitudine oſtendit, ſub quo vaſa ſanguifera decurrebant. Medius venter Pulmones ex ſiniſtrâ parte validè adnatos, & quoad lobum ſuperiorem valdè induratos, ex parte verò dextrâ purulentos & materiâ caſeosâ plenos exhibuit. Glandula thymus itidem ſcirrhoſa. Pericardium ichore ſubflavo plenum, cor flaccidum & ferè exangue.

SCHOLIUM.

Conjungimus utramque harum hiſtoriarum, propter materiæ affinitatem & parile fatum, quod uterque ægrotus expertus eſt, phthiſi enim perierunt, dubiumque eſt, an poſt pancreas affectum, demum pulmonibus labes fuerit illata. Utrobique ſanè paupertas & maleſuada fames, anſa fuerunt, quòminus tum chylificationis organa, tum ſanguis ipſe, partesque hujus depurationi, lymphæque ſecretioni deſtinatæ, officio ſuo probè fungi potuerint, enimverò ex ingeſtis ſive nimiis, ſive difficilis ſubactionis cibis, ſucco viſcido & lento prægnantibus, non potuit tenerior ventriculi & inteſtinorum textura non gravari, fermentum debilius enervari, & chylus craſſior ac crudior prodire, cujus particulæ ſive aggeſtæ temporis tractu, glandulas meſenterii infercierunt, ſive M.H. commixtæ, ſanguini lymphæque ſimilibus natales præbuerunt, quæ deinceps glandularum, membranarumque poris ſubtilioribus, aliis etiam in locis improportionata, hæſit, ipſosque diducendo, & texturam illarum deſtruendo, factâ ulteriore ſui coagmentatione, ſcirrhos in pancreate, epiploo, thymo & glandulas induratas, effuſaque ex ductibus pulmonalibus, deſtructis veſicuiarum areis, heic quidem ſteatomata ſcirrhoſa, illic verò parte tenuiore cum cruore ſuppurante, pulmonibus eroſionem & purulentiam induxit, èque membranarum hepatis, pleuræ, pulmonum poroſis interſtitiis ſtillans & collecta, haſce vel confinibus partibus adnaſci vel gelatinâ quadam obduci fecit, uti quidem ibi hepar pulmones & cerebri cortex, heic verò meſenterium gelatino-

latinoſum ſatis probant, cerebro ipſo, in illo ab omni labe non immuni, quin ſanguinis ſero tenui ita exundante, de quo palleſcentia vaſa & albicans choroideus plexus, indeque ventriculi pleni teſtimonium perhibent, medulla ejus tota maderet, corporisque ſtriati veſtigiis tantùm non abolitis, illa glandulis ac præcipuè fibræductibus induceretur labes, unde ſpirituum ſecretione & expanſione impeditâ ſopori graviori via parata fuit. Sunt verò adhuc alia in priore caſu, quæ ordine ruminare operæ pretium faciemus, ex quibus primum conſtituat *effervescentia febrilis*, phthiſicis non infrequens, particulis purulentis acribus & corroſivis, cruori refluo permixtis, ejusmodi exacerbationem inferentibus, ſive jam acidæ cum alterius indolis particulis efferveſcant, ſive perverten-do ſuccum nerveum, aut accreſcendo ſpiritui animali aliquâ ſui portione, quod non uſque ἄπνοον, aut aliter fibrillas nerveas ſtimulando, iſtum concitent, & vomitus quem, niſi ab irritante acri in ventriculo aggeſto, unde ſtrictis unà & ſuccuſſis ductus hepatici fibrillis & veſicula fellis, humor biliarius inteſtinum duodenum & hinc ventriculum alluit, deducere velimus, non ineptè inteſtini ilei prolapſui attribuere poterimus, utpote cum hernioſi frequenter vomant, idque potiſſimùm heic notavimus, cujus etiam Excellentiſſ. Wepferus meminit in Cicut. aquat. malè à qnibusdam aſſeri in herniâ inteſtinali exteriorem tunicam peritonæi rumpi & interiorem dilatari, cum nonniſi dilatatam utramque heic ipſocum obſervaverimus: Tertium ſunt glandulæ adſcititiæ & hepatis pulmonumque adnatio, de quibus ſuprà jam aliquid diximus: Optimè certè fecit Nobiliſſ. Pejerus in Enteradenograph. quando glandulas externas abdominis,) cujusmodi inteſtinorum tunicas occupâſſe, in puero cujus hiſtoriam cap: 7. Prodr. phyſiol. exhibemus aliisque notavimus, ab internis diſtinguit, & cùm in Merycolog. ſuâ p. 91. & 119. etiam membranas humorem exudare ſcribit, utpote vaſa lymphica in ruminantium ventriculis, conſpicua, aliunde deduci non poſſe edoctus, ceu etiam alibi monuimus: Natales ſanè & ſtructuram membranarum perpendenti cùm ferè aliud non eſſe videantur, quàm vaſculorum minutiſſimorum expanſio & compigmentum, abſurdum non videbitur, ſi in hiſce certos poros & meatus concipiamus, ope quorum humor idoneus per exiguos & vix ſenſibiles arteriolarum ductus advectus exudat ac ſtillat, quove deinceps vel madent & rigantur ipſæ, neceſſarios ob uſus, vel qui, ſi copioſior fuerit, aliisque commodis deſtinatus ſit, per vaſcula lymphica revehitur, cruoris parte ſenſibili, per conſpicua capillarium venularum oſcula remeante: opus certè mirandum, & quod inficiari poteſt nemo, nî madere membranas has viciſſim perneget, contra omnem ἀνλοψίαν: Requiſivit iſtud, communis utilitas, ne areſcerent, aliisque confinibus partibus facilè adhæreſcerent, id quod in ſtatu morboſo contingere

contingere, præſentes hiſtoriæ aliorumque Authorum obſervationes comprobant, enimverò à viſcidiore ſero relicto, diducuntur quaſi pororum interſtitia, ſive mavis inſtar papillarum elevantur, adnaſcunturque (tranſudante vel remeante parte aquoſiore) confini ſubſtantiæ adeò tenaciter, ut ſeparari inde non poſſint: atque ita produnt corpuſcula miliaria, quas glandulas adventitias, fortè ἀκύρως nominavimus, & pleuræ, peritonæi, hepatis, & pulmonum adnaſcentia, àque ſucco gelatinæ ſimili partes iſtæ prorſus obducuntur. Quartum idque præcipuum, quod heic attentionem meretur, ſunt pulmonum ſcirrhus & glandulæ nigræ induratæ cum ſcirrho epiploi: Equidem illum quod concernit, ejus ortum tum ſuprà tum in antecedentibus jam adumbravimus, poſſuntque ejus primitiæ patere, cuivis pulmonum fabricam rimanti, & Phthiſicorum cadavera luſtranti: Illud autem hinc manifeſtum evadit, circa phthiſeos initia curanda occupato, ſæpiùs non tam ad ulcus, quàm coagulum, ſive viſcidum coagmentari incipiens attendendum, indeque volatilibus, incidentibus ac reſolventibus certandum æquè eſſe, atque mundificantibus vel detergentibus: corpuſculorum duriuſculorum ortum modumque parilem credimus cum prioribus: viz. ab hærente in extremitate vaſculorum tenaci materia, illa pullulâſſe, neque hinc confirmari arbitramur ſententiam nonneminis, qui præter veſiculoſam & lobuloſam ſtructuram, cujus ratione pulmones glandulam optimè dici, alibi diſertè aſſeruimus, glandulis aliis ipſos inſuper conſtare putat, quod in cadavere quopiam, ſimiles fortè hiſce, in Italiâ cùm degeret, animadvertit: enimverò ita pulmonis ſtructura à Clariſſ. Anatomicis ſub cultrum vocata fuit, ut partes dictæ & detectæ ſint, quæ cujusque fluidi ſecretioni præſunt. Epiploi ſcirrhus forſan rarior eſt, ſui tamen initia pariter ut pulmonum nactus: Excell. Bonettus in illuſtri ſuo ſepulchreto Tumoris ſcirrhoſi in omento p. 201. & p. 812. & Laz. River. cent. 2. obſerv. meminerunt qui proinde hac de re videri poterunt: Aliàs ſubtilis omnino texturæ Epiploon eſt & tenuiſſima membrana, quæ à ſero acri (quale in hydropicorum abdomine ſtagnare ſolet) facilè eroditur & abſumitur: annotare nihilominus in eo eſt artificioſam vaſculorum minutiſsimorum expanſionem, quouſque viſus acies pertingere poteſt, cujusmodi in omentis fœtuum vitulinorum frequenter Philiatris oſtendimus unà cum ductibus adipoſis, quos ſagaciſſimo Naturæ Ruſpatori Malpighio debemus, ei uſui præcisè deſtinatos, ut particulæ pingues & ramoſæ in illos ſecernerentur, illudque reapſe deprehendimus ex membranâ, in ſacculos membraneos plures excavatâ illud conflari, qui ſacculi ita vaſa ſanguifera quæ reticulariter expanduntur, amplectuntur, ut horum propagines uſque inveſtiant: adjicit Clariſſ. *Malpighius eâ tamen lege ut à totâ ſtiriâ ſeu ſacculo minimi lobuli diverſæ figuræ pinguedine referti, propriis vaſis irrigati,*

irrigati, propriâq; membranâ obvallati, contineantur & inveſtiantur: atque in membranulis hisce complicatis, materiam ex vaſculorum ſanguiferorum reticulari plexu, oleoſam ſecerni & ulteriùs recondi nobis quidem veriſimile videtur: læſa hinc utriculorum membraneorum ſtructurâ, à materiâ heterogeneâ tenaci, viſcidâ, diſtendente vel rumpente, ſcirrhus, tumorque ſteatomatoſus, ab eâdem aggeſtâ facilè ſuccreſcunt: arbitramurque in ſtatu tali, pinguedinis globulos quaſi evelli, foveamque relinquere, in quâ particulæ dictæ cumulari & ſtagnare queant, fluidioribus & tenuioribus, vel remeantibus vel evaneſcentibus: Obſervavit ſanè laudatiſſ. Malpighius, globulos pinguedinoſos vaſorum lateribus adnecti, ſicuti uvæ grana racemis appenduntur: Aliàs de pinguedinis circa baſin cordis, renes item aliasque partes conſpicuæ natalibus jam dudum ſolliciti fuimus, dabiturque occaſio de his alibi diſſerendi: Jungimus hisce ob materiæ affinitatem obſervationes binas Puelli & Virginis phthiſicorum, ab Excellentiſſ. Sponio Patre nobis communicatas, Scholiolisque illuſtratas, ne pereant, quæ in manibus noſtris verſantur, luce digniſſimæ.

Observ. XLVIII.

Puelli Tabe conſumpti Anatome.

Matthæus Marion, puellus tertium ſupra decimum ætatis annum agens, noſter ex ſuperſtitum ſororum alterâ Nepos, longâ confectus ægritudine, eâque non ſatis intellectâ, tandem extenuatiſsimus placidè animam ſuo reddidit Creatori, ſummo manè diei XIII. Martii, XLV. ſcl. minutis poſt mediam noctis) Anni 1644. Horâ verò decimâ antemerid. ejusdem diei, Parentum rogatu, cadaver perſectum fuit à Jo. Antonio Guerin Chirurgo peritiſſ. præſente me & domeſticorum plerisque: ubi φαινόμενα ſequentia oculatâ fide uſurpare licuit. Omnes in ventre interiori contentæ partes, putà hepar, lien, pancreas, inteſtinatam craſſa quàm tenuia, ventriculus unà cum ſuprajectis epigaſtrii lacertis, peritonæo, ipſoque etiam diaphragmate: Omnes iſtæ (inquam) partes, ita invicem connatæ ac conglutinatæ erant ut diſcerpi quidem, nullâ autem arte integra ſeparari poſſent, ſive novaculæ acie, ſive unguibus res tentaretur. Hepar grandiſsimum, occupans utrumque hypochondrium, exangue, durum ac ſcirrhoſum totum, ſed præſertim ſimâ ſui regione pen-

debat autem libras civiles Lugdunenſes 4. cum dimidiâ. Lien putrilagine fœtorem intolerabilem conjunctum habente penè abſumtus, ſicut & Epiploon. Ventriculus parvus, ac tenuiſsimis parietibus præditus. Colon inteſtinum valde diſtentum. Meſenterium ac inteſtina omnia multis glandulis paſsim ἐπιπεφυκήαις aſperſa, exiguorum ſteatomatum inſtar habentibus. Siniſter pulmonis lobus integellus, niſi quòd τὸ φρένωμα, quâ jugulum reſpicit pulmo, lividis quibusdam maculis, iisque latioribus depingebatur. Dexter lobus purredine ſemiraſus apparebat. Reſiduum tamen ipſius, coſtis ſui lateris pertinaciſsimè cohærebat, ut divelli circa laceration em minimè potuerit. Exſtabant autem & ſteatomata in ipſo non pauca. In dextrâ porrò thoracis cavitate, ſeri cruenti unciæ aliquot fluitabant. Cor flaccidum, ſed aliàs ſanum. Caput tum idoneæ ſerræ defectu, tum feſtinandi etiam ſtudio, quòd teterrimum odorem cadaver eructaret, intactum reliquimus.

SCHOLIUM.

Puer hic naturâ ſubtriſtis vixit, ἀπανθρωπος, decolor. Per languoris exordia, hoc eſt, per annum circiter ante obitum, conqueri cepit de dolore gravativo circa hypochondrium ſiniſtrum, nec non de quâdam anhelitûs difficultate inter exercitia non ita memorabilia facilè ſuboriente. Conjectatum Lienis infarctus præſtò eſſe. Purgatus eſt pluriès diluto fol. ſenæ, carthami, tamarind. fumar. ceterac. ſed ſine fructu. Poſtmodùm in hydrocelen prolis utriusque incidit, quæ cùm celebratis catholicis præſidiis, admotisque topicis non cederet, ad operationem chirurgicam deventum fuit, initio quidem ad paracentheſin per ſcalpellum pòſt ad ſetonem, tandem ad eſcharoticum potentiale: quibus modis eductum quidem fuit ſeri citrini benè multum, ſed tumor paucis pòſt diebus ſemper repullulavit. Quo factum, ut deinceps abſtinendum putaverimus ab iteratis apertionibus, purgandumque hydragogis ac alterantibus alternatim uſurpandis: quâ gratiâ uſus eſt pulviſculo ex mechoac. ſenâ, cremore tartari, cinam. aniſo, nec non vino abſinth. Quibus omnibus nil juvantibus, ſenſim ad ſummam maciem pervenit, ubi cùm febre carere animadverteretur, ad uſum lactis accedere juſſus eſt. Poſtremò diarrhœâ correptus eſt, quâ fœtidiſſima egerebantur diebus ac noctibus aliquot, quod fatale judicavi, juxta aphor. 5. ſect. 8. Pridie ſupremæ diei etiam rubra alvo reddidit, inſtar ſanguinis nigrefacti, injuſſu quidem, verùm non ſine ſenſu, tuncque prædixi mortem poſtero die immi-

imminere, juxta divini ſenis oraculum, aph. 23. ſ. 4. Toto morbi decurſu appetitus conſtitit, nec non ſenſuum omnium ac judicii integritas. Vino, eoque generoſo inclinante vitâ apprimè delectabatur. Nunquam tuſsi vexatus fuit. Nunquam puris aut ſanguinis ſputum paſſus eſt. Vocem diſtinctam ac claram ad ultimum uſque ſpiritum retinuit. Faciei characterem exquiſitè Hippocraticum in ultimis habuit. Quod ſupereſt, gratulemur optimo puero, cujus melior pars Sacroſancti Numinis Providentiâ, ex iſtâ omnis generis ærumnarum valle in ſinum Abrahæ traducta eſt, ubi felicitatis ſunt omnia: quò nos quoque ſuo tempore recipere dignetur Pientiſſimus ille Pater cœleſtis, cujus Nomini laus, honos ac gloria in ſæcula ſæculorum.

Observ. XLIX.

Hiſtoria anatomica de Virgine phthiſicâ.

Anno Salutis 1681. die 10. menſis Septembris, horâ ſeſquidecima, animam placidè efflavit Lugduni, Virgo ornatiſsima ac pientiſsima Suſanna Naulot, unde viginti annos nata, poſt exantlatam octimeſtrem ægrimoniam: quæ acceperat à deſtillatione ferinâ in pectus delabente, cui mox ſucceſsit præter moleſtam admodum tuſsim, modò humidam: modò ſiccam febris initio ſymptomaticæ ἐπιπολαίας æmula, quam ὀρθοςάδην perferebat, tandem verò duplex tertiana adſidua tribus primis aut quatuor horis anadiploſeos φερικώδης totidem verò poſtremis fervens ac æſtuoſa toto morbi decurſu τοῖς καλαμηνίοις ἀρίθμως defecta victitavit: nihilominus ſenſibus tam internis quàm externis uſque quaque illæſis ad mortem uſque perſtitit, appetitus non viguit, ſputa ſanguinolenta aut purulenta nunquam exploſit. Reſpiratio nonniſi ultimis demum vitæ temporibus difficilis evaſit. Curatura variis à Medicis non incelebribus tentata fuit: unde tamen opis quàm minimum affectus percepit. Poſtridie lucis fatalis utpote die Iovis 11. Septembr. horâ ſeſquioctava matut. defunctæ juvenculæ cadaver adapertum fuit à Chirurgo noſtrate Iohanne Andrien, epitheto la Riviere: cui ſectioni interfuere Carolus Sponius, Claudius Feret nec non Iacobus Sponius Caroli filius, Collegii Lugd. Doctores Medici aggregati: quâ in proſectione ſequentia oculatâ fide deprehen-

sa fuere. Habitus corporis universus omni pinguedine destitutus. Pes uterque œdematosus. Integumentis abdominis reseratis, ac utrinque expansis visui statim sese objecit Hepar tantæ molis, ut utrumque hypochondrium facilè occuparit; erat autem illud colore pallidum ac exangue, nullatenus tamen διεφθαρμένον neque ullo scirrho obsessum. Vesica bilaria parva admodum pro tanta hepatis mole intra quam bilis haud multum fluitabat. Lien satis benè constitutus, sed per mediam sui latitudinem, sulco quodam instar striæ vel plicæ præditus, ab uno lumbo ad oppositum transversim exporrecto: supra quem sulcum membrana quædam accreverat, tubuli instar efformans. An quod viscud istud à jecinore vicino nimis amplo coangustatum, hanc in figuram se complicare necessario habuerit? Pancreas totum scirrhosum erat, ac velut granulis aut gigartis confixum ac gravidum. Epiploon omni adipe orbatum, utpote colliquefactum. Tota pelvis compagis ossis ilium aquis repleta, ab epiploo (ut credibile) profectis. Ventriculus probè constitutus apparebat, sicut & intestina, ren uterque, vesica urinaria, uterus; quibus omnibus in partibus nihil desiderari potuit. A ventre inferiore ad Thoracem progressu facto, pulmonum parenchyma omnium maximè de labe insignita nobis suspectum aggressi sumus, & certè flaccidum istud totum ac decolor exteriùs visebatur. Penitiùs autem utrumque prædicti visceris lobum majusculo abscessu affectum, & quidem juxta pulmonum caput, qua ad axillam appropinquat cavitate inibi efformata, ovi gallinacei maximi capace, unde pus affatim emanare observabatur, lobus verò sinister, quanquam laudabilior dextro, non tamen omni ex parte à tabe purisvé illuvione immunis notabatur, quâ parte cum collaterali altero cohærebat. Cor amplum quidem sed laxum atque flaccidum: cujus dexter ventriculus grumis cruoris aterrimis totus refertus erat, sinister autem penè vacuus. Caput proscindere non fuit animus, tum quòd istud laboris citra necessitatem susceptum iri judicaremus, tum quòd plus otii res exposceret, quàm quod tunc nobis ob incumbentia practica munia suppetebat.

SCHO-

SCHOLIUM.

Virgo, qua de mentio hic habetur, antequam in morbum incideret, præter alia in victus lege commissa delicta tum consternationis, tum mœroris sensu non mediocri perculsa fuerat, ob sororis natu majoris recentem ex tabe interitum: & quia Scabiei, quæ ipsam invaserat, molestia quam primum liberari, in votis habebat, psorico nescio quo corpus inunxerat. Quocirca dubium esse potest, an ab animi pathematis, an verò à topico illo, quòd materiem scabiei intrò repulerit, Vomica pulmonis suborta fuerit? Sanè refert Christoph. Bonnettus in Vestibulo Theatri Tabidorum, Exercit. 13. cuidam impetiginis materiam topicis repressam, atque ad intestina repulsam, primum colicos cruciatus, paulò verò pòst phthisin quoque homini intulisse. Quidquid sit, genuinam mortis causam in laudata ægrotante diaphtoræ ac vomicæ in pulmonibus conceptæ potissimum imputandam censuerim, sive quòd sanies ex vomicæ spelæo extillans magnam systematis pulmonum partem irroravit ac labefecerit; sive quod ex hoc ipso vomicæ loco, tanquam à barathro charonio, pervivalis aura toto genere vitæ inimica, per venæ pulmonaris propagines canalesque minutissimos, in lævum cordis thalamum irruperit. Cæterùm insolentem hepatis magnitudinem hac in puella observatam, non exiguam quoque Symbolam in ipsius perniciem contulisse, credibile est: quandoquidem non tantùm partes abdomine contentas immodicè comprimebat ac conculcabat, hujus visceris vastitas, sed & diaphragma subjectum, ut & pectorales reliquas particulas sursum protundebat: ita ut spatiis debitis exclusæ vim hac ratione minimè parvam patientes propriis suis muneribus propterea minùs libere fungi potuerint: adeò ut ipsis non immeritò usu venisse dici possit, ac iis quibus lien efflorescit, ac exuberat pro cujus incremento reliqua corporis membra ἀτροφεῖν καὶ φθίνειν decrescere ac extenuari affirmat, Hipp. libro de locis in hom. his verbis: ὅπου ὁ σπλὴν θάλλει, τὸ σῶμα φθίνει. Quam rem vulgò comparare solent fisci publici sorti, quò nimirum opimiore facto, accidi ac macrescere quodam modo amant privatorum quorumque fortunæ, sicut inter alios complures movet ex professo vetus noster Amicus Caspar Hofmannus in suo de liene opusculo. Quanquam diversa longè ratione vacuam esse magnitudinem Hepatis quam sit lienis inficiari nolim, eapropter sæpè mirari subiit tot Practicarum Medicarum conditores quòd importunæ hujus ac præter naturalis heparis μεγαλοσπλαγχνίας inter affectus medelæ indigos nullibi meminerint, cum tamen ipsi tam præsenti quàm imminenti non abs re obviam ire debeat Medicus ὁ χαρίεις quemadmodum agricolas de nimia sive ramorum, sive flagellorum,

sive florum luxurie reprimenda sollicitos esse constat. Quâ verò arte hoc ipsum moliri queat solers artifex, discussione non est indignum. Quam in rem etiam si multa in medium proferre liceret, omnium tamen maximè heic commendandam puto τ τροφῆς ἀκρείην Hippocr. dictam in Epidem. hoc est cibi parcimoniam & detractionem: quàm idem etiam λιμὸν tamen in aphorismis vocavit, puta aphor. 59 Sect. 7. qui sic habet: τοῖσι σώμασι τοῖσιν ὑγροῖς πάνυ σάρκας ἔχουσι δεῖ λιμὸν ἐμποιέειν λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα. Quem in aphorismum commentans Theophilus Protospatharius quem M. S. ex interpretatione Claudii Mitalerii Viennensis ita loquitur: Carnes humidas vocat Hippocrates multò sanguine madentes his ergò famem adhibere convenit; hæc enim desiccat, & ita contrariam dispositionem inducit, contrariorum aurem contraria prorsus sunt remedia, hactenus ille. Enim verò sicut in lucernis nisi reaffundatur oleum resiccabitur ellichnium, sic in nobis si nihil assumet corpus exsiccabitur inquit Holler. comment. in aphor. Fames enim (addit Liebautius in Scholio) multò tutiùs ac securiùs corpora carnes humidas habentia siccare solet, quam quodvis aliud auxilii genus siccandi vim habens, qualia sunt exercitia, medicamenta purgantia, venæ sectio, laconica, vigiliæ, medicamenta exsiccantia, &c.

Observ. L.

Phthisis & pericardii hydrops.

Vir viginti & quot excurrit annorum, febri correptus, in nosocomium delatus fuit, viribus magnâ ex parte jam prostratis, & corpore extenuato: pulsum parvum & frequentem tussicula comitabatur: Hypochondrium dextrum mox tensum, nunc molle tangentibus se offerebat: sanguinem dehinc sputo commixtum tussi reddidit, & respirare difficulter cepit: Malo persistente febris hectica augmentum sumsit, unde corpus adeò emaciatum fuit, ut sceleton solâ cute velatum optimè retulerit; obiit hinc d. 7. Aug. Ao. 1673. cultroque Anatomico cessit Excellentiss. Glaseri p. m. nobis aliiscum φιλιάτροις præsentibus.

Ex abdominis cavitate serum idoneum profluxit: In hypochondriis hepar & lienem accuratè lustravimus, rati fore, ut ex alterutrius scirrhosâ duritie *illius* fontem erueremus: ast *illud* laudabiliter habebat, hic verò hinc inde saltem, superficiarias quasdam obstructiones, easque caseosas ostendit, id magis animadver-

madverſione dignum, quòd inſolitâ diviſione, in quinque lobulos lien fuerit diviſus: Cœterà hujus ventris legitimè erant conſtituta, omento excepto, quod ſummè erat extenuatum.

Pectus recluſum omnem calamitatis originem prodidit, enimverò pulmones anteriùs parvos, poſterius verò & toto reliquo ambitu, pericardio, pleuræ, diaphragmati, validiſsimè adhærentes, vix ac ne vix quidem integros divellere licuit: Erant hi vomicis purulentis hinc inde pleni: Membrana pleura digiti minoris craſsitiem acquiſiverat: Pericardium ichore copioſo vireſcente diſtentum fuit. Superavit quantitas, menſuram dimidiam noſtratem: cordis ambitum cruſta quædam candicans, levi ſcalptione ſeparabilis obtexit, thalami verò dextri cavum polypus occupavit. Atque his ſectioni finis factus fuit.

Observat. LI.

Phthiſis & pectoris hydrops.

Anno præfato ſectio inſtituta fuit cadaveris fœminæ cujuſpiam lectiſsimæ octodecim annorum, quæ cùm per ſeptem menſes, tuſsi vehementiſsimâ, à fluxione, ut judicârunt, jugi in pectus unà cum febri aſsiduâ lentâ, conflictata eſſet, tandem fatis ceſſit: In ſectione ſequentia oculis notavimus:

Iecur molis perquàm amplæ, coloris cineritii, nullum ſanguinem ferro vulneratum ſtillabat: Lien quoque tum decolor, tum exanguis. Ventriculus admodum exiguus, Renes inculpati. Uteri fundum vix juglandis magnitudinem æquans, cujus ſubſtantia ſubdura erat & quodammodo cartilaginoſa. Veſicula bilaria penè vacua. Pulmo dexter undique coſtis pertinaciſsimè adhærens ac connatus, ſiniſter verò paulò minus, totus abſumptus erat, cavitas autem tota lateris ſiniſtri, humore ſubviridi, inſtar ſtagnantium longâque morâ vitiatarum aquarum referta viſebatur, ad menſuram circiter jß. In cujus humoris imâ parte, ſubſidentia craſſa ac ſubalbida, verum ſcilicet pus aderat: Quod verò de pulmone ſiniſtro ſupererat exile κολίβωμα, fœtidis ulceribus variè conſperſum fuit. Cor flaccidum, ſanguis in venis nullus.

SCHO-

SCHOLIUM.

Pandunt præsentes Historiæ seri virideſcentis corroſivam ferè acrimoniam, pulmonibus valdoperè infeſtam quorum vaſa & veſiculas erodendo, ulcera & vomicas funeſtas, imò ruptis fortè lymphæductibus ſiniſtri lateris, pectoris aſcitem in fœminâ juvene admodum produxit, ni per ipſum pulmonis lobum transſudâſſe ac erupiſſe ichorem acerrimum dicere velimus, à quo deſtructa ejus compages ipſeq; abſumtus atque exeſus fuit: Qui verò & unde ſerum tale pullulaverint, nobis proclive jam non eſt dicere, utpote de utriusque victus ratione admodum non certi: in feminâ ferina tuſſis uti ſerum muriaticum oſtendit, ita viciſſim ſuccutiendo pulmones eorumq; vaſa, ruptioni & ſic labi funeſtæ anſam dare potuit: In Viro præcedens febris itidem in ſcenam trahi poteſt, ſauguinis verò ſeroſam δυσκρασίαν, unde præcisè deducere velimus, non uſque liquet, ſuſpicari interim cauſas varias, hinc aliàs originem præbentes, neminem prohibebimus: aliàs noxa, quæ leviſſima videri poſſit, pulmonibus quandoque illata, ejusmodi malorum lærnam parit, enimverò partis hujus legitimâ functione, corpus noſtrum ægerrimè carere poteſt, utpote quâ ſanguinis motus ſuſcitatur, particulæ torpidiores actuantur, verbo vita noſtra perpetuari ſolet. Pericardii copioſus ichor ex hoc ipſo ortum ſuum ſumſit, ceu alibi monuimus, docetque iſtud Clariſſ. Pejerus, cùm in merycolog. tum parerg. ſuis, in quibus viciſsim, occaſione Adoleſcentis aſcitici, eleganter pariter ac eruditè docet in hydrope ſæpenumero pulmones & cor, ſalvo hepate ac liene, primario atque unicé laborare: Hepar certè & lien, exanguia licet fuerint, etiam vaſis ſanguine uſque orbatis, labem tamen aliam texturæ ſuæ ratione non oſtenderunt in Domicellâ: In Viro autem lien quinque lobularis obſtructiones quidem caſeoſas ſuperficiarias oſtendit: inde nihilominus concludi nequit, primarium hunc malorum fontem extitiſſe: Id magis mirum, ab ichore, cui innatabat, corruptiſſimo cor eroſum non fuiſſe, cujusmodi contigit in adoleſcente alio, eodem anno à beato Glaſero noſtro diſſecto; hujus pericardium craſſum admodum fuit, aquâq; loturæ carnium ſimili refertum, innatantibus iſti plurimis cordis fruſtulis quæ, (ceu Pejerus loquitur) velut carnei lemniſci illud cingebant, & ſolutâ hic illic & corrosâ fibrarum cardiacarum compage, cui addimus hiſtoriam ſimilem ab Excellentiſſ. Borrichio Act. Med. Hafn. inſertam p. 173. de Centurione triplici hydrope enecto. *In pectore*, inquit, *novus ſe calamitatis fons aperuit, enimverò & pulmones parvi, ex ſucci flaccidi & ſi ultimos margines excipias, ſemiputridi aquis fœdis copioſisq; innatabant, & quod ſtupori proximum, pericardium ita ampliatum diſtentumque, ut tres libras, (&*

quod

quod superat) acris turbidiq; liquoris sinu suo complecteretur. Acrimoniam confirmabat non tantùm adstantium & degustantium lingua, sed & misericordis externa facies, quippe non modò membrana cordis propria absumpta erat, sed & exterior caro cordis ab humoris illius vi profundè exesa, in lacinias & villos carneos putrescentes abierat, reliquâ substantiâ interiore contractâ flaccida & marcescente: Aliàs ejusmodi pericardii aqua, flatusvè palpitationis cordis causa esse dicuntur, ita Clariss. Hollerius Schol. super cap. 39. lib. 1. *Excitari autem potest, palpitatio cordis à tuberculo, abscessu, multo sanguine obstructionem faciente, vermibus &c. aquâ tunicâ inclusâ, & humore putri ac malè olente plena, lapillis venenosâ qualitate, sive ab externis sive ab internis, sive in ventriculis cordis, sive in substantiâ, sive in pericardio &c. causa substiterat. Archidiaconi cujusdam dissecto cadavere, abscessus in substantiâ cordis inventus. In alterius pericardio aqua: in multis pericardium flatu distentum, qui tandem solet in aquam concrescere.* Cæterùm rarus est uterque hydrops, inprimis si alteram tantùm thoracis partem occupârit, obq; hoc ipsum diligenti scrutinio dignus, ut pro viribus tam funesto hospiti fores præcludere nôrit prudens Medicus: aliquot tamen hydrope pectoris affectorum exempla tum ex nostris tum aliorum Authorum monumentis deprompta adhuc subjungemus. d. 26. April. 1673. secuimus Adolescentem phthisicum, nomine Bernhardum Oserum, cujus abdomine recluso, gravis fœtor nares ilicò feriit, stabulante in cavitate, multa seri fæculenti copiâ, hepar, lien, pancreas, à statu naturali parùm desciverant, mesenterium verò glandulas majusculas & minusculas, subduras & caseosas plures exhibuit, thorax reseratus serum copiosissimum similiter profudit, pulmonibus hinc quidem vomicis purulentis, isthinc verò caseosâ substantiâ turbidis existentibus: Non dispar fatum sensit B. *Mesching* 18. circiter annorum Virgo, cujus interanea Ann. 1680. d. 21. Martii in orphanotrophio lustravimus præsentib. D. Petro Rochetto, Chirurgo Senatore, D. Uriel. Rizio Pharmacopola & D. Alexandro Pfistero Scafus. Innatabant enim Pulmones saniei purulentæ, Hepate prægrandis omninò magnitudinis & ferè exangui. Excellentiss. D. D. Mathæus Harderus An. 1675. Scafus. seq. histor. perscripsit. *Nuper peregrè existente Dn. Parente meo cum D. D. Paritz de Papâ cadaver muliebre in Xenodochio aperui, in quo insignem hydropem pectoris deprehendimus, pulmones planè erant putredine consumpti, sinistrum verò latus tres seri putridi mensuras continuit, ita ut ab aquarum copiâ, diaphragma, eâ quâ œsophagus progreditur parte, instar sacci versus sinistrum Renem protrusum fuerit, Ventriculo hepati, quòd immensæ magnitudinis erat superjacente*: Memoratu quoque dignissimæ sunt historiæ, quas Excellentiss. Piso de morb. thorac. intern. ab illuvie serosâ ex propriâ ἀυλοψίᾳ recenset: Anno inquit, circiter nono suprà 1600 adolescens pius & doctus orthopnœâ inveterata à mul-

tis annis & febre funestâ laborans, hic extremum obiit diem, vi morbi repentè jugulatus, in ejus cadavere præter inflammatorium in hepate tumorem, repertus hydrops thoracis, sed in uno duntaxat latere, & pulmo vesicis humore consistente lentoque & pellucido instar albuminis *ovi prægnantibus refertus. Hyeme autem superiore duos quoq; alios hydrope thoracis oppressos vidimus, quorum unus fuit Reverend. Canonicus, in cujus dissecti cadavere, præter hepar tumidum, induratum, retorridum, & pumicis instar hiulcum ac poris distinctum, universus thorax, aquâ purâ plenus inventus & in stupendâ copiâ.* Nec puerulos vel infantes recens natos ab istâ seri stagnatione vel inundatione immunes fuisse, cultro deprehendimus: d. 24. Mart. 1673. Infantulum, quem Mater ob Bellonæ sævitiam exul, & toto gestationis tempore variis morborum insultibus tentata, paucis diebus ante enixa fuit, secuimus, in quo manifestum anasarcam, quo jam in utero matris correptus esse credebatur, observavimus. Anno autem præcedente Clariss. Glaserus interanea lustravit nobis præsentibus, pueri obesuli, qui 16. septimanas ante obitum, tumore pedis sinistri afficiebatur, cum aliquali artuum superiorum imbecillitate, ita ut pedibus, quibus priùs alacris innitebatur, ampliùs insistere detrectaret: Abdomine tenso & dextro hypochondrio duriusculo existente, unde aperitiva in usum vocata fuére, temporis tractu asthma cum stertore & tussi supervenerunt, tumore pedis tantisper subsidente. Ultimis diebus dextrum hypochondrium magis induruit, artubus superioribus & inferioribus, evidenter intumescentibus, usque dum viribus dejectis, Spiritum Creatori reddidit 5. Octobr. Anni dicti. In cadavere omentum tenue instar aranearum telæ & ex parte consumptum invenimus; intestina flatibus adeò distenta fuerunt, ut colon super ventriculum fuerit expansum, atque hinc respirandi difficultatem auctam fuisse, Beatus Glaserus auguratus fuit, non rejecto hepatis pondere, quod liene octuplo majus naturalem magnitudinem excessit, nigricans & scirrhosum, comparentibus intus creberrimis punctulis albis, pancreate & mesenterio naturaliter habentibus. Ren sinister majusculus, cùm incideretur premeretur que, serum albicans & mucosum stillavit. Pulmones humore seroso & spumoso scatuerunt, fluctuante in thoracis cavo aquarum copiâ.

Observ. LII.

Pulmonis vulnus ex gladii ictu.

Anno 1681. d. 26. Iunii Gallus quidam nomine Landrin, carnosus & robustus, gladio ictus fuit, ponè vertebras thoracis sub scapulâ dextrâ; Chirurgus autem nonnisi seq. die accersitus fuit, unde

unde concidentibus vulneris inflicti labiis, ne gutta quidem sanguinis effluxerat, thorace interim cum humero & scapula ad cubitum usque intumescentibus, & ad attactum mollicellis ac spongiosis: dilatato hinc vulneri turundam à chirurgo indi curavimus, quâ deinceps extractâ, ægro super latus affectum tantisper reclinato, ultra libram j. sanguinis fluidi & grumosi prorupisse vidimus: impetu hinc ejus coercito & turundâ deinceps inditâ, vulnerariis quâ resolventibus, quâ blandè adstringentibus & balsamicis certavimus; sanguinis istud ex vulnere profluvium, ultra 14. dies duravit, ita ut singulis manè ad 6, 7. & 8. ʒ. vesperi verò ad ʒ ſ. erumperent: neque facilè tulit, ubi sanguinis fluxum prorsus cohibere nitebamur, enim verò orthopnœâ gravi mox conflictabatur, cruorisvé impetus tantus quandoque evasit, ut turundam cum emplastro & fasciis cedere coëgerit, eâ semel copiâ, ut mane seqq. linteamina & stragula subjacentia sanguinolenta penitus fuerint, ejusvé vestigia sub fornace deprehensa sint, injectionibus, quas ex vulnerar. thoracicis Chirurgus paravit, hactenus parum contrà efficientibus: Intermedio autem tempore sanguis erumpens variè habuit: post primum enim profluvium floridus sanguis erupit, spumosus & cum sibilo: succedentibus diebus serosior magis & quandoque grumosus, tandem autem merè aquosus, grumis in thoracis cavo subsistentibus, qui dehinc injectionnm balsamicarum & putredini resistentium ope, cum fœtore educti sunt: Febris quoque illis diebus ægrotum prehendit, ita ut cùm viribus polleret adhuc, in lecto ægrè detineretur, iisdem autem fractis per plusculos dies deliraret. Cessit tamen hæc ipsa medicamentorum usui, emulsionum maximè & juleporum vulnerariorum, atque injectionum, quibus à stagnante corrupto sanguine thorax mundatus fuit, osculaque vulnerata tantisper consolidari ceperunt: Parato hinc decocto pectorali exagglutinantibus & balsamicis, de quo manè & vesperi ʒiv. hausit, Chirurgus vulneris mundificationi reliquum operæ impendit, pure laudabili ex illo stillante, primis quidem diebus ad ʒ 7. & 8. tandem verò nonnisi ad ʒj & infra, cannula inde concinnata, quâ commodum, quicquid puris deinceps generaretur, expurgari queat, ægroque imperatâ exactissimâ diætâ, pill. ex diaphoret. joviali & extracto veron. commendatæ.

SCHOLIUM.

Eleganter Hippocr. in Coac. prænot. Σπανίσκεσι ἢ μάλιστα ἐκ τῶ τρωμάτων, ἢν τις ἐγκέφαλον τρωθῇ, ἢ βαχίτιν μυελὸν, ἢ ἦπαρ ἢ φρένας, ἢ καρδίην ἢ κύστιν, ἢ φλέβα τῶ παχειῶν· θνήσκει ἢ κὴν ἐς ἀρτηρίην ἐς πλάμονα μεγάλαι σφόδρα αἱ πληγαὶ γένωνται, ὥστε ἐς πλάμονα πληγέντα, ἔλασσον περιέχόμενον πνεῦμα καὶ σῶμα γίνεσθαι, ἢ τὸ ἐκπῖπτον ἐκ ἐς τραῦμα. Sunt certè, si quæ aliarum partium, periculosa maximè pulmonis vulnera, enimverò, præterquam quòd à continuâ aëris expansione, in continuo motu est, unde sanguinis effluxus in inspiratione copiosus deprehenditur, medicamenta insuper ad partem affectam, sui substantiâ omnia pariter non accedunt, imò ea textura partis est, quæ læsa agglutinari, minùs restaurari, rarissimè solet vel potest, quin ab extravasante & prorumpente sanguine, gravissima symptomata superveniant, virium præprimis prompta jactura, & febris acuta, ubi corrumpi ille & suppurari, suaque miasmata communicando massam humoralem inficere, & à crasi suâ dejicere, imò vicinarum partium fibrillas irritare insuper ceperit, ut phthisin prætereamus, quæ etiam superficiarium vulnus, ubi materia purulenta, minùs probè expurgata, vesiculas pulmonales ulteriùs arroserit, excipere consuevit: In Gallo isthoc sanguinis effusio gravissima fuit, ut dubium fuerit, an pulmones profundiore vulnere affecti non sint, qualia sanè incurabilia esse, ex allatis Coi verbis concludere possemus: quia nihilominus benedicente Deo, ex medicamentorum usu paulatim convalescere cepit, superficiarium illud magis fuisse tantisper credemus, ad sanguinem spumosum & cum sibilo erumpentem, minùs attenti, quàm ad venæ ἀζύγος ramulum, qui unà lædi graviùs potuit; Vulneratorumque vasculorum oscula, (quorum cruor, viâ primùm ob concidentia & subsidentia vulneris labra præclusa, insinuando se inter musculorum interstitia & ductus, humerum & thoracem spongiæ adinstar tumefieri fecit) consolidari cepisse credemus, nec tantam ejus copiam profundere potuisse, accedentibus reliquiis in pus laudabile dehinc conversis, unde cùm febris imminuta tum deliria sublata fuerunt: Legi meretur de vulnere pectoris cum læsione Pulmonum Histor. ab Excellentiss. Schultzio An. 3. Ephemerid. German. inserta, quæ huic nostræ non absimilis est: enimverò invenit Chirurgus sinistrum pulmonis lobum, profundè satis sauciatum, cumque ægrum jam extra periculum versari opinabatur, plusculis diebus pòst per canaliculum plumbeum, saniei & sanguinis cum liquidiore humore mistæ aliquot libræ effluxerunt, vocatusque præfatus Vir Clariss. Decoct. pectoralib. aliisvé ut & injectionib. sanitati ipsum restituit: Aliud exemplum videre est, Ann. 1. Decur. 2. Ephemerid. Observat.

ſervat. XXVII. à Clariſſ. *Ledelio*, Medico Grünbergenſi communicatum: His fortè rariora, videre eſt apud Clariſſ. Fabrit. Hildanum Obſervat. Centur. 2. & 3. à Gregorio Horſtio & Abele Roſcio ipſi perſcripta, de pulmonis vulnerati portione abſciſſâ; cujusmodi unàm etiam apud Schenkium videre eſt, ex *Rolandi* Chirurg. lib. 3. cap. 23. deſumptam: Id hîc adjicere conſultum ducimus, à decoctis traumaticis & pectoralibus, in pectoris diverſis affectibus, egregium fructum hactenus nos percepiſſe, ut non immerito Excellentiſſ. *Wedelius*, Amicus & Collega honoratiſſ. culpet *Balduinum Ronſæum* illa citra graviorum rationum momenta rejicientem atque contemnentem, ceu videre eſt l. 1. ſect. 2. cap. VIII. amœnitat. Mater. Med.

Observ. LIII.

Pleuritis in Empyema tranſiens, cum ſubſequente ſopore funeſto. Cerebri cortex exterior purulentus &c.

Maria Stæhelin, annorum circiter 14. fœtore narium & urinæ incontinentia, à multo tempore vexata, d. 27. Febr. 1683. peſſimè habere cepit, conqueſta præcipuè de dolore lateris dextri pungitivo, ſputo materiæ purulentæ, difficili reſpiratione, ſiti & virium proſtratione, pulſus parum erat ſerratus, celer & frequens: V.S. in brachio ilicò fuit celebrata, juxta præſcript. julepus antipleurit. D. ſeq. mane ægram in eodem ſtatu offendimus, exhibuimus ſperma ceti cum ſale volat. C. C. in cæteris perrectum: ſub veſperam delirare & tantùm non furere cepit, ſubſequente ſopore gravi, & rerum omnium oblivione, applicata ſunt veſicatoria, aliaque in uſum vocata, ſed fruſtrà, ægra quoniam poſtridie animam blandè exhalavit.

Sectionem cadaveris adornavimus præſentib. Vir. Clariſſ. & Nobiliſſ. D. M. Samuele Werenfelſio Gr. L. jam Prof digniſſ. D.D. Io. Iac. Webersky Gedanenſ. Collegii noſtr. Curioſ. Æginetâ meritiſſ. D.D. Iac. Rüdino, D.D. Iac. Chriſt. Scherbio Epiſcopocell. D.M. Speckero, D.M. Zæslino, D. M. Bauhino Med. Lic. aliisvé: Imi Ventris contenta naturaliter ſatis habebant, Elegans viſcerum ſtructura, & jucunda vaſorum maximorum ſeries tantiſper ſpeculationem noſtram morata eſt: Heparratione profun-

ditatis ſuæ maximum. Veſicula fellis bile viridi & viſcida plena: Inteſtinum duodenum meris ferè glandulis ſuperbiit: ponè ductus biliarii inſertionem, corpus quoddam figuræ ſemilunaris, valvulæ æmulum animadvertimus, tangentibus verò glanduloſum comparuit: Ren dexter vaſis emulgentibus venoſis & arterioſis, circa ſui exortum in quatuor ramos ſeſe dividentibus, inſtructus fuit: veſica urinaria denſiſsima, ne guttam quidem urinæ continuit; ſphincter ejus parum liveſcebat: Uteri facies externa rubebat: Membrana pleuræ denſa admodum, coſtis dextri lateris undique firmiter cohæſit, à quibus ſeparata vaſa minutiſsima cum ſtriis ſanguineis hic illic oſtendit, & cùm diſrumperemus, materia purulenta copioſa in capacitate lateris hujus deprehenſa fuit, ſiniſtro penitus incolumi. Pericardium humorem modicum exhibuit. Corpus falcatum circa medietatem ſui cranio adeò adhæſit, ut difficulter ſeparari potuerit. Cerebri cortex exterior purulentus fuit, interioribus medullis ſalvis exiſtentibus, dici nequit, quàm egregiè vaſorum capillarium ſeries per corticem hunc depauperate ſparſorum ſeries, viſum recreârit: ſinus anterior ſanguine grumoſo cum lateralibus diſtentus erat: Ventriculi cerebri aquarum parum habebant. Plexus choroideus totus pallidus & duriuſculus, cujusmodi duritiem etiam glandula pinealis tangentibus obtinere videbatur. Cerebellum naturaliter fuit conſtitutum: Nervorum conjugationes ac diſtributiones elegantiſsimæ.

SCHOLIUM.

Ὁκόσοι πλευρίτικοὶ γενόμενοι οὐκ ἀναχαθαίρονται ἐν πεντεκαὶ δέκα ἡμέρῃσι, πυτέοισιν ἐς ἐμπυήματα μεθίστανται, inquit Hippocrat. Sect. 5ª aphor. 8. Nec verò tempus iſtud uſque limitatum eſt, quin citiùs enecare hominem affectus poſſit, enim verò ea quandoque eſt cauſæ morbificæ malignitas & corrodendi genius, quo gangrænam pleuræ vicinisque partibus, ipſarum texturâ prorſus abolitâ, maſſæque humorali communicata, funeſtas circa præcordia oppreſſiones, coagulorum prompto partu, ocyus inducit: interdum ſanguis ad lenteſcendum pronus jam eſt, & orbatus particulis balſamicis ac volatilibus, ad ſtagnandum aptiſsimus, eò faciliùs, quò capillaria vaſcula eorumque extremitates & interſtitia exigua valdè ſunt & anguſta, quæ hinc permeaturus, ob particulas quibus

bus ſaturatus eſt improportionatas, non poteſt, ſive jam tenaces admodum & glutinoſæ, ſuis ramentis vaſculorum ductuumque parietibus aut extremitatibus adhæreſcant, ſive tricuſpides aliterque acuminatæ, iisdem quaſi ſe infigant, vel quòd veriſimilius, ſtringendo oſculorum fibras, ſanguinis libero commeatui obicem ponant, particulasque hinc alias accedentes ſecum irretiant ac ligent, & ſic *illius* ſubſiſtentiæ, indeque natæ inflammationis cauſa evadant. Huc certè referendum eſt acidum, quod, uti coaguli mater fœcunda eſt, ita in pleuritide ut plurimum accuſandum eſſe Practici Excellentiſſ. aſſerunt, cujus non raro, ceu innuimus, ea ſolet eſſe acrimonia, ut roſis vaſculorum oſcillis, factâ ſanguinis graviore eruptione, inflammatio graviſſima, gangræna, tandemque mors ſubſequantur: aliàs probabile videtur, in obſtructione leviore, tenuiores ac fluidiores ſanguinis particulas tranſire, perque venarum oſcula reſorberi, aut ſaltem per arteriolarum proximarum ramos commodum propelli, uſque dum hic vel ille obſtructus medicamentorum ope reſeretur: in graviore autem ea ſanguinis eſt diatheſis, ut ſpontè ferè ſubſiſtat, ilicoque corrumpatur & ſuppuret nonniſi particulis aquoſioribus tranſeuntibus, quæ & ipſæ craſſiores non raro ſunt, ac infarciendo pleuræ interſtitia ac poros, denſitatem notabilem eidem inferunt, quâ ratione jam *Riolanus* Anthropograph. l. 3. pleuram inflammatam decuplo craſſiorem, quàm naturaliter eſt obſervavit. Nos quoque in nuperâ ſectione Viri Clariſſ. qui à pleuritide dextri lateris, bis, nî fallimur, convaluit, pleuræ denſitatem, cum punctulis maculisque evidentibus, conſpeximus. In puellâ noſtrâ gravis extitit vaſculorum obſtructio, quod ſanguis ad lenteſcendum apprimé diſpoſitus erat, (pauppercula enim fuit ac in orphanotrophio enutrita,) eaque exitialis, licet ſputum ſucceſſerit, & medicamenta convenientia adhibita fuerint, ob ſanguinem copiosè ſuppurantem, ruptisque pleuræ fibrillis empyema parientem, quanquam huic ſoli innitendum non cenſeamus, enim verò uti ſanguis in ſinubus lenteſcens ac grumeſcens, de diatheſi acidâ ſatisteſtari poteſt, ita in causâ ſimul fuit quare in ductibus ſanguiferis cerebri ſubſtiterit, itidemque computruerit, atque affectionem verè lethargicam induxerit, potuiſſetque hæc ſola ſinuum obſtructio exitium inferre, utpote ſanguini in jugulares internas revehendo deſtinatorum, ceu ſuperius meminimus. Illud verò dicere certò non poſſumus, ejusmodi purulentiam narium fœtoris cauſam fuiſſe, cum *iſta* in narium cavernis æque ſubſiſtere potuerit, & *illa* diuturna fuiſſe non videatur, ægrotâ à ſymptomatum ejusmodi inſultibus immuni. De urinæ incontinentiâ, quædam addenda ſunt, ſervaturi, quæ de modo generationis pleuritidis, viisque per quas materia purulenta excernitur, dicenda alterius forent, ſeqq. obſervat. De cauſis hujus ſymptomatis conſentiunt

unà

unà practici, labemque in fibras sphincteris ferè conjiciunt, sive laceratas, incisas, sive solutas, relaxatas, à diutinâ urinæ retentione, quæ suppressioni, pertinacis sæpius etiam parens est, (dum fibræ pertinacius distentæ, ad pristinam sui configurationem & situm nequeunt redire) vel spirituum influxu prohibito: videntur tamen præter istas aliæ subesse posse, quæ incontinentiæ ansam præbeant, enim verò læsum sphincterem unicè heic accusare non possumus, etiamsi livuerit tantisper: vesicæ nimia densitas, ac corrugatio, unde adventanti sero urinoso, sui ex pansione moram locumque negat, malo huic ortum æquè præbere potest, dum continuâ seri alluitione & stimulatione, laxantur & enervantur sphincteris fibræ, tandemque involuntario urinæ profluvio locum dant. Et memorabilis omninò est Historia, quam Clariss. D. Jalon Medic. D. Metens. ante triennium nobis præscripsit, de puero decenni, ab ineunte ætate urinæ incontinentiâ affecto, in quo post mortem, Vesicâ sectione aperta, membranam dimidii digiti crassitie carnosam, & in se quasi collectam, exteriùs valdè adiposam, internè verò valdè rugosam & cavernosam exhibebat. Foveæ satis profundæ, hic latiores illic angustiores, per totam ejus superficiem internam, inter corpora quædam prominentia, alba, longa & instar chordarum teretia, (quæ secta quasi fasciculos fibrarum nervosarum constituebant) efformabantur. Hæc corpora ad tactum dura, magnitudinem styli pugillarium æquantia, modò rectâ, modò obliquâ & transversali lineâ, totam interioris tunicæ superficiem perreptabant, & plurima eorum in cervicem vesicæ dimissa, sphincteris constrictionem & occlusionem exactam impediebant: fuitque mala hæc configuratio symptomatis tam molesti, potissima mater, ceu etiam in scholiol. Observat. dict. quam ceu luce digniſſimam Ann. 2. Decur. 2. Ephemerid. plenius inseri curavimus, addito monuimus.

Observ. LIV.

A Pleuritide abscessus ruptus & feliciter curatus.

Puer 9. annorum, alacris & vegetus, d. 8. Martii 1686. cùm pridie circumcursitâsset, totoque corpore incaluisset, horrore corripitur, quem vehemens calor subsequitur: Retulit D. Parens ejus, caput nuper saniem copiosè fudisse, quæ jam subsistat, seque à plusculis diebus vocem stertorosam, cum aliquâ spirandi difficultate in ipso animadvertisse: pulsus celer erat & frequens,

genæ

genæ rubebant: præſcripſimus julepum ex blandis diaphoreticis. Poſtridie cùm accederemus manè, ſudatiunculam paſſus fuit, pulſu ſerrato & frequenti perſiſtente, juxta conquerebatur de dolore pungitivo & lancinante in latere ſiniſtro, qui exacerbatus fuit, cùm tuſsiebat, ſpiravit difficulter & cum dolore materiam viſcidam ejecit: V.S. fuit celebrata ad ℥iv. juxta præſcripta emulſio in duas doſes ex ſemine card. bened. naſturt. apii. aq. fl. acac. card. mar. ocul. cancr. additâ mixtur. antipleur. ex aq. cardben. taraxac. antimon. diaph. liq. C.C. ſuccin. &c. ſingulis bihoriis ad cochlear. ʒ. ſumend. cum liniment. ex unguent. de alth. ſal. volat. C C. ſperm. cet. & croc. D. 3. ſymptomatibus in eodem verſantibus, exhibuimus oleum amygd. dulc. cum ſperm. cet. circa veſper. autem emulſionem ſimilem iteravimus. D. 4. retulerunt noctem inquietam fuiſſe, per intervalla ægrum deliraſſe, urgere ſitim: pulſus celer erat, frequens & ſerratus, genæ admodum rubebant, inprimis lateris affecti, ſputum nullum fide dignum, licèt tuſsis per vices infeſtârit, urinæ parum ſaturatæ: præſcripſimus pulver. ex abſorbent. diaphoret. hoc manè ſumendum. Ab iſto tempore ægrotus medicamenta reſpuere, vel nonniſi cum nauſeâ ſumere cepit: nos verò quid periculi ſubſit, nî materia ſolveretur, & ſputum ſuecederet Parenti indicavimus, dato hinc die quietis d. 6. ſymptomatibus in pejus euntibus, deinceps ol. amygd. dulc. cum ſperm. Cet. & liq. C.C. ſuccin. præſcripſimus, addito julepo antipleurit. ut ſuprà. D. 7. cùm ad medicamenta nauſearet, eſſent. croc. cum ſpir. urin. & tantill. balſam. ſulph. terebinth. guttat. m. & v. exhibere juſsimus in juſculo. D. 9. reiterata mixtura ex abſorbentib. & reſolventib. idque hisce diebus obtinuimus, ut urinæ fuerint turbatæ, eædemque paulatim inclaruerint, pulſus quoque minùs frequens, dolor verò in latere nunquam ceſſavit, inde in emulſion. perrectum, & exacta diæta imperata, præprimis cùm æger plus juſtò appeteret: Diebus aliquot pòſt lene laxans exhibuimus ex ſyr. roſ. ſol. c. cum aq. plantag. &c. à quo ſes dejecit: cumque reſpirandi difficultas & dolor lancinans etiamnum vexarent, quamvis æger appeteret, pulſusque melior videretur, & nonniſi juſculo flor. bellid. minor. alterato locum concederet, abſceſſum jure me-

tuimus: Et certè Halcyonia iſta vix per 8. vel decem dies durârunt, cùm ipſe ſenſim in deteriùs labi, appetitus proſterni, febrisque recrudeſcere cepit, cum ſiti emaciatione, tuſsiculâ ſiccâ, dictique lateris pungitivo dolore: unde medicamentis quibus materia ſive ſolvatur, attenuetur, incidatur, ſive etiam ad ruptionem abſceſſus formatus diſponatur utendum eſſe prædiximus, nî imminente tabe conſumi ipſum velint: locum hinc dedit lacti caprillo florib. bellid. aliisvé herbis recentibus veronic. inprimis alterato, & pulver. ex Diaph. Jovial. ſpecieb. diair. ſ. gumm. arab. rad. ar. præp. &c. Poſt horum uſum binis vicibus ipſi propinari curavimus, balſam. noſtri Pectoral. liquid. ʒjß. in juſculo carnium, à quo primâ vice viſcidum copioſum evomuit, ſecundâ verò non item, eo nihilominus cum fructu, ut abſceſſus emollitus & ruptus fuerit, d. morbi 34. præcedaneo acri dolore & ardore in latere affecto: Ejecit autem ægrotus, materiam purulentam, viridem & viſcidam, copioſiſsimè, quod cùm d. ſeq. nobis nuntiatum fuiſſet, ut quâ materiæ excretio promoveretur, quâ etiam exulceratio ulterior impediretur, apozema pectorale ſuaſimus ex rad. ſymph. liquirit. ir. florent. herb. veron. tuſsil. pulmon. &c. fl. bellid. aliisvé paratum addit. balſ. ſulph. tereb. cujus uſu optimè habuit, purulenta cum euphoriâ per plures dies exſpuit, pulſu & urinis ad ſtatum naturalem paulatim redeuntibus, vivitque hodiernâ d. vividus & vegetus.

SCHOLIUM.

Cauſæ evidentes ſatis ſunt, quare puer iſte pleuritidem incurrerit; enim verò & ſanies capitis præcedens, de acidi acris in ſanguine copiâ, cui exterminando naturam operam dare ceperat, teſtimonium præbet, eademque ſubſiſtens, cum voce ſtertorosâ, & reſpirationis difficultate, de ejusdem viſciditate, maſſæque humoralis lenteſcentia, unde in glandulis, vaſisque præprimis lymphicis partium pneumoticarum, lympha craſſior & ad motum ineptior hærens, imò ſanguis ipſe pari promptitudine circulum ſuum per haſce non abſolvens, motum iſtarum, aërisque jugem expanſionem tantiſper impediverunt, teſtari poſſunt, uſque dum obſtructione factâ in vaſculis capillaribus pleuræ ſiniſtri lateris, præviâ incaleſcentiâ totius, ex circumcurſitatione, decantata malorum lærna magis magisque pullulavit, præprimis autem expectoratio rara, eaque materiæ viſcidæ, dictarum particularum lentorem

torem confirmant, cui corrigendo incidentibus & attenuantibus, volatilibus aliisque operam dedimus; at tantum non in cassum, accedente juxta ægri ad medicamenta nauseatione. Empyematicus hinc evasit æger, materiâ impactâ ad suppurationem vergente, motuque intestino particulis tenacibus magis subactis, rupto tandem abscessu, (quòd cùm vomitus à balsamo pectorali exhibito subsequens, tum idem cum medicamentis aliis fibrillas pleuræ distentas laxiores tenerioresque reddens, effecit) & materiâ viscidâ ac purulentâ copiosè per tracheam ejectâ convaluit, benigniore fato, præ puellâ affectus, licet matre natus esset, quæ ipsa phthisi periit, sicque feliciter effugit alterum Coi effatum cit. Sect. 5 Ὁκόσοι ἐκ πλευρίδος ἔμπυοι γίνονται, ἢν μὴ ἀνακαθαρθῶσιν ἐν παραράγοντα ἡμέρῃσι, τουτέοισιν ἐς φθίσιν μεθίσταται. Similem planè cum isto morbi exitum expertus est puer alius duodecennis, Lucis valli natus, qui Parentum incuriâ de Pleuritide non cogitantium, tussi molestâ cum atroci dolore lateris dextri affligebatur, corpusque universum valdoperè emaciari cepit: in transitu aliquando nos rogârunt, ut quid mali subsit, explorare vellemus: instituto hinc examine, urgentibus adhuc siti, pulsu celeri & serrato, tussi & dolore dicti lateris lancinante, miserum ex pleuritide ἔμπυον, reapse fieri deprehendimus, eundemque medicaminum, quorum usui Deus clementer benedixit, ope restituimus, postquam integras patinas sputo purulento impleviſſet, ceu ἀνλόπλης fuit Clariſſ. D. D. Schorkopf, Hildesiens. Id quoque notavimus puerulos, quos solâ tussi affici vulgus existimat, pleuriticos non rarò fieri, particulis sanguinis viscidis, in exiguis vasculorum ductibus ac interstitiis, promptissime hærentibus, graviusque malum, nî citò discutiantur ac solvantur inducentibus. Id verò dubii nobis usque superest, an pro pleuritide efficiendâ, turgescentia febrilis semper requiratur, quod Clariſſ. Willisius Part. 2. de Med. oper. cap. IX. Sect. 1. contendere videtur, enim verò experientia docet plures malo isthoc correptos fuisse, in quibus sola sanguinis tenacitas, vel lentescentia in causâ fuit, febrisque effectus hujus fuit potius, impedito sanguinis necessario fluxu ac refluxu, quàm parens: de viis quoque, per quos materia tum pleuriticorum, tum empyicorum in trachéam deveniat, cit. cap. quædam proponit, quæ tamen veritatis avido, usque non satisfaciunt: *Attamen*, inquit, *haud propterea sequitur, materiam pleuriticam, è latere in pulmones, perductus nescio quos cæcos derivari, aut eandem è pleurâ in cavitatem pectoris exudatam, à pulmonibus imbibi, & demum per ductus sursum antlari & foras excerni, sed cum peripneumonia Pleuritidi supervenit, atq; materies pulmonibus impacta, per sputum evacuari incipit, adeò ut loca affecta pulmonaria continuò depleantur, sanguis saburram alteram in pleurâ defixam resumit, eamq; ad pulmones, ubi expectationis*

loca patefiunt, sputo ejiciendam defert. Quòd si pleuritis neq; per se, neq; per peripneumoniam adscitam judicabitur, tandem vel abscessu in pleura vel in pulmone facto Empyema succedit, &c. Exportationis sanè loca, nec nominantur distinctè ab ipso, nec ab omnibus eadem creduntur, quamvis arteriarum vertebralium propagines, per quas materia advehitur, & venæ ἀζύγος rami sanguinem, vel materiam pleuriticam resumentes pateant: sunt ex viris eruditis, qui absurdi nil esse putant, si propter arctam confinitatem, particulas morbificas transudare & quasi à pulmonibus imbibi asseratur, nobisque hâc in sententiâ, labes quæ à materiæ imbibitæ acrimonia vesiculis pulmonalibus inferri posse videtur, potissimum obstat, quodque hæ pabuli ætherei secretioni, non verò ejusmodi particulis trajiciendis destinatæ fuerunt: nî per arteriæ pulmonalis ramos receptam in cordis thalamo dextro, dictæ materiæ portionem cum sanguine versus lobulos pulmonum ferri, ibidemque secedentem in tracheam transudare, alii nobiscum verisimile esse credant, per arteriæ bronchialis ramos, præcipuum illius adferri statuendum erit, aut præter dicta, viæ aliæ patentiores commonstrandæ, in quibus detegendis multi haud parum hæsitabunt. De venæ sectione sententiam alibi diximus: In initio illa potissimum locum habet, attendendo semper ad corporis constitutionem, utrum plethoricum sit nec ne? aliàs materiæ firmius impactæ & coagulatæ solutioni vel abolitioni illa parum inservit, inde non abs re Clariss. Helmontius tr. de Pleurâ furente, par. 8. Quæsò ergò medentes considerent, iu pleuritide phlebotomiam non esse usui, propter revulsionem & derivationem, sed propter meram sanguinis viriumque extractionem & diminutionem: Ut scilicet natura, evacuationem istam exhorrescens, desistat, cessetque mittere cruoris augmentum circa pleuram. Attendant an hoc non sit, cum virium jacturâ tam insigni & repentinâ, (in morbo quo totum onus vires ipsæ bajulant) à posteriori mederi, per præcautionem, præventionemque incrementi.

Observ. LV.

Polypi Cordis cum interaneorum putrilagine &c.

Mense Majo 1681. præsentib. Vir. Clariss. & Præstantiss. D. Andreâ Darneddeni Brunopolit. D. Michaële Pauli Silesi. D. Kőnig & Speckero nostrat. singulis jam Med. Doct. cadaver aperuimus juvenis triginta & quot excurrit, annorum, qui fatuis accensitus, in orphanotrophium receptus fuit, facie cachecticâ flebilis appetitu

appetitu verò tantùm non canino formidabilis: Hic cùm paucas de uno alterové graviori ſymptomate querelas moviſſet, in conclavi ſuo, ſubito quaſi ſuffocari, ſtertere, viribusque peſſum euntibus, illicò emori cepit: Ex demortui cadavere, abdomine cultro inciſo, plures *menſuræ ichoris* ſubfœtidi, coloris urinoſi proruperunt, viſceribus ſingulis præter *Renes*, maximâ corruptelâ inquinatis, *hepate* inprimis & *liene*, quæ tota nigricabant. *Pancreate* & *Meſenterio* meliori loco exiſtentibus: Nec tamen ex his tam ſubitæ ſuffocationis cauſam hariolari licuit, uſque dum ad thoracem converſi, non modò pericardium ſimili ichore plenum offendimus, ſed ipſum inſuper *cor*, quoad auriculam dextram & huic annexum ventriculum, polypis aliquot inſigniter gravatum vidimus, adjacentibus utrinque pulmonibus putridis. In cerebro, in quo tamen quòd fatuus fuit, majorem culpam nos deprehenſuros exiſtimavimus, minùs noxæ invenimus, niſi quòd exterior Corticis limbus paulò flaccidior & ſuperficietenus gelatinoſus comparuit: *Medullâ* interiore cum ventriculis, nullâ planè aquarum copiâ ſcatente: nervorum ècontra propaginibus variis in hoc ipſo quàm evidentiſimè comparentibus.

Observat. LVI.

Cordis oppreſſio ex multâ ſanguinis grumoſi in auriculâ & ventriculo dextro contentis copiâ.

D. 8. Iulii 1681. adſtantibus aliquot Philiatris, ſub noſtro præſidio, cadaver Virginis 30. annorum ſecuit Clariſſ. D. D. Haesbaert. Cliv. Hanc citra vehementiores querelas, ſubitò interiiſſe retulerunt adſtantes, fortè quòd minùs bene animadverterunt, & miſella ipſa naturâ ſtupidior, pauciori ejulatu, anxietatis ſuæ indicia reddidit: Linteamentis ſemotis, abdomen inſigni tumiditate & inflatione diſtentum oculis ſe objecit, habitu corporis cœterùm ſatis obeſo, nullisque aquis, quas venter prominulus primùm ſpondebat, turgido exiſtente. Muſculis hinc cultro ſeparatis, *inteſtina* præ flatibus maxima, inprimis verò *colon* comparuêre, è quibus eidem, levi foramiuſculo inflicto, co-

pioſi erupére: nulla tamen gangrænoſeos vel corruptionis indicia, *Hepar*, *Lien*, *Meſenterium*, *Renes* &c. ſatis naturaliter habebant: *Ventriculus* etiam, quod mirari licet, multùm non inflatus: Ad medium Ventrem cùm tranſiret, alter *pulmonum* lobus putredinem qualemcunque contraxerat: cæteris mage ſalvis exiſtentibus. Cordis verò auricula, ſupra modum ampliata & lata figurâque nummum Helveticum, qui confœderat. Cantones repræſentat, ferè adæquans, unà cum ventriculo dextro, ſanguinis grumoſi, nigricantis, copiam plurimam exhibuit, ſiniſtrâ auriculâ parvulâ & contractâ exiſtente: Symptomata de quibus ægra aliquot diebus ante mortem conquerebatur, erant cordis oppreſsio, anxietates, ſitis, quibus ſub finem acceſsit æſtus febrilis, appetitûs proſtratio &c. Id notanter adjicimus, Novercam, quæ annum ante & quod excurrit, ob veneficium, cujus rea facta fuit, debitas pœnas luit, hanc ipſam, uti alios plures, veneno occidere ſategiſſe.

SCHOLIUM.

Pauca ſunt, quæ ad utramque harum hiſtoriarum dicenda ſuppetunt: Enimverò Adoleſcentem quod concernit, cachexiam à pluſculo tempore jam contraxerat, diætæ haud dubiè vitio, quò fatuitas commodum acceſsit, ob quam ſpiritus animalis in functionibus quibusvis obeundis uſque promptus non eſt, præprimis autem ejusmodi homines plus ciborum ingerunt, quàm verò ſubigendis & concoquendis ille ſufficit, unde cumulato humore ſeroſo acri, aliové craſis maſſæ humoralis deſtruitur, ſecretiones & depurationes ejus in viſceribus neceſſariæ fatiſcunt, imò his ipſis labes inemendabilis infertur, dum vel ſubſiſtit ſanguinis pars craſsior, lymphaque viſcida in glandulis ſuisvé ductibus, vel hi ipſi dehiſcunt, aut ab acriore roduntur, unde funeſta inundatio plerunque ſubſequitur, aut omnino intra cordis thalamos vel initia vaſorum ex ipſo prodeuntium, generatur colligiturvé corpus heterogeneum, quod nunc ſubitò, nunc verò paulatim enecat; plurimaque ex dictis ſymptomatibus unà producit. Et certè, quòd de corpore pingui & compacto, ex particularum ramoſarum, quibuscum craſsiores aliæ combinatæ eſſe poſſunt, intempeſtiva cohæſione, ſive mavis conglobatione in corde hinnulorum generato ſuperius ſuſpicati fuimus, animali interitum illud attuliſſe, ſanguinis circuitum inhibendo, idem de polypis, (quorum exempla cùm apud Authores varia eaq; rariſsima videre eſt,

tum

tum noſtræ obſervat. hic illic ſuppeditabunt) in thalamis cardiacis vaſisque appenſis pullulare incipientibus ſentimus, experientiâ & ratione, quam modò adduximus, freti: Equidem quî polypi generentur, nolumus heic prolixiùs diſquirere, cùm eruditè illud factum ſciamus ab Exercitatiſſ. Malpighio: Sufficit huc partes requiri tenaces, ſibiqúe invicem facilè agglutinabiles, fibroſas intelligimus & ramoſas, cujusmodi fatemur in ſtatu naturali, cum reliquis cruoris particulis junctæ & combinatæ ſunt, ab illis tamen non ſecedunt, nî vel fluidior ille fuerit, vel ſero diluente defraudatus, tenacior craſſiorque extiterit: *Ibi* ſecedentibus facillimè particulis flexilibus & aqueis, fibroſæ craſsiores aliæ, ipſiscum minùs firmiter unitæ, inter thalamorum plicas ſubſiſtunt, ſenſimque aliis congeneribus particulis adſcitis, corpus efformant, quod polypum dicimus, ipſorum motui legitimo & hinc ſanguinis circulo ſummopere nocivum; ut acidum quod in tali ſanguinis fluore prædominari veriſimile eſt taceamus, coaguli certiſsimam matrem: *Iſthic* verò *ſtatus adſtrictionis* ferè Methodicorum obtinet, in quo ob particularum arctiſsimam combinationem, ſanguinis motus itidem difficilior evadit, requiritur nempe ad hujus laudabilem vigorem, non *organi* tantùm legitima ſtructura, ſed & *mobilis* juſta diſpoſitio, ejusdemque cum oſculis, poris & interſtitiis partis intra quæ ſuſcipitur conveniens configuratio & proportio, inde quod ad Virginem ſpectat, ipſam ex ſola cordis thalami dextri cum auriculâ oppletione à ſanguine tenaciter impacto & grumeſcente mortuam eſſe jure perſuaſum habemus, ſymptomataque, de quibus ipſa conqueſta fuit, commodùm inde deducimus, ceu ſunt circa præcordia oppreſsio & anxietates: utrum autem ſanguis ex ſe tenacior & ad ſubſiſtendum pronus fuerit, an verò quod in febribus malignis Practici nobiscum notârunt, miaſma acidum acre ſupervenerit, & cruoris particulas heic loci potiſsimùm coagulaverit, certò dicere non poſſumus, cùm ad primum morbi inſultum vocati non fuerimus, neque à domeſticis reſcire potuerimus, de quibus ſymptomatibus illatum querelas moverit: Antequam hinc abeamus, uno alterove exemplo noſtra illuſtrabimus: Ampliſſ. Tulpius l. 1. obſerv. cap. XXVII. occaſione polypi cordis inſignis, quem deſcribit, meminit, ſimile quid etiam animadvertiſſe diligentem Virum Caſparum Bauhinum, ſed ex materiâ adiposâ, quæ non abſimilis ei, quam in hinnulorum ventriculis repertam, modò explicuimus: Et Clariſſ. Sponius memorabilem hiſtoriam An. 1678 nobis perſcripſit, quam ipſiusmet verbis heic apponere conſultum ducimus: Verum, *inquit*, miſſis hiſce, libenter ex te quæſiverim, quid cenſeas de caſu terrifico ſequente: Ingenuus Adoleſcentulus quatuordecennis, d. X. hujus menſ. Febr. Monspelio feliciter huc appulit equo ſubvectus, & hebdomadario Tabellario junctus. Pòſt

tres

treis vel quatuor ab adventu horulas rigore prehenditur, paulò pòſt in ἀφωνίαν incidit & omnium ſenſuum interceptionem, D. ſeq. nudius viz. tertius accerſor eumque oculis clauſis ac refugis, ſenſibusque omnibus orbatum deprehendo, cum pulſu parvo, ſed frequente admodum, nullam vocem extundere potui. Frictiones artuum validæ, quæ priùs celebratæ fuerant, iterantur. Infunditur clyſter acris, tenditut baſilica, iteratur clyſter, omnia ſine fructu. Nocte ſequente alyſmo corripitur inſolenti. Voces aliquot obſcurè profert, certiſſimas delirii indices, ad interrogata nihil mutit. Heſternâ die (XII. videl. menſis) ἀσφυξία pertinax obſervatur. Tunditur ſaphena, non reſipiſcit, Proponebantur cucurbitulæ dorſo & lumbis affigendæ cum ſcarif. ſed reſpuuntur ab Adgnatis. Tandem conſilium Medicorum cogitur. Veſicantia ſuris adhibentur. Vinum ſtibiatum additâ paucâ confect. Kermeſinâ propinatur. Pullus gallinaceus ſupra cordis regionem, pipio vivus vertici deraſo admoventur. Quibus non conferentibus, moriturus pronunciatur. Hinc III. Id. Martii An. ejusd. ſeqq. ad nos dedit: Caſus ille inſolens, quo de præcedentibus in literulis mentionem faciebam, gripho ſimilis eſt, qui à nullo œdipode ad unguem enodari potuiſſet, niſi curioſa poſt mortem cadaveris apertio facem commodùm alluxiſſet: Morbi enim quidam, (ut nôſti) dantur ἀσήμαντοι, quos ἀξόμους aut elingues fas mihi ſit nuncupare, quorum nec ſedes, nec cauſæ, nec vera indoles à mortalibus ſatis intelligi poſſunt, quòd cœcis in receſsibus ita deliteſcant, ut omnes artificioſi σοφασμῦ aciem facilè eludant: Iſtius verò generis haud dubiè caſus erat modò memoratus, unde mirum eſſe non debet, ſi nullus noſtrûm ejus τέκμαρσιν probè concipere ac genuinam ipſius hyparxin in apricum eruere potuerit: Ecce itaque tibi ſuccinctam præcipuorum intus deprehenſorum diagraphen. Epiploon inflammatum erat ac nonnihil lacerum: Univerſa inteſtina quemadmodum & ventriculus, oppidò quoque inflammata. Jecur molis inſignis, nec non etiam lien, quo grandiorem haud facilè quisquam vidit: Cæterum utrumque viſcus ſiccum & exangue, dum ſcalpello proſcinderetur apparuit. Pulmones admodum flaccidi, quorum ſiniſterior pertinaciſſimè toti pleuræ agglutinabatur, ut citra laceratione divelli non poſſet, dexter verò undique liber erat, attamen æquè flaccidus ac malè coloratus quàm Collega. Cor peramplum, cujus ſiniſter ventriculus vacuus viſebatur, dexter verò grumulis ſanguinis farctus, prætereaque ſubſtantia quædam fibroſa ex rubro albicans, ad orificium venæ cavæ, quâ in ventriculum cordis dehiſcit, reperta fuit, obſidens obturansque tantùm non illud orificium, cujusmodi ſubſtantiam *Nicol. Tulpius* appoſitè cordis polypum indigitavit in Obſervation. Ab hâc itaque unâ tanquam importuno ſcandalo, aditus ſanguini in cor ita impedire

impediebatur, ut circulatione sufflaminata, nectaris vivifici commeatus interciperetur, unde ἀσφυξία, suffocatio tandemque spuma circa os, atque internecio subsecuta fuit, superiores costæ in anteriora mirè projectæ erant: ossa sterni vix pollicem lata: Hæc *Vir Celeberrimus*, quibus addidimus, forte circa ἐγκέφαλον, circuitione sanguinis hunc in modum impeditâ, labem aliquam identidem hæsisse, cujūs quidem examini supersederunt: Mirari quoque subit qui hepar cum liene nectare vivifico prorsus orbata fuerint, nî febrim depascentem assumere placuerit.

Observ. LVII.

De Juvene derepente denato, ex duplici causâ δολοφονίστη.

Ex communicatione Excellentiss. SPONII *Patris.*

Die. 28. Nouemb: Anni 1645. arcessebar ab aliquot præclaris adolescentibus, ut interesse vellem privatæ resectioni cadaveris sui cujusdam coëtanei, subitaneâ morte de medio sublati vocabatur hic Carolus Massias, oriundus ex aquis mortuis maritimo tractus Nemausensis oppido, & quidem ab honestis admodum prognatus parentibus. Agebat autem annum ætatis circiter 23. temperamento quantum conjicere licuit sanguineo-melancholicus, colore ex pallido nigricante præditus, aliàs tamen satis carnosus. Moribus ὀξύθυμος non facilè hilaris, ad actiones seu corporis seu animi promptus ac alacer. Hic apud Iohannem Philibert du Port mercatorem sericeorum pannorum prope Cambii aream urbis hujus Lugduni, ab officinæ institoriæ ministeriis erat, tribus abhinc mensibus belle comesse dicebatur, non tamen dissolutè vixisse. Ecce verò die mensis Novembris 23. febris ἐπισημασίαν incurrit, unà cum capitis φελοδυνία. Quamobrem postridie ad ipsum vocatus fuit Mag. Claudius Pons ordinarius Xenodochii φελοδιάτης, qui visâ febre, venæ sectionem & ὑποκλυσμὸν imperat. Die sequente, quæ Sabbathi fuit, quum febris nihilo ignaviùs ægrum fatigare pergeret, iterum ad V.S. enema ac julepum Medicus gradum fecit. Die Solis seq. Medicus accedens planè ἀπύρετον ægrum reperit, imò veluti sanum obambulantem, & ante focum sedentem: at sub vesperam

reversus pulsum observavit nonnihil concitatiorem, adeoque febrilem. Ibi imperatur julepus leviter hypnoticus. Nocte proximè seq. horâ quartâ post mediam noctem advolant quidam è familiaribus ad Medicum nuntiantes in extremis esse laborantem, quocirca promptè adesse velit. Primâ fronte suspicatur Medicus se ludi; cùm tamen de rei veritate asseveraretur, strato excussus, vestimenta propere induitur, quumq; jamjam domo proditurus esset, supervenit alius ab ægro qui mortem nunciavit. Is casus mirabilis ac præter opinionem visus omnibus, defuncti amicos impulit, ut cogitarent de cadaveris viscerationè instituendâ, ut si qua latens improvisi istius interitus causa subesset, per Anatomen, verum Medicinæ oculum, detenebraretur, sicque de hâc ipsâ chari Parentes adhuc superstites, ac cæteri gentiles, quorum id intererat, accuratè moveri possent. Eâ gratiâ cum laudato Mag. Cl. Pons, vocatus fui, adjunctis Chirurgis duobus hujusce Civitatis, videl. Antoine la Foret & Cyprian. de la Sale. Nobis ergo præsentibus, nec non adolescentibus nonnullis ægro dum viveret amicitiæ jure devinctis, inter quos unus & alter Jo. Moutot, Cephas Danger & Daniel Franc, fisso primùm thorace, reperimus dextrum pulmonis lobum abscessibus scatentem, & thoracis cavitatem ejusdem lateris sero multo cruento repletam, quo pulmones tabidi ac putridi quasi macerabantur. Cor sine pericardio inventum: ipsum autem flaccidum admodum ac facilè lacerabile. In hujus dextro ventriculo sanguinis nihil, cœterùm substantiam carnosam reperimus, flaccidam, subalbam, oblongam, ad digitorum sex aut septem longitudinem, præterea que fibras columnulis quæ ad interiores sinuum cardiacorum parietes affirmantur, pertinaciter adnatam: cujus substantiæ pars producebatur ac propendebat in venam cavam, per ipsius hiatum in cor ibidem adapertilem; altera pars ingrediebatur, & aliquo usque propendebat intra venam arteriosam. Utraque verò hæc productio prævias exiles propagines, easque nulla certâ figurâ donatas, hinc inde emittere videbatur, quod ἀξιοθαύμαστον ac inopinatum spectaculum in memoriam illicò mihi revocavit observationem Neretii apud Schenckium lib. 2. observ. titulo, de carnosa excrescentia ventriculorum cordis

Practicis

Practicis non de nihilo ab Excell. Viro Caſp. Hofman. commendatam lib. 3. inſtit. Medic. cap. 127. §. 1. nec non ſimilem etiam aliam obſerv. Celeberr. Viri Nicolai Tulpii, quam habet ipſe lib. 1. obſerv. Medic. cap. 27. quo loco iſtiusmodi excreſcentiam aptiſſimo vocabulo Polypum cordis nuncupare voluit. Siniſter lobus pulmonis ſatis integellus viſebatur. Colum valdè dilatatum. Omentum macilentum, folliculus fellis multâ bile turgebat. Hepar erat molis immodicæ, (unde perhibebatur æger multi cibi fuiſſe) Cæterum colore & ſubſtantiâ non pœnitendâ, quod ipſum tum de liene, tum de ventriculo, cæterisque abdominis partibus dictum volo. Cerebro reſecto, apparuêre in meningibus venæ turgidæ ſicut & ſinus. Aderat & rubor totius circumferentiæ exterioris. Cerebri medulla multo humore inebriata. Ventriculi ejus omnes ſeroſo ac pituitoſo humore farti. Notandum eſt ante mortem per integrum trihorium jugi delirio fuiſſe conflictatum. Spiritus nec toto morbi decurſu, neque antè difficilis unquam fuit. Tuſsis nulla effatu digna, nulla in pulſibus animadverſa inſignis anomalia, nullæ aut ſyncopæ aut ſipothymiæ: de dolore circa pectus nulla unquam querela.

SCHOLIUM.

Cauſam πολυφονέσλω rogatus familiaris Medicus, Abſceſſum pulmonis disruptum cauſabatur, juxta illud Hippocr. aph. 8. ſect. 1. Quum vomicæ ſeſe exonerant introrſus apertæ, ægri exolvuntur revomunt animoque labaſcunt. Verum hanc cauſam tam promptæ internecionis ſolitariam non fuiſſe judicavi, præſertim cùm vomitus aut expectoratio in aphoriſmo memorata, heic non acciderint. Quinimò credibilius exiſtimârim, abolitum repente fuiſſe cordis pulſum, ob perfectam ventriculi dextri cordis emphraxin, nec non ob totius cerebri ſubſtantiæ à ſero cataclyſmo non tam ἀπόλωσιν quàm ἐπήρωσιν exiguo temporis ſpatio inductam, præ quâ nervorum tonus omnis fuerit diſſolutus. Quocirca non ſine cauſa ambiguum eſt apud me, Apoplexiane potiùs, an ſyncope cardiaca vitæ finem intuliſſe pronunciari debeat. Unde porrò abſceſſus iſte pulmonis? unde ejusdem diaphthora, unde πολυποιότης illa cordis adnaſcentia. Equidem totum τὴν νοσογενεσίας negotium tantâ obſcuritate involvi probè ſcio, vix ut in apricum proferri valeat: ſi tamen aliquis ſοχασμῷ locus conceditur, quidnî meam quoque

mentem heic aperire liceat: laboraverat ut accepi μαλαξίτης ἔτ@ fœdâ ſcabie Lugduni contractâ, quæ ipſi tantopere moleſta fuit, ut cogitarit ſolum natale repetere, ubi vix aliæ aquæ, præterquam vitiatæ ac νοσεραὶ, ad manum eſſe dicuntur pro potu incolarum, neque tali aquarum inſalubritati laudabilior vernaculi aëris indoles comitem ſe præbet, propter ſtagni marini vicinitatem, ac auſtralium ventorum iis in locis frequentiam & prope dixerim, ἀείπνοιαν. Quæ omnia quanta pulmonibus damna infligere apta nata ſint, vel me tacente res ipſa clamitat; ſive viſcus ſuapte fortè jam natura debile ἀπαθέστερον efficiendo, ſive degeneris lenti, ac pituitoſi humoris vim in corpore procreando, cujus pars facto in pulmonem decubitu, abſceſſus ibidem commiſerit, pars in cordis ſinum infuſa dextrum, inteſtinisque ipſius columellis, præ tenacitate ſibi inditâ ſeſe agglutinans, paulatim novo congeneris materiæ allapſu, in eum quem vidimus modum, incrementa capeſſierit. Febricula ex ſaniei per abſceſſus disruptionem in thoracis cavum effuſæ, putrilagine. Per cujus in caput epigeneſin phrenitis emerſit, quam tandem noviſsima infortuniorum incita lethum excepit. Non valde ab hac obſervatione abhorrere videtur, quam Clar. Caſp. Bauh. literis conſignavit in append. ſui theatri anat. huc etiam pertinet obſervat. Clar. Jo. Riolan. Filii, Anthropog. L. 3. c. 12. quæ ſic habet: intra ventriculum dextrum ad orificium venæ cavæ, in quibusdam repentina ac inopinata morte ſuffocatis deprehendi fruſtula carnea pugni magnitudine invicem conglobata, & nuper in Epiſcopo Malleacenſi id à me fuit obſervatum. Proptereà qui premuntur reſpirandi difficultate, cum pulſus interceptione, ſive tuſſi, ſive ulla ſuſpicione hydropis, aut vomicæ, ſuſpectam habere debent repentinam ſuffocationem cordis ab influxu ſanguinis in carnem concreti, qui in diaſtole attractus in ventriculos, cor obruit & ſuffocat.

Observ. LVIII.

Hepar duplicatum: Uteri & oviductuum abſceſſus, Cerebelli & ſpinalis medullæ ſcirrhi, &c.

Anna Brand 17. circiter annorum, cùm aliquoties, ob ſpirandi difficultatem, quâ admodum affligebatur, ſcalas conſcenſura, & menſes reſtitantes, noſtram experta eſſet opem, ſcrofulis in manu dextrâ laborans, ad Chirurgi extranei operam nobis inſciis confugit, qui ipſas ſuppurare, hincque diſparere fecit, bono puellæ augurio: aliquot diebus pòſt, 3. circiter Novembr.

vembr. 1682. cùm orphanotrophii ægros pro more inviſeremus, miſellam offendimus ejulantem ſummoperè, & de atrociſsimis capitis doloribus impetuosè lancinantibus conquerentem (**als wann man mit Kugelen in den Kopf ſchieſſen thäte**) adeò ut convulſivos motus ſubveriti ſimus: cephalalgiam hanc præceſſerat biduo ante qualiscunque horror, cum ſomnolentiâ ac ſiniſtri lateris ſtupore. Medicamentis idoneis quantum licuit malo obviam ire niſi ſumus, cephalicis antepilepticis, iisque quæ humorum acrimoniam ſalſacidam mitigant: Quorum uſu cum dolores aliquantum remitterent, iis porrò inſtitimus, cùm autem febris ſubſequeretur cum oppreſsione circa præcordia vehementi & anxietatibus, unde perquàm laboriosè reſpiravit, pulſu celeri & frequenti, æquali quamvis, etiam his ſatisfacere ſtuduimus præſcriptis julapiis additis blandis volatilibus & terreis abſorbentibus: quibus autem parum effecimus, biduo poſt in deterius omnibus ruentibus, & convulſionibus ægram enormiter invadentibus, ac d. 15. ejusd. ſub noctem machinam penitùs deſtruentibus.

Cadaver quod die 17. luſtravimus, extrinſecus abdomen tumidum oſtendit, cujus interna facies, ablatis integumentis pinguecula fuit: Inteſtina equidem flatibus diſtenta fuerunt, à meſenterio tamen naturali ſuccincta: Hepar quaſi duplicatum, in duas alas ſe diviſit, quarum altera major centrum hujus conſtituit, & dextrum hypochondrium, altera verò linguæ bovinæ æmula, ſiniſtrum exactè occupavit, utraque diaphragmati ſecundùm periphæriam adhæſit, in medio, ubi ligamentum umbilicale inſerebatur, interſtitio evidenti conſpicuo: cætera nec ſcirrhoſum, nec coloris p. n. ſuis vaſis ritè inſtructum fuit: Lien nigricans, hinc inde fiſſuris donatum, pancreas verò pro ratione molleculum: In uteri fundo abſceſſus delituit, ſuo incluſus folliculo, qui vitellum ovi colore retulit, & diſſectus materiam glutinoſam reddidit: nihilominus ſecundum ſe totum uterus naturaliter habuit, nullâ inflammatione vel alio quopiam comparente: infra orificium internum, plexus jacuit glanduloſus ſubrubens & mucum preſſus ſtillans: nec defuit corpus glanduloſum alterum, quod Bartholinus deſcribit l. de Diaphr. Struct.

circa urethram ſ. collum veſicæ ſitum, vel caruncułæ myrtiformes: Ovarium ſiniſtrum elegans fuit, nec ſuis ovulis dextrum caruit: uterque oviductus in medio & circa extremitatem ſui abſceſſum continuit: Venter medius pulmones ſterno & coſtis adhærentes ſubputridos exhibuit: Pericardium ichorem modicum & auricula dextra ſanguinem tenuem ſeroſum, eumque copioſum cum polypo inſigni & grumis protruſerunt: ſimilis ſanguis cranio ſeparato copiosè exſtillavit: Cortex cerebri flaccidus, copioſiſsimum ſerum flaveſcens, idque acerrimum profudit, quale in ventriculis hic illic ſtagnavit, nec firmior fuit medullaris ſubſtantia, quin nates & teſtes cum glandulâ pineali præ flacciditate diffluxerint: plexus choroideus latus ſatis, ſed pallidus omnino. Vaſorum arterioſorum anaſtomoſes, quum nervorum examen aggrederemur, egregiè conſpiciebantur. Cerebellum circa terminationem ſui, ſcirrhos trés globulorum inſtar tangendos præbuit, & unum myriſticæ magnitudine medulla ſpinalis, in ſui exortu, quibus exemptis & diſſectis materia ſubflava, cum premeretur exudavit. Teſtes ſunt Viri Clariſſ. & Præſtantiſſ. D. Hochrütinerus Sangall. D. Scherbius Epiſcopicell. D. Rüdinus, D. Speckerus Baſ. jam Med. Doct. & D. Zäslinus Medic. Licent.

SCHOLIUM.

Hepar ſiquidem colatorii, & juxta nonnullos viſceris mixtorii munus obit, rarò aut nunquam atrophiæ, aut extenuationi obnoxium reperitur, quin è contrà plures ob cauſas & occaſiones quoad molem augeri, & diverſimodis ingeſtis & concretionibus infarciri, ac intumeſcere periclitatur: Hinc ſanitatis ratio non levis in hoc conſiſtit, ut jecur ritè conformatum, ſanguinem uſque liberè abſque tributo, ſeu vectigali nimio ſibimet arrepto, trajiciat: In puerulis ſanè hepar magnum contabeſcentiæ ipſorum, Rachitiden peritiores medici non malè appellant, à mulierulis aliisque, affectus cauſam & rationem formalem minus accuratè inveſtigantibus, ut plurimum cauſa habetur, certumque eſt in ipſis abdomen prominulum ſatis eſſe, præprimis dextri hypochondrii ratione, nec defuit hepar grandius aliis cum viſceribus, Anatome rem perſcrutantibus: Clariſſ. *Williſius* ſuccum nutritium iſthoc in affectu paſſim, & hepatis præter naturali mole, ab hoc intercipi & in proprium uſum converti arbitratur ſect. 2. cap. 2. Pharmaceut. p. 2.

cum

cum quo tamen uſque facere non videtur Clariſſ. Majovius tract. de Rachit. quando, inquit: *Quoad hepar cæteraq; parenchymata, quæ præſertim ex ſanguine affuſo conſtare videntur, ad horum fortè nutritionem ſuccus nervoſus non adeò neceſſarius eſt.* Eſt verò ratione utriuſque, molis & augmenti ex ſanguine accedentis, veriſimilior Williſii opinio, repetimusque heic, quod alibi diximus, ejuſmodi ſuccum, albuminis ovi conſiſtentiâ per nervos affluentem, nec dum nos concipere poſſe: Neque vel hoc ſuppoſito, dubium eſſe potuit Majovio, qui hepar in molem iſtam exurgere queat, ex ſanguine affuſo conſtans, cùm vel ab hujus copiâ, craſſitie ac lentore oppleri ac intumeſcere poſſit, dum nempe ejuſmodi particulas & recrementa in ſinus ſuos ac receſſus intimos facilè nimis admittit, & glanduloſum, à ſucco ejuſmodi glutinoſo ex nervis accedente, pariter infarciri poſſit, atque *glandulæ Meſenterii ſtrumoſæ*: Ut verò unde hæc ſucci nutritii copia interdum accedat, magis pateſcat, vaſa hepatis perveſtiganda ſunt, de quibus Diſſertat. de Viſcer. ſtruct. Portæ rami conſpicui ſunt admodum. qui tamen non tam nutritiis partibus, quàm bilis materiæ advehendæ deſtinati eſſe videntur, cruore reliquo per cavæ ſurculos refluente: Reſtat ergò arteria hepatica cum ſuis propaginibus, quæ uti alibi loci arteriæ univerſim, nutrimentum adferre dicenda eſt, graviterque hallucinatus eſt Clariſſ. *Gliſſonius* quando cap. 24. Anatom hepat. nullam arteriæ hujus partem in hepatis parenchyma exporrigi, ſed in vaſa ſolum abſumi inquit, ceu in hepatis excarnatione manifeſtè videatur, aliud quippe nos docuerunt injectiones ex cerâ in hanc arteriam factæ, quibus verſus acinos glanduloſos hepatis illam diſpergi etiam notavimus, unde citat. Diſſertat. arteriam iſtam ramulis multâ ſui parte (non omni ceu *Gliſſonius* contendit) in tunicam portam inveſtientem abſumi ſcripſimus: nec potuit fieri aliter, nî ſucco nutritio glandulas defraudari velimus. Quicquid ſit, aucta hinc hepatis moles ſupra modum, machinæ animali multum officere poteſt, enim verò ut propriæ functionis ad quam legitima partis conformatio inde & magnitudo requiritur læſionem omittamus, muſculi abdominis inde tenduntur, quorum tamen motus, etiam ad chylificationem perficiendam neceſſarius uſque eſt, & diaphragma in actione ſuâ impeditur, unde reſpiratio libera ſatis non eſt, premunturque à pondere tali nimiùm partes vaſaque ſubjacentia, lymphica, ſanguifera, ac interdum nervea: Acceſsit in *Virgine* noſtrâ ſanguinis totius dyſcraſia ſeroſa, quâ ſimul etiam lympha infecta fuit, cui an hepatis moles primam originem, an huic illa præbuerit, Eruditi dijudicent; aliàs abſcedentibus nimiùm particulis oleaginoſis ac balſamicis, ex humorali maſſâ, aqueæ potiſsimum relinquuntur, quæ dehinc fluctuando cum ſalinis reliquis acrimoniam frequenter acquirunt, partibus pneu-

monicis

monicis maximoperè nocivam membranisque, unde dolores lancinantes atrociſsimi, vel etiam viſcidiores, connubio variè inito, in glandulis ſubſiſtunt, earumque poros opplendo, ſcrofuloſi quid producunt, vel circa ἐγκέφαλον copiosè abſcedentes & collecti, glandularum, ductuumque tonum enervant, ut præ flacciditate tantùm non diffluant, ſubſequente ſopore & hemiplegia, imò genus nervoſum graviter vellicando, hujusque incolas, quibus accreſcunt facillimè, inquietudines anxietates & motus convulſivos cauſantur: nec fieri poteſt, quin in iſtâ cerebri ac cerebelli labe ſpiritus animalis in nervos cardiacos influxus tantiſper prępediatur, cordisq; motus parvus ſubinde fiat, ſanguine ſoluto acri cum polypis non rejecto, qualem in thalamis cardiacis obſervavimus & ſeparato cranio profluere vidimus: De ſcirrhis cerebri actum in Diſſert. de Viſcer. Struct. dubiumque nobis non eſt illos, ex viſcido in glandulis corticalibus cerebelli & ſpinalis medullæ aggeſto, ſeu potiùs harum ſubtiliſsimis poris, ab adventante continuâ ſeri copiâ laxatis nimium, ſenſim impacto pullulaſſe, cerebri cortice ab eodem ad flaccicitatem inſolitam priùs redacto, præ qua glandula pinealis ipſa tantùm non diffluxit, non exiguo machinæ animalis detrimento, ſi Nobiliſſ. Carteſium audimus: Poſſunt quoque ejusmodi ſcirrhi, utut rariores, ſi grandiores fuerint, comprimendo funiculos medullares cùm ab ipſis tum confinibus glandulis emanantes comprimere, ſpirituumque in partes in quas illi diſperguntur influxum cohibere: Abſceſſuum qui in utero & oviductibus delituerunt materiam, glandulæ his in locis haud dubiè ſuppeditârunt, vel ſi mavis arteliorarum ſtupendo artificio diſſeminatarum pori ab accedente viſcido tantiſper diſtorti ac ampliati, particulis ramoſis ac ad motum ineptioribus, ſibi mutuò conglutinatis & ceu ad latera ſtudiò protruſæ eſſent, folliculum cui materiæ reliquum incluſum fuit formantibus: de plexu glanduloſo ad regiam orificii interni nobis viſo, pauci quantum meminimus ſcripſerunt, nec aſſerere poſſumus, in omnibus ipſum æquè evidentem eſſe, nulli autem dubitamus, mucaginoſi liquoris ſecretioni ipſum mancipari. Cæterum de variis uteri ac oviductuum tumoribus, rebusque in ipſis repertis infeliùs hiſtorias aliquas proponemus.

Observ. LIX.

Hepatis abſceſſus.

Cum anno 1675. Pariſiis Chirurgiæ operam daremus, curæ noſtræ commiſſus fuit Vir conſiſtentis ætatis, faciei colore flaveſcente,

veſcente, pilis ſubrufis, ſed minùs lautæ conditionis, qui vulnere â gladii ictu profundiore infra coſtas nothas inflicto, abſceſſum hepatis incurrit, ita ut per ſex ſeptimanas materia purulenta copiosè manaret, eò majori cum periculo, quò in hepatis parenchyma ſtylus profundius adigi potuit: Hic octo circiter ſeptimanarum ſpatio ab affectu funeſto liberatus fuit, medicamentis balſamicis, ac vulnerariis detergentibus ac conſolidantibus, internè & externè uſurpatis, Nobili alio, quem ſimili malo laborantem eodem tempore curæ ſuæ creditum, Dnus Morellus, Chirurgus peritiſsimus ter de die inviſebat, paucorum dierum intervallo, è vivis excedente, adeò abjectioris ſortis hominibus quandoque præ divitibus Natura favere dicitur.

SCHOLIUM.

Quas prærogativas univerſus Medicorum Veterum chorus hepati tribuerit, omnium in ore decantatum eſt, nec latere viciſſim poteſt Artis ſedulos cultores, quam miſeram ſortem expertum fuerit, aliquibus ad aſtra illud evehentibus, & pro parte principe atque ſanguificationis organo primario venditantibus, aliis eidem exequias canentibus: Illuſtris ſanè Thom. Bartholin. utut primùm hepatis partes ſtrenuè defenderit, ceu videre eſt Cent. 3. epiſt. palinodiam mox cecinit; enim verò vaſorum lymphicorum, lymphæq; motus inventio hepar de throno dejecit, verba ſunt Stenonis ad laudat. Barthol. Epiſt. 58. exſurrexit inde Anton. Deuſingius, qui exautoratum idem, priſtino honoris loco reſtituere ſagit, ſed irrito, quantum novimus ſucceſſu, nec enim autopſiæ & rationibus Virorum Clariſſimorum ſolidè reſpondit, vel aſſenſum apud cordatos Medicos reperit: Eſt nihilominus hepar viſcus nobiliſsimum, cujus actione, quamvis ſanguis præcisè non elaboretur, pro chylo tamen abſolvendo, neceſſariæ particulæ generantur & ſuggeruntur, imò ſanguini ipſi cum chylosâ materiâ neceſſarios ob uſus deinceps ſuffunduntur, ceu ſuperiùs monuimus: Vaſorum quoque innumera cohors, functionis neceſſitatem ac utilitatem probat, evincitque ſimul, quàm periculi plena labes ipſi illata haberi debeat, uti ſunt pertinaces obſtructiones, à materiâ viſcidâ, tartareâ, non rarò calculos poſt ſe relinquente, vulnera item profunda, inflammationes & abſceſſus: nempe jugis ſanguinis, per infinitos vaſculorum ramulos affluxus, non poteſt non in vulneratis graviſsima ſymptomata inducere, dum vel nectare vivifico homo miſerè defraudatur, vel ab eodem ſuppurante, particulæ nocivæ cruori per cavæ ramos refluo miſcentur: ſicque febri lentæ viam

pandunt, præprimis etiam in functione ſuâ pars iſta valdopere impeditur: accidit nihilominus ut læſa vaſcula capillaria ſive ſecundum extremitates ſuas, ſive gravius, glandularumque fibrillæ diſtortæ, vel ruptæ aut eroſæ, medicamentorum ope ſeparentur & ſuppurent, illaq; vel ſubſideant prorſus & conſolideſcant, aut noviter una cum harum reliquiis, ſupervenientibus idoneis particulis procúdantur: id quod rarò admodum accidit, inde Hippocrates l. 1. de morbis: ἐνδέιαζε δὲ τὰ τοιάδε ἀποκῦναί τε ἐς μὴ πρηωλδμονίη κακοῦσθαι φρενίτις, πλευρίτις, κυνάγχη, σαφυλὴ ὑπαλίτις, σπληνῖτις Interdum verò labes ejusmodi funeſta ſenſim viſceri huic infertur, à particulis ſalinis acribus, vaſculorum oſcula rodentibus, vel aggeſtione ſui præter naturam diducentibus, ſicque ſanguine erumpente abſceſsibus, & unà ſubſiſtendo, inque glandularum poris hærendo, calculorum ſuccretioni materiam præbentibus, quibus confirmandis ac illuſtrandis inſervit hiſtoria, quam à Clariſſ. Sponio Filio accepimus An. 1678. Poſtridie (inquit) Kal. Quinctilis menſis St. Nov. diſſectum fuit à Chirurgo M. Feline coram Dn. Andreâ de Lucque Doct. Med. cadaver honeſtiſſimæ matronæ, Dn. FranciſcæVoyſin, uxoris Dn. Petri Hugonet, Aromatarii hujus urbis, quæ fœmina ætate erat plusquam quadragenaria, pluriumque liberûm mater: Hepar deprehenſum, magnum, exſuccum, friabile, putridum, innumeris exiguis abſceſſibus ſporadicè farctum ac veluti confixum. Pulmones itidem putridi, non tamen coſtis affixi: Pancreas totum ſcirrhoſum. In veſiculâ fellis calculi aderant N. V. duo majuſculi, mole nucis moſchatæ, reliqui dimidio minores, omnes figuræ cubicæ, ſed obtuſis angulis, colore candicantes aut ſubflavi, quaſi παιπάλῃ quâdam ſulfureâ inſperſi: pondere mirè leves, aquæ ſupernatantes (*oleoſitatis ſuæ indicio*) E minimis unus pendebat aurificum gr. X. alius gr. XXI. tertius denique gr. XXIII. E majuſculis unus pendebat gr. 52. alter gr. 42. & dimid. Epiploon & Inteſtina omnia luteo colore delibuta ac illuviei felleæ innatantia: In cæteris partibus nihil deſideratum. Per menſes duos decubuerat, de ventris cruciatibus aſſiduè conquerens, quibus inſolentiùs debacchantibus, motus in ventre percipiebatur, quaſi infantis ſubſilientis, cum frequentibus nauſeis, animi deliquiis, lumborum doloribus, nec non coxendicis & omoplatæ dextræ. Quibus omnibus placandis fruſtrà compluribus enematis, venæſectionibus item non paucis, fotibus, potionibus ac julepis anodynis pugnatum fuit. Fruſtrà quin etiam hydrops ſiccus ad mentem aph. XI. ſ. 4. à Medicis clinicis ipſi auguratus fuit: *hæc ille.* De calculorum in veſiculâ felleâ exortu, anſam dicendi heic haberemus, nî materiæ hujus partem eruditè abſolviſſe Cl. Sylvium nôſſemus, ſufficit vel tranſudantibus vel deficientibus particulis aquoſis, quibus ne craſſior & ad motum ineptior evadat, bilis

omnino

omnino opus habet, particulas ramosas irretitis salinis terreisque pauxillis, conglutinatas sensim & in calculos combinatas fuisse, erosamque ab acri, cujus suprà meminimus, glanduloſam hepatis substantiam, non modò putruisse, sed ichori bilioso exudandi usque & abdominis contenta alluendi viam parâsse, nec enim illuvies ista, cui intestina innatabant, impeditâ bilis in hepatis acinis secretione, per ramorum portæ in mesenterio tunicas transudâsse videtur, cùm in iis bilis reâpse existere dici nequeat, de ductuum verò hepatici vel cystici ruptione vel erosione, in historiâ mentio nulla fiat: quin imò calculi vesicam opplentes, bilis per tubulos regurgitationem promoverunt in erosam hepatis substantiam: aliàs hepatis structurâ incolumi, ejusmodi regurgitatio facta in M.H. icterum parere solet: *Motus* quasi infantis subsilientis, spasmodici fuerunt, à tam acri ichore fibras nerveas intestinorum splanchnicasque miserè exercente, ut valdopere miremur, V.S. hanc ob rem iteratò institutam fuisse, quæ quidem Medicorum imperitorum sacra anchora esse solet.

Observat. LX.

Lien magnus. Icterus cum tertianâ, quartana cum motibus Epilepticis.

Ulricus Baumann. Sangallensis textor, quadragenario major, An. 1672. in nosodochium admissus fuit, febri tertianâ conflictans, (quam paulatim Icterus comitari cepit, malum quo aliàs comparente, febris evanescit) urgebat sitis, appetitus prosternebatur, artus defatigati erant, dextrumque hypochondrium aliquo modo tensum: Excell. Glaserus, Medicus tum temporis ordinarius vinis medicatis deobstruentibus ac vacuantibus, aliisque naturam juvare studuit: præscripsit hinc:

℞. Radic. plantag. ʒvj. fol. taraxac. mj. summit centaur. min. p. ii. fol. sen. mund. ʒviij. rhabarb. el. ʒiij. crem. tartar. semin. anis. an. ʒj infund. in aq. font. vin. alb. vet. ana cyat. 2. sumat singulis manè cyath. 1,

℞. Sal. prunell. sacch. albiss. ana ʒj. f. pulv. ten. potui ord. immiscendus. Item

℞. aq. centaur. min. ℥ij. syr. de succ. plantag. ℥j. pulv. ocul. cancr. sal. absynth. ā ℈ß sumat semihorâ ante paroxysm.

Quibus pro ratione inſtitit, aliaque viciſsim addidit cauſæ occurrentia, ſed ferè in caſſum, licet enim inducias febris aliquando dederit, mox tamen recruduit, imò obſtructionibus adauctis in quartanam tranſiit: cui rurſum ſtudiosè obviam ivit medicamentis variis

℞. Maſſæ pill. tartar. Q. gr. xij. reſin. jalapp. gr. vj. diagryd. gr. iij. ol. deſt. ſuccin. gutt. j. f. pil. No. XI, D. adſc.

℞. Rad. cichor. fœniculi polypod. querc. ā. ʒß. gentian. ʒiij. cort. tamariſ. ʒij. fol. chamædr. mij. ſummit. cent. min. p. ij. inciſa infund. in aq. font. vin. alb. vet. ā. ℔ij. Infuſionis hujus ℞. ā. ʒjv. cui add. Tinctur. Mart. Tart. ʒß. ſumat mane & veſper. &c.

Æger cùm per annum ferè variis hiſce malis, ita cruciaretur, medicamentis chalybeatis utcunque bene habere videbatur: d. 22. Maji. 1672. Vini abſynthites potui indulgens, convulſionibus miſerè torqueri cepit, tandemque ſuffocatus obiit: In cauſam mortis cultro inquirens Clariſſ. Glaſerus noſter, hepar inſolitæ magnitudinis offendit, ſubdurum, cujus naturalem magnitudinem lien molis ſuæ ratione optimè æquavit: omentum omnino putruerat: inteſtina lumbricis referta erant: ſangis fœculentus & tartareus lienis cellulis inciſis proſiliit; ſerum quoque acidis ſalibus prægnans magnâ copiâ in abdominis cavo ſtagnavit: pariter etiam thoracis capacitas plurimum ichoris continuit: cor omnino flaccidum fuit: Cerebrum apertum circa ſui baſin, ad ſpinalis medullæ principium ſerum acre & auſterum ad ʒv. & ultra exhibuit.

Observ. LXI.

Lien ſcirrhoſus & calculoſus: Vaſa emulgentia in utroq; Renum duplicata: polypi in vaſis cordi appenſis longiſſimi &c.

N. W. puer 14. circiter annorum, ſcrophulis laborans, cùm plurimorum remediorum virtutem, mali hujus pertinacia ſpreviſſet, cum ſociis Empirico cuidam, apud vulgus (quæ hominum ſolet eſſe imprudens imbecillitas) haud incelebri commendatus

mendatus fuit, qui aureos montes pro more promiſerat: Præparato itaque corpore medicamentis quæ ipſe exhibuit, Mercurium propinavit, ut qualemcunque ſalivationem, ægrorum bono cieret, neque effectus fefellit. Redierunt poſt ſeptimanas plures, quotquot ejus curæ fuerant commiſsi, à malo uti perſuaſit Medicaſter ille, jam liberati & inpoſterum immunes futuri: aſt falſidica fuit iſthæc prophetia, ſiquidem in aliquibus glandulæ partim denuò intumuerint, in aliis verò penitus non detumuerint: Miſellus præprimis iſte mali recrudeſcentis ferociam ſenſit, cui equidem mitigandæ Chirurgus ordinarius diligentem impendit operam, ſed in caſſum, invadente enim interea tuſsi & reſpirandi difficultate, totoque corpore emaciari incipiente, æger in deterius magis magisque lapſus eſt, àque medicamentis parum omninò levaminis ſenſit: ultimis diebus ſputum purulentũ crebrò vexavit imbecillem, & neſcimus, quis bolus è thorace adſcendere videbatur, deglutitionem & reſpirationem ſummopere intercipiens: præſcripta fuit hunc ob finem d. 8. Aug. 1682. mixtura cardiaco carminativa per cochlearia ſumenda, ſed vix dum de hâc ipsâ ſumere potuit, & mortis agone fervidè ſub veſperam correptus fuit, uſque dum ſummo mane diei inſequentis blandè obdormiverit, vitamque hanc mortalem cum immortali commutaverit. Cadaver d. ante ſepulturam præſentib. Vir. Clariſſ. & Præſtantiſſ. è quibus præprimis D. D. Zuingerum Baſ. D. D. Zollicoferum & Hochrutinerum Sangall. honoris gratiâ nominamus, incidimus: Abdomen exterius aliquantiſper inflatum apparuit, intus verò tantillum ichoris in ſui cavitate continuit: Epiploon extenuatum & ab humorum acrimoniâ aliquantiſper eroſum rubuit, miliaribus glandulis adſcititiis duriuſculis refertum: Ventriculus & inteſtina flatibus erant diſtenta: Hepar à dextris ſuaviter incumbens, pro ratione laudabiliter habuit, & non niſi in extimâ ſuperficie aliquam labem oſtendit: Veſicula fellis bile viſcidâ, ſubatra turguit, ductus ejus ſummoperè anguſtabatur, præcipuè à glandulis albicantibus & duris, circa exortum ferè ipſum cingentibus: Pancreas ſub ventriculo recumbens duriuſculum extitit, & circa duodenum ubi ejus ductus inſeri conſuevit naturaliter, ſcirrhum minorem exhibuit:

Inteſtina cingens meſenterium glandulis ſcatebat induratis & caſeoſis: Lien à ſiniſtris poſitum, ſubatro colore luxit, cœterà ſcirrhoſus, profundè craſſus, & extremitatibus ab intùs diſtendente materiâ verſus baſin tractis corrugatus: prope medietatem ejus corpus protuberavit induratum, globulum majorem exæquans: Inciſione factâ, materiâ caſeosâ & arenosâ, & alicubi purulentâ, veſiculas ejus infarctas undique deprehendimus: Renes bini fiſſuram circa vaſorum introitum inſigni erant inſtructi, vaſis emulgentibus duplicatis, uterque donati, Vaſa ipſa ambiebat undique gelatina, manibus pertinaciter adhæreſcens: Propter vaſorum diverſis in locis ingreſſum, figuram quoque mutâſſe videbantur, verius enim cuniculum in uteri latebris adhuc ſubſiſtentem, quàm phaſeolum retulerunt: neque ſuccenturiantes defecerunt, longitudine ʒiij. ſuperantes & vaſis ab emulgentibus enatis egregiè ornati: Thorace aperto, ex latere ſiniſtro, pulmones liberos, ex dextro autem coſtis fortiter adnatos vidimus, maximam partem purulentos: In ipsâ ventris hujus cavitate aliquid aquæ hæſit, cujus majorem copiam in pericardio offendimus: Glandula thymus ſcirrhoſa admodum non fuit, neque ſecundum ſpinæ ductum quidquam iſtiusmodi animadvertimus: Auricula cordis dextra polypum fovit longiſsimum in ramum uſque ſubclavium protenſum, cui ſimilem ferè continuit arteria venoſa cum ſanguine quâ grumoſo, quà tenui, ſeroſo, multo. Sola arteria magna hisce caruit. Atque his ſuo corpuſculum loculo redditum fuit.

SCHOLIUM.

Ad Obſervat. LX. & LXI.

De hepatis lienisvé mutuâ invicem conſpiratione, Diſſert. de ſtructur. viſcerum diximus, nec aſſerti pœnitet; enimverò quò magis expanſas à venæductibus cellulas veſiculoſas conſideramus, cum arteriolarum & nervorum copioſiſsimorum artificioſo compigmento, in ſententiâ quam ibidem de novâ ſanguinis actuatione & particularum, motu illo incipiente, blandâ diſſociatione probabiliter exhibuimus, confirmamur, perſuaſumque habemus firmiter, texturam ejus ita fabrefactam fuiſſe, ut cruor aurâ animali noviter vigoratus, per illam peculiariter quaſi circuletur, id quod reticulares arteriolarum plexus, quibus venæ

per

per anaſtomoſin vel tertium aliquod non junguntur, nobis perſuadent: In eâdem Diſſert. de *Liene magno* aliqua delibavimus & quî ille ſuccreſcere poſſit: Præſentes hiſtoriæ & calculoſi & magni lienis exempla ſiſtunt, vidimusque hujus incipientis exemplum in fœminâ nobili triginta annorum, cùm acidulis Petrivallenſibus uteremur: abortiit illa bis, antequam malum affligere ſentiret, jamq; per intervalla atroces dolores in hypochondrio ſiniſtro percipit liene ad regionem umbilici, versùs dextrum hypochondrium ſe expandente. Sanguinem lenteſcentem & ad motum inertem, craſſum viſcidum in cellulis lienaribus facilè ſtagnare, vel fluidiorem ſed ſale ſoluto acido imprægnatum in grumos promptè cogi, ibidemque ceu oſculis venoſarum extremitatum improportionatum ſubſiſtere, imò comprimendo nervulorum ſurculos, ſicq; Spiritus animalis, ſingula pervadentis ac in motum ſuſcitare nitentis affluxum cohibendo, ulterius augmentum acquirere extra controverſiam poſitum exiſtimamus; enim verò præter ratiocinia dicta, ſanguis fæculentus & craſſus è lienaribus cellulis inciſis profiliens in hiſtoriâ priore, eædemque calculosâ & caſeosâ materia ſaturatæ atque ad attactum ſcirrhoſæ in poſteriore, illud ſatis teſtatum faciunt: ſanguis verò ejusmodi diatheſin, contrà quam vulgò arbitrantur, rarius vitio viſcerum vulgò dictorum, aut ſi mavis, partium glanduloſarum, functione cui deſtinatæ ſunt, ſanguinis depurationi vel vigorationi deſtinatarum, acquirit, ſed primordia ejusmodi à chylo particulis inertibus, viſcidis, aliisvè acidis ſalſis, fæculentis ſaturato, verbo, qui aſſumptorum vitio magis, quàm menſtrui ventriculi & inteſtinorum, ſubigi & legitimè concoqui non potuit adipiſcitur, viſceribusque dehinc particulis ſimilibus labem inferendo, & glandularum poros infarciendo, lymphæ legitimam ſecretionẽ & motum impedit, utq; hæ ſtagnent, particulis tenuioribus & aquoſis abeuntibus coagulentur, vel vaſcula quibus continentur, impleant, diſtendant & quandoq; rumpant efficit (cujus indicium evidens eſt ſerum in thoracis & abdominis cavo copiosè ſtagnans, ut & circa cerebri baſin acre collectum, motuum convulſivorum parens) vel etiam in ſanguinem deinceps regurgitent: præprimis autem particulæ tales, quæ cùm noviter generantur, tum quibus refertus eſt adhuc, uſque ſeparari ab aliis nequeunt, atque ſic lærna malorum in corpus utrinque derivatur: In ſcrofuloſis glandularum in collo tumor, uti à viſcido caſeoſo, poris impacto & ſtagnante prodit, ita glandulas in meſenterio pari materiâ farctas, utplurimum commonſtrat, docuitque nos Anatome, tum lumbares tum alias circa œſophagi ductum & faciem vertebrarum thoracis interiorem unà cum thymo, inſigniter ſcirrhoſas in iis evadere, reliquo ſanguine ſeroſo acri & ſoluto in vaſis fluctuante, quin imò lymphâ ſimili vaſcula heic illic rodente & extillante, præ-

te, præprimis autem pulmonũ mẽbraneas veſiculas aggrediente, in aliis citius quidem, tardius in aliis: nec deeſt ratio; acido enim & ſalſo in corporibus cumulato, viſcidum facilè ſubnaſcitur in cruore hinc & lymphâ, eadẽq; ab aſſumtis talibus ut plurimum ſuppeditata & malè ſubacta, chylum ejusdẽ farinæ imò & lymphã deinceps ſubminiſtrant, quibus inde farcientibus glandularum tum interiorum tum exteriorũ poros, eas intumeſcere magis magisq; ac indureſcere neceſſe eſt: Ad viſcidi talis ſolutionem mercurialia præ aliis laudari ac convenientia eſſe novimus, ipſiq́ue pillulas mercuriales hanc ob rem paravimus & aliquibus iſtiusmodi glandularum ſtrumoſis, vel ſcrofuloſis tumoribus detentis exhibuimus: Id verò juxta notavimus, quamvis glandulæ detumuerint, frequentiſſimè vel febrim ſuperveniſſe cum tuſſi & reſpirandi difficultate funeſtis, ſanguinis craſi à Mercurio magis ſolutâ, ſeroq́ue ejus acriori & tantùm non corroſivo reddito, remanentibus in ipſarum poris tartari fæculentiis, vel unà rurſum intumuiſſe, rationemq́ue aliam invenire hactenus non potuimus; quàm ſolvi interdum viſcidi in glandulis exterioribus particulas, easdemq́ue per ductus ſalivales, aut ad glandulas inteſtinales depoſitas, per alvum excerni, ſed nec ſemper nec ex toto, & glandularum meſenterii, vicinarumq́ue caſeoſitates uſque non diſparere, unde novus fomes facilè accedit. De febribus, quibus *Baumannus* diu conflictatus eſt, anſam heic differendi nanciſcimur, quarum eſſentia ſive ratio formalis in obſcuro hactenus relicta fuit, Authoribus variè & diverſimodè ab invicem ſentientibus, enimverò ut Vett. opinionem de ſanguine hujusq; humoribus in & extra vaſa putreſcentibus, & hinc calore cordis aucto linquamus, ſunt etiam ex recentioribus plures, qui febris eſſentiam in motu ſanguinis æſtuante quærunt, ceu ex Williſii erudito de febribus ſcripto colligimus, in quo febrim dicit eſſe motum ſanguinis inordinatum & immanem hujus efferveſcentiam, cum quo pariter Clariſſimus Sylvius ſentire videtur, dum pulſum frequentiorem ac præter naturalem pro ſigno febrium pathognomonico aſſerit, indeq́ue in hujus effecti cauſas inquirens, ad Spiritus acidi, ſaliſq́ue lixivi in corde efferveſcentiam confugit, ceu in ipſius de febribus Diſputationibus prolixiùs videre eſt: alii è contra, uti pulſum celeriorem pro indubitato ſanguinis copioſiore ac frequentiore circuitu non admittunt, ita viciſſim *hunc* cum ſanguinis ebullitione, effectum potius quàm eſſentiam conſtituere arbitrantur, videſis quæ Excellentiſſ. *Screta* Chymiater Celeberrimus tractat. de febr. caſtr. hac de re conſignavit: Attendentibus ſanè ad febrium invaſiones & ſymptomata, modumq́ue operandi medicamentorum, quibus opem ægrotis ferimus, patebit nos coaguli ablationi, vel viſcidi ſolutioni potiſſimum intentos eſſe, utque verbo explicemus, eò operam noſtram dirigere, ut cùm ſanguini tum

lymphæ

lymphæ motum diſpoſitionemque laudabilem reddamus, remotis omnibus, horum fluxum refluxumque inhibentibus ac morantibus: Ipſe Clariſſ. *Sylvius* in intermittentibus ductuum Pancreaticorum lateralium obſtructiones ſæpiſſimè crepat, quid nî ergò & nos cùm lymphæ tum ſanguinis in vaſis glandulisque ſtagnationem ac lentorem, vel grumeſcentiam variis de cauſis ſuboriri ſolitam, de quibus ſuprà laudati *Nicandri* noſtri ingenioſiſſima meletemata prolixiùs legi merentur: in noſtro textore utriusque horum vitium adfuiſſe poteſt, ſibique in glandulis hepaticis, cùm de tenſione & dolore hypochondrii dextri ſtatim conqueſtus ſit, ſedem fixiſſe ſatis pertinacem, adeò ut nec ab Ictero ſuperveniente, quo alias tertianæ criticè terminari ſolent, febri liberatus fuerit, quibus meritò jungimus ex ejusmodi ſanguinis torpore & lenteſcentiâ, veſicularum lienarium impletionem quam aliqui (inprimis ſi quæ de ſanguinis per lienem circulo, febrisque eſſentiâ modò diximus perpendere libeat) pro primario febrium foco haberent, quartanæ præprimis: Fieri ſanè potuit, ut iſtius viſceris labes, humoris bilioſi legitimam ſecretionem ſufflaminando, non tam ſui, quàm ſanguinis ipſius vitio, Ictero certiorem anſam dederit, febri nihilominus perſiſtente, enervatisque viribus & fatiſcente ſanguinis ſpirituumque animalium motu, præviis convulſionibus, quas à ſero auſtero ſuperiùs deduximus jugulaverit: Nobis ex conſpicuâ viſcerum noxâ, iſta probabiliter concluſiſſe ſufficit.

Observ. LXII.

Vomitus funeſtus à pylori ſcirrhoſitate.

Ex literis Excellentiſſ. SPONII *Menſ. April. Ann.* 1686. *ad nos exaratis.*

Optatiſsimæ tuæ ſub dato diei 17. 27. Martii aliquid reſponſiunculæ abs me omnino exigunt, etiamſi tuis illis ἀνλάξια, vix in mentem modo ventitent ulla. Pylori σκιῤῥωσίας tibi nondum frequenter viſas, facilè credidero, quas nec plerisque aliorum Practicorum innotuiſſe credibile eſt, cùm de ipſis pauca planè ſuis in lucubrationibus delibent: Attamen hanc quoque partem, aliarum inſtar, talibus affectionibus, variisque ſive tumoribus, ſive etiam ulceribus patere, minimè dubitandum tecum cenſeo. De hujusmodi verò morbo video Clariſſ. Ioan. Riolanum noſtrum appoſitè meminiſſe l. 2. Enchir. Anatom. c. 23.

Vomitus accidit, (inquit ille) vel propter orificium ſuperius ventriculi obſtructum, vel orificium inferius. Si ſuperius alimentum ceſpitat in orificio ſuperiore, moxque rejicitur, ſi in pyloro vitium eſt, alimentum aliquanto tempore retentum excernitur. Porrò præter Vaſalium nuper defunctum, quo de in prioribus meis, duorum aliorum, ſimili affectu extinctorum, hiſtoriæ commodum mihi nunc ſubeunt, quas heic libenter tibi communico: Ann. 1675. Menſe Martio, in cadavere adaperto Dn. Charaveji Negotiatoris Seplaſiarii hujus urbis Lugdun. vomitu perpetuo per menſem ante obitum conflictati, qui ſucceſſerat colico cruciatui, quo per tres quatuorvé menſes antegreſſos vexatus fuerat, Pylorus deprehenſus fuit prædurus ac quadantenus cartilaginoſus, ſuo in orificio valdè coarctatus, & extra prædicti orificii fines tumor apparebat formâ oſsis hyoidis, mole ovi gallinacei, ſubjacebat pyloro pancreas durum ac ſcirrhoſum, comprimens pylorum cui adhærebat, ita ut nihil ex ventriculo egredi poſſet. Ventriculo ſuper incubabat magna jecinoris portio, ſub cujus fornice glutinata viſebatur illâc peragrantis coli lacinia, quæ ſcalpello ab hepate ſeparanda fuit. Prætereà colo illâ parte veſicula fellis bile nigrâ turgida inequitabat, quæ humoris iſtius ſulfurei contenti portionem, inter duas coli membranas eructando, colicum pathos, quo tamdiu afflictus vixit, excitârat. Eodem anno menſ. Aprili, Dn. Vulpianus Civis Viennenſis, vomitu perenni menſe uno & ampliùs detentus, tandem occubuit, die 7. prædicti menſis, cujus corpore adaperto Pylorus repertus fuit, tumore ſcirrhoſo obſeſſus, ferè in cartilaginis naturam induratus, molis ter amplioris, quàm naturaliter eſſe ſolet, unde meatus ipſius adeò ſtrangulabatur, ut nihil illac pervadere poſſet, atque ita aſſumpta quælibet per vomitum rejectabantur neceſſariò. Prætereà ductus cholidochus obſtructus erat, unde cyſtis fellea heic extumuerat ad ovi gallinacei magnitudinem felle corrupto ac fœtente diſtenta, ad nigrum potiùs, quàm ad fulvum colorem tendente: quod ipſum fel in fundum ventriculi latenter effundebatur, quâ ratione laborans, picrocholus ἄνω validiùs evadebat. Reliquis in partibus, ſive naturalibus ſive vitalibus nihil deſideratum niſi quòd præ atrophiâ

phiâ impendio emarcuerant, ac impalluerant, ut par eſt univerſæ.

SCHOLIUM.

De ſcirrhoſis pylori tumoribus Diſſertat. de Viſcer ſtructur. quædam meminimus, unde hæc ipſa ex literis Viri perpetuâ laude digniſſimi pleniùs heic exponere conſultum fore duximus, utpotè ulteriorî lucubratione opus habentia: Equidem de vomitûs ratione formali, cauſisque variis in hernioſis inferiùs dicetur: alia verò heic occurrit, eaque notabilis, glandulæ pylori in ſcirrhum excreſcentes, ob quas impeditæ in motu ſuo verſus inferiora, ſicque laceſsitæ fibræ interiores, motus impetuoſos à ſiniſtris incipiunt, totamque ſtomachi capacitatem coarctando & verſus orificium ſuperius ducendo, omnia per vomitum reddi faciunt, cujusmodi quid ab inflammatione ex medicamenti exhibitione in canibus inducta, item etiam excoriatione, muco exeſo, ſubſequi vidimus: Excellentiſſ. Williſius, hiſtoriam profert l. 1. de Medicam. operationibus, Juvenis illuſtris diu cachectici, qui vomitu crebro & per plures menſes quotidiano laborans, viribus ſummè attritis mortem obiit, in cujus cadavere aperto, deprehendit pylorum tuberculis ſcirrhoſis valde teneris, & ſenſibilibus circumcirca obſitum, quæ hiatum ejus pene occludebant, adeò ut chylus nodorum interſtitiis impactus, ſummè putreſceret: præprimis autem hinc confirmantur glandulæ ſtomachicæ, quas circa pylorum maximè conſpicuas eſſe jam Excellentiſſ. Brunnerus notavit: easdem majuſculas omnino in cane moloſſo ſtrangulato haud ita pridem vidit, unà nobiſcum Clariſſ. D. Licent. Mejerus, Scafuſ. ſervamusque portionem tunicæ glandulosæ in ſpir. vin. inter rariora noſtra: id verò uſque nobis ex præſentibus hiſtoriis non conſtat, an veſicula fellis peculiari ductu, inter duas coli tunicas liquorem eructaverit, an verò hujus per membraneæ veſiculæ poros tranſudâſſe aliquid inque coli poros atque ejus cavum receptum fuiſſe, auguratus fuerit, cujusmodi quoque dubium nobis exemplum alterum ſuggerit, de cyſti dictâ obſtructâ, fel ſuum in fundum ventriculi latenter effundente; enimverò picrocholus evadere potuit ingeſtis in ventriculo ad neceſſariam ſolutionem & ſubactionem non devenientibus, cujusmodi labes maſſæ ſolutæ in inteſtinum tenue ex ventriculo affluenti, ductu cyſtico obſtructo, identidem affricari poteſt, patetque hinc vel maximè, quàm neceſſarius ſit bilis ad inteſtinum dictum commeatus, pro chyli perfectione: cæterùm ſcirrhi in glandulosâ carne facilè ſuccreſcunt, ventriculi præprimis, ſi vel ſero viſcido magis magisque inferciatur, aut etiam ex frigidæ potu, ejus particulæ inviſcentur ac pertinaciter impingantur, quò etiam referendus

venit præpoſterus atque intempeſtivus vini generoſioris, ſalſorum item piperatorum & acetoſorum uſus ceu infra dicetur: à nocturnâ certè frigida eâque copiosâ ingurgitatione, viſcidum ſimile glandulis, plicisque ventriculi adeò impactum fuiſſe vidimus, ut à ſpiculorum ſolutorum vellicatione motus ſpaſmodici vehementes ſubſecuti ſint, ad attactum ſatis palpabiles, ita quidem ut nec hordeata ampliùs aliquandiu æger ferre potuerit, tumore tenitente, muſculi ſpaſmo affecto ſimili, circa pylori regionem conſpicuo, dubiumque non eſt, quin niſi impactum ſolvatur, acidique coagulantis & ſtringentis ſpicula infringantur, ſcirrhi incurabiles promptiſſimè pullulent: in aliis partibus mirum valdoperè non pariunt, in quibus glandulæ evidentiores ſunt, & ab authoribus in dubium non vocantur, quod quidem ventriculo in homine accidit: Rationem ſanè prægnantem ſatis nondum videmus, quare caninus glandulis inſtructus eſſe dici debeat, humano iisdem negatis, cùm tamen parile beneficium ſerum, quod eructant, utrique præſtet: plures omnino in corpore noſtro partes glanduloſæ ſunt, quam vel Vett. vel Recentiorum multi unquam crediderint, (ſicuti alibi fuſiùs demonſtratum fuit.) Glandulas nihil aliud eſſe, quàm glomos quosdam è fibrillis nervulis vaſculisque ope membranularum inter ſe connexis conflatos, Nicol. Stenonis induſtria detexit: quidnî ergò ubicunque ejusmodi vaſorum complicatorum compigmentum eſt, ſuccusque certi generis ſecernitur, glandulam adeſſe dicere liceret, etiam ſub hâc glomi ſpecie præcisè non appareat; quid quod partes planè excarnes, imò τὰ ὑλομελίης integumenta vulgò dicta, à ſcirrhosâ ſobole immunia planè non ſunt, modò ſuccus aliquis indolis minùs probè adeoque hærere, & per moram ſpiſſeſcere aptus natus, ipſarum poros irriget: ſic noti ſunt tumores ſubcutanei, duri rotundi, mole ciceris majuſculi, è ſcirrhorum, aut gangliorum genere, ſupra muſculorum tendines quandoque ſuborientes, eſtque annotatione digniſſimum exemplum mulierculæ, quam olim in Noſotrophio Lugdunenſ. la Charité dicto, vidiſſe meminimus, cujus ſatis ὀσάρκια & ſtaturæ mediæ, totus ferè externus corporis habitus, anticus, poſticus & lateralis, in tantam duritiem devenerat, ut digito prementi nihilo magis cederet, quàm ſi ſtatuam marmoream contrectâſſes; unde factum ut παχυοσάρκια vocabulo ipſam inſignirent.

Observ. LXIII.

Vomitus periodicus in hernioſo.

J. Georg. Annone 15. annorum, cum ab enterocele, quâ gravi laboravit, ſectionis ope liberatus fuiſſet, dehinc ſingulis quatuor

tuor ab operatione ſeptimanis, perſenſit corpus aliquot duriuſculum ab inguine lateris affecti, umbilicum verſus aſcendens, cum vomitu enormi materiæ flaveſcentis fœtidæ & appetitus per pluſculos dies proſtratione. D. 24. Iul. 1681. ſubitò decumbere coactus, de dolore capitis inſigni, Vomitu materiæ flaveſcentis, oris amarore, & compreſsione circa præcordia conqueſtus eſt, quem in finem bolum ex Diaſcord. Fracaſt. cum corall. & laud. cydon. ut & pulver. ex abſorbentibus & bland. adſtringentib. exhibuimus, quibus bene habuit: Nec tamen ſymptoma iſtud miſerum affligere prorſus deſiit, quin iisdem intervallis, genii ſui atrocitatem utcunque proderet, ad cujus mitigationem ſuaſimus conſerv. beton. fl. hyperic. cum rad. ſymph. condit. pulv. rad valer. ſanguin. dracon. v. cinnab. antim. rectif. &c.

Observ. LXIV.

Ex enterocele & gladii ictu ileos funeſtus.

Anno 1675. cùm Pariſiis verſaremur in Noſotrophium la Charité dictum miles advectus fuit, ictu gladii profundiore & in abdominis cavum penetrante, vulneratus: Peritiſsimus Dn. Morellus Partem omenti prominulam, manu ilico prehendit & filo quod per acum trajecerat, partem ejus incolumem ligavit, abſcindendo portionem aeri diutius expoſitam, reliquamq; blandè reponendo, medicamentis neceſſariis non neglectis: Biduo pòſt æger malo iliaco miſerè vexatus interiit: Cadavere aperto inteſtina tenuia, ileon præprimis læſum gangrænatumque deprehendimus: In alio quopiam, cujus interanea idem Vir Exercitatiſſ. luſtravit, triplici in loco portionem hujus inteſtini intra alterius cavum rediiſſe, ſive intro ſuſceptam vel inferiorem in ſuperiorem ejusdem partem intortam fuiſſe notavimus cùm tamen non conſtiterit affectu iſthoc ægrotum laborâſſe. Eundem mali exitum vidimus An. 1681. in Viro ſexagenario majore, qui ſubligaculum ex linteis malè confectum, aliquandiu geſtârat, ſucceſſu non æquè felici, cùm inteſtinorum prolapſum illud ſemper prohibere non valuerit: Unde de commodiore omnino proſpicere ſibi debuiſſet, nî intempeſtivâ verecundiâ

cundiâ malum clam haberi voluiſſet, inteſtinorumque optatâ in abdomen quandoque regreſsione, ſibi meliora pollicitus eſſet, quibus tamen ſe fruſtratum vidit, dum muniis publicis functurus decem circiter ante obitum diebus, inteſtina ſubito prolabi denuò expertus eſt, non ſine multâ animi conſternatione, inprimis cùm emollientibus medicamentis, aliisvé convenientibus adhibitis, internè & externè, priſtinum locum illa repetere nollent, quin imò elapſis diebus aliquot, nauſeam vomitumque cierent, quo tandem cum aſſumptis fæculenta ejecit, ſubſequentique febri & delirio, viribus proſtratis, ad Creatorem, cujus intuitione perpetim frui ardenter deſiderabat, emigravit.

SCHOLIUM.

De variis nobis heic dicendi anſa ſubnaſcitur, ac præprimis de vomitu Iliacorum: Illuſtris Williſius vel de hoc potiſſimùm ſollicitus fuit, ut qui Medicamenta per os aſſumi ſolita operationes ſuas peragant, tandem inveniret, huncque ob finem ventriculum inteſtina, cor & arterias ſub cultrum ſtudiosè vocavit, quo de ipſorum affectibus ac ratione formali eò certior eſſet: Equidem in Ventriculo, ſi quis alius affectus, vomitus frequenter accidit, in quo fundum ventriculi, orificium ſuperius verſus ſe recipere, & quidquid intus contentum habet, per illud dejicere, jam Vett. ſtatuerunt, modò autem laudatus Vir, in mediâ ventriculi tunicâ fibras carneas detexit, varii generis, circulares præprimis, harumq; binos ac diſtinctos ordines, ſtomachum, quoad omnem ſui dimerſionem cingentes: ſuntque iſtæ ſatis conſpicuæ, ubi ventriculum tantiſper elixaveris: & ſane motus ventriculi in animalium vivorum ſectionibus demonſtrabilis eſt, ſuadeturque à ſanâ ratione, enimverò ingeſta quibus ille ſecundùm periphæriam ſuam diſtendi videtur, cedentibus tantiſper fibris, inſtar lapidum illic hærerent, nî motus iſte ſuperveniret, docuitque nos ventriculorum caninorum poſt paſtum examen, uti & ruminantium, dictas fibras ingeſto alimento quaſi disjunctas contraniti, & magis magisque coanguſtari & ad ſe invicem redire, hocque ipſo retentricis facultatis robur, ſi non & concoctricis Veterum abſolvi, ſiquidem actione iſtâ è glandulis ſtomachicis menſtruum ſpirituoſum exſtillet, quod maſſam undique compactam, promptiſſimè pervadit: in vomitu illud notavimus, quod unusquisque vel in ſe experiri poteſt, adduci ad ſe invicem latera ventriculi dictarum fibrarum ope, juxta tamen has ita corrugari, ut validè reniti ventriculus ad attactum fundi ratione deprehendatur, eodem quo thalami cardiaci

diaci modo, fibris ipſarum ad ſanguinis quem ſuſceperunt expulſionem ſe accingentibus: Eſt hic motus ventriculi periſtalticus in homine inverſus, quem in vivarum beſtiarum anatome| ſæpius quoque vidit Celeberrimus Wepferus: ceu conſtat ex Hiſtor. & nox. Cicut. pag. 87. verba ipſa, utpote Williſii ſententiæ, noſtræque robur ac lucem addentia paucis heic ſubdemus: *Ventriculum non ſemel vidi conſtringi lentè verſus ſtomachum ſubſequente vomitu, aut verſus pylorum contentis in duodenum exploſis: nonnunquam gracilior & brevior reddebatur, mox iterum intumuit, ſubſequente rurſus novâ coarctatione, quæ vel verſus pylorum vel ſtomachum progrediebatur: Motus iſtos peragit fibrarum beneficio, quarum maximè conſpicuæ ſunt exteriores rectæ, à quibus ſe contrahentibus undiquaq; ventriculus brevior & gracilior evadere videtur, & internæ his ſubjacentes circulares, à quarum motu periſtaltico, undiquaq; latera ſibimet accedunt & contenta propelluntur, præter transverſas, quarum beneficio utræq; connectuntur*; Ut verò morus iſti ſubſequantur, neceſſariò requiritur ſtimulans aliquod nunc blandum & amicum, nunc inimicum, unde irritati Spiritus illos crebriùs & vehementiùs iterant, fibriſque quaquâ verſum contortis, vomitui enormi ortum præbent: in ſtatu naturali ita comparatum eſt, ut ſingulari Dei providentia, conſtitutisque legibus, quamprimum maſſa alimentorum [in ventriculo ſoluta in inteſtina tenuia appellit, motus periſtalticus ſuccedat, quamvis forté irritamen non adſit: nempe, ſi nil aliud, parietes ſaltem inteſtinorum [iſtâ ſenſim adauctâ, ſibi modò contiguos diducere] valet, ſicque fibris optimo inſtituto contra nitendi motumque hunc continuandi anſam tradere, quamdiu alimenti nondum ſubacti & à fæcibus ſecreti, portio notabilis adeſt, ut ipſius maſſæ particulas & ſuccos hoc ipſo motu ſtrictis ductuum vicinorum fibrillis accedentes, jam ſilentio prætereamus, quorum acrimoniâ non attemperatâ, intempeſtivæ dejectiones ſæpiùs ſubſequuntur: Inde fibris iſtis nerveæ præeunt; imò junctæ atque intertextæ ſunt, ut ad ſpiculorum noxiorum eliminationem, junctis viribus uſque inſurgerent, nec opus eſt nerveam coronam ventriculi, hujusque innumeras per ſubſtantiam ejus propagines, tunicam nerveam, pariter ut in inteſtinis conſtituentes, heic multis adducere, quarum ſenſilitatem, dolores ventriculi & inteſtinorum atrociſſimi, indeque nati motus ſpaſmodici ſatis evincunt, merenturque legi quæ harum ratione Excellentiſſ. Wepferus p. 83. Cicut. aquat. ſcripta reliquit: nos quoque ſuperiùs plura de his diximus. Quandoque autem vellicans materia in ventriculo immediaté non contenta eſt, ſed vel circa octavi nervorum paris propagines ſubſiſtit easque aggreditur, ceu in affectibus nephriticis, colicis ac hyſtericis palam eſt; enim verò ſtrictæ illic ab irritante fibrillæ, ſpirituque in motum impetuoſum acto, paſſio eadem fibrillis confinibus inducitur, indeque fibris carneis unà in ſubſidium vocatis,

motus

motus ejusmodi periſtaltici ſubſequuntur, quandoque vani & inanes, uti in nauſeâ ac vomituritione: In herniosis, nî inteſtinum promptè reponatur, labes facilè ſuccedit, enim verò compreſſis inteſtini parietibus, & fibrarum motus impeditur, & ſanguis in vaſculis capillaribus non rarò ſtagnat, gangrænamque hinc, acquiſitâ corruptelâ inducit, quorum utrumque violentæ fibrarum irritationi, & funeſto exitui non rarò occaſionem ſuggerit: Accedit ſæpenumero iterata inteſtini procidentia, unde labes vel non vel levior primis vicibus inducta, ſenſim natales & augmentum capeſſit, inprimis ſi manuum contrectatio frequens vel imprudens, quâ inteſtinum reponi conſuevit, ſupervenerit, hinc enim vaſcula ſanguifera ſimul comprimuntur, irritanturque haud parum inteſtinales fibræ, inteſtinis nihilominus non ſemper regredientibus, quod procidentia vel major eſt, inteſtinaque conſtricta admodum ob fibras non parum irritatas, vel etiam portio ſuperior à fibris proceſſus peritonæi, itidem ſeſe ſtringentibus, arctiùs comprimitur & coarctatur: interdum autem inteſtinum ſecundum unam alteramvé ſui portionem in ſe ipſum redit, idemque fibrarum motui, maſſæque iſthoc ſubigendæ & à fœculentiis liberandæ obſtaculum parit: In adoleſcente, qui ope chirurgicâ ab enterocele liberatus fuit, non putamus gravem labem inteſtino illatam fuiſſe, quòd vomitus frequentior fuiſſet, motusque ſpaſmodici, de quibus corpus verſus umbilicum aſcendens, teſtatur, vehementiores, fitque interdum, ut à materiâ acri ad inteſtinum ileon delatâ, leviùs irritante, ob fibras ad talem motum ex prægreſſo ſymptomate diſpoſitas, vomitus in talibus mox ſubſequatur: quin imò potuit in coli anguſtiis illic loci notabilibus, colligi & hærere vellicans pituita, motuque pari per fibrillarum nervearum ſeriem, ob dictam octavi nervorum paris ramificationem, ventriculus affici: & ſanè vomitus ultimus à materiæ ſaburrhâ in hujus plicas collectæ profectus videtur, præceſſit en. capitis dolor, junctus cum oris amarore, compreſſione circa præcordia: in milite gangræna inteſtini manifeſta fuit, dubiumque non eſt, quin in ſexagenario inflammatum fuerit idem, febri, deliriis & vomitu materiæ fæculentæ, fidem huic facientibus: noſtrum cùm peteretur à conſanguineis conſilium, ſuaſimus ne multis inteſtini regreſſum manu molirentur, ſi fotibus aliisque medicamentis ex artis præſcripto uſurpatis obtemperare nollet, ſed ad cultrum tempeſtivè devenirent: antequam noxam funeſtam acciperet: Fuerunt autem, qui contra ſenſerunt, operationem, nî repoſitum fuerit inteſtinum, inſtitui non poſſe, contrà quam cùm ipſi Pariſiis celebratam vidimus, tum etiam Pigræus Chirurgus peritiſsimus epitome de præcept. Chir. & Medicin. gallicè edito docet, cap. 41. lib. 2. Et s'il advient, que le

boyau

boyau ſoit tourné, la matiére eſtant enfermée dans luy meſme, lors ny la main, ny les medicaments, ny la ſituation, ne peuvent plus ſervir, tellement qu'il faut venir à l'extreme remede, qui eſt l'inciſion du peritoine &c. Quandoque inteſtinum prolapſum multo cùm ſudore & labore introrſum recedit, parvo tamen ægroti cum ſolatio, exitiali labe prolapſu & morâ ipſi inuſtâ mox ſubſequente; quâ de re notabile eſt exemplum, ſuper quo aliquando nobiſcum contulit, beatæ memoriæ Sponius Pater: Hâc ipsâ (inquit in literis An. 1675. ad nos exaratis) die memorabile quid in hâc urbe contigit: inſignis Juriſperitus enterocele à pluribus annis obnoxius, præcautionis ergò ſubligaculum geſtare conſueverat: cùm verò pronuper per aliquot dies illud abdicâſſet, ecce repente in bubonocelem gravem incidit: accerſitus Chirurgus ſatis ſolers, inteſtinum omni ope reponere ſatagit, verùm fruſtrà, quin imò ſupervenit poſtridie ileus cum frequenti vomitu: Alii Chirurgi in reductione ejusdem inteſtini ſuam etiam induſtriam exercent, ſed irrito conatu: Interim tuſa vena: Enemata ſubdita, hydrargyrum nec non globulus aureus & argenteus devorantur, ſicut & oleum amygdalinum ſorbendum datur: Tandem conſilium cogitur Medicorum & Chirurgorum: Decernunt ſectione artificiosâ partis factâ, inteſtinum in abdominis capacitatem reponere: dum ſua arma hunc in finem propere quærit & expedit Chirurgus, ſuadet quidam fotu ſupra partem denuò adhibito, ægrum pedibus ſuſpendere: rem ergo moliuntur, moxque inteſtinum quò optabatur, regreditur: Quod ubi factum vident, gratulantur certatim aſſidentes, ac ſi res eſſet in vado: Verùm ab eo tempore, ſymptomata eadem, quæ priùs perſeverant, vomitus, ſingultus, dolor ad inguen ſine tumore, enemata citra ullam excrementorum alvinorum admiſtionem rejecta, unde magna inceſsit ſuſpicio, inteſtinum præ nimiis compreſſionibus ecchymoſes paſſum, in gangrænoſin, niſi jam de facto concepta ſit, devergere, quod etiam ſectio, ægroto mortuo inſtituta confirmavit: Ita enim d. 15. 7bris An. ejusdem præfatus Vir ulterius: Enterocelicus ille tandem fato functus eſt (uti rectè conjeceras) & quidem trigeſimâ morbi die: Aperto poſt mortem corpore, inteſtini ilei portio deprehenſa fuit, præter omnium opinionem tenaciſſimè adhuc inhærens ac agglutinata ovali annulo: Inteſtina omnia gangrænoſi occupata apparebant, nunquam diachoremata ulla demiſit, ſemper ingeſta revomuit, ſicque tandem miſerè è fatis exceſſit. *Omenti* cujus portionem prudenter reſcidit Dnus *Morellus* ratione, aureum potiſſimum Hippocrat. aphor. ſect. 17. heic adſcribimus: ἢν ἐπίπλοον ἐκπέσῃ ἀνάγκη ἀποσαπῆναι: *ubi omentum exciderit, illud putreſcere neceſſe eſt*, judicamusve ulteriori malo cultri adhibitione commodùm ſubveniri poſſe.

Observ. LXV.

Inteſtini Ilei & glandularum ejus gangrænoſis, cum abſceſſibus variis in imo ventre latentibus, &c.

Puer 13. circiter annorum, à Parentibus benè habitus, Vino generoſiori aſſuetus, cùm aliquando pomorum quandam copiam furtim ſibi parâſſet, eamque unâ veſperâ devorâſſet, ſub noctem malè habere, de multâ anxietate conqueri, & nunc è lecto proſilire, nunc in eundem recurrere cepit, cum vehementi quem ſentiebat, cordis ardore, donec tandem vomitus ſubſecutus fuit, quo ſemidigeſta, cruda, odoris ſummè fermentacei ejecit, dicto nihilominus ardore perſiſtente: hinc ab imo ventre aduſque genua intumeſcere cepit, qui tumor autem convenientibus adhibitis, ſenſim ceſſavit: alvus ab hoc tempore per 13. dies ſubſtitit: Per os excrevit fœtida, fæculenta, viridia, nigra, verminoſa, hinc alvo ſolutâ perſentiſcere cepit, murmura, rugitus in ventre inſignes, cum aquæ fluctuantis undulatione, quæ ad 15. paſſus uſque ab adſtantibus audiri poterant, ranas in corpore coaxantes dixiſſes cum multis: fluctuantes hi rugitus in ſiniſtro inguine incipiendo, aſcendebant aduſque ventriculi fundum, ubi paulùm ſubſiſtentes, mox cum ſibilo verſus dextrum inguen prorumpebant, quibus non rarò acceſsit dolor inſignis: Remedia convenientia in uſum fuêre vocata, eaque complurima, quæ quâ glandularum obſtructionibus, quâ materiæ morbificæ, quâ etiam ventriculo & inteſtinis præprimis proſpicerent, ſed in caſſum, neque certi quid de murmuratione & fluctuatione cum ſibilo conjunctâ, augurari licebat: Tandem rebus ita in pejus ruentibus, venter & artus inferiores, ut & ſcrotum inſigniter intumeſcere ceperunt, ægerque non ſine partium internarum motibus convulſivis, præcedente maximo doloris ſenſu, à Creatore ſuo cœleſti requie donatus fuit.

Cadaver primo intuitu tumidum & liveſcens conſpeximus: Abdomine inciſo aduſque menſuras duas, materiæ ſeroſæ, purulentæ, ſummi fœtoris evacuavimus: inteſtina flatibus inſigniter diſtenta, inprimis autem *inteſtinum ileon* gangrænoſin paſſum

passum fuit, per cujus membranam extimam videre licuit glandulas *intestinales*, & præ cœteris plexum unum protuberantem gangrænatum, qui incisione factâ, nigricantem exhibuit faciem: Abscessus in *hypogastrio*, ut & intra *epiploon* bini: *hepar* lividum planè, corruptum, scirrhosum, & instar ligni exsiccati aridum. Vesicula fellis bile viscidâ distenta, ductus autem choledochus præ lymphâ viscidâ quasi transparuit: *Pancreas* lividum omnino, & cujus glandulæ, præ putredine facilè conteri poterant: Lien itidem corruptus: In Mesenterio autem glandulas admodum induratas, ac *gelatinosas* non deprehendimus: nihil quoque præternaturalis in renibus observare licuit: De pulmonibus putridis non fuit dubitatum.

Observ. LXVI.

Intestini Ilei gangrænosis & perforatio &c. cum polypis in corde, vasisq; huic appensis maximis.

D. 6. Julii 1681. in pago Benckheim ditionis nostræ, Virginem secuimus 18. circiter annor. in consortium electis Viris Nobilisſ. & Doctisſ. Martino Joann. Haësbaërt, Med. D. Clivens. D.M. Rüdino, D.M. Zaëslino nostrat. & D. Andreâ Köhlio Cur. Rhæto. Hæc aliquot septimanis ante obitum, quantum quidem ex relatione Pastoris illius loci, cui Defunctæ consanguinei adstipulabantur omnes, *indicibilibus ventris cruciatibus* & *torminibus* spasmodicis vexata fuit, cum conatu evomendi multo, *nullâ* tamen *materiâ fæculentâ* subsequente: Quadrimestre circiter ante, cùm Ægrorum aliorum curæ ibi vacaremus, nostram imploravit opem, conquesta præcipuè de *alvi fluxu* & *sanguinis sputo*, quod præcedente hyeme copiosius, cum *doloris latere pungitivo* passa erat: pulsus celer fuit & frequens, corpusque macie consumi incipiebat, suasimus usum *lact.* cum *pulv. antihect.* Misella autem, singulis in pejus ruentibus, ob rem angustissimam domi, sibi ulterius consulere nescia, post d. cruciatus exantlatos, à Redemptore suo feliciter liberata fuit.

Musculis abdominis resectis, ingens fœtor nares statim feriit: *Epiploon* satis bene habebat: ast circa hypochondria & in pelvi, *materia faculenta chylosa*, & purulenta stabulabatur. *Inte-*

ſtinorum flaccíditas cum fœtoris gravitate, de perforatione unius vel alterius illorum, haud obſcurum indicium præbuit, imò confirmavit gangrænoſis inteſtini ilei maxima, in quo ad ſeptem uſque foramina obiter quærentibus notare licuit, à quibus materia dicta in cavum ventris abiit, ponè hoc *meſenterii* ſcirrhum, circa glandulam Meſenterii magnam inſignem animadvertimus, longitudinalem, & ipſum, fortè à contactu ilei rubicundum: *Hepar* ferè exuccum & pallidum. *Veſicula fellis*, loco non naturali in *lobo* nempe hepatis infimo ſita, & ab hujus extima ſuperficie exorta, circa finem pylori cum initio duodeni arctè cohærebat: *Ventriculus* admodum inflatus, *ſiniſtrum hypochondrium* ferè totus occupabat, quaſi è ſuâ ſede ſeceſsiſſet: *Pancreas* duriuſculum: *Lien* autem & *Renes* naturaliter habebant: *Venter* medius pulmones exhibuit putridos, & ex ſiniſtrâ parte adnatos: *Cordis* auricula *dextra* lata & ampla: *ſiniſtra* verò parva & anguſta; in *illâ* delituit polypus figurâ dimidii thaleri, ʒß. circiter pendens, cujuſmodi alius oblongus ʒiv. in *arteriâ* magnâ hæſit, & alius ʒiiß. longitudine, *venam pulmonalem* occupavit: *fibræ* ventriculi dextri, præ flaccíditate collabaſcebant: *Pericardium* ichore turbido plenum, & glandula thymus dura & ſubatra: *Pulmones* v. inciſione factâ præter materiam ſubpurulentam & ſpumoſam nihil oſtenderunt.

SCHOLIUM.

Quæ in præcedenti ſcholio dicere omiſimus, de *Ilei* ſede, heic abſolvere conſtitutum eſt: Vett. Iliacam paſſionem, Volvulum nuncupare ſoliti fuerunt, Græcé εἰλεὸν ab εἰλέω volvendo, dum inteſtina convolvi & quaſi in nodum contorqueri hoc in affectu ſibi perſuaſerunt, quæ autem ipſorum affectio, cauſa affectionis Iliacæ potius eſſe videtur: nec verò de loco Ilei controverſari dubitârunt, vel Galeno ipſo hac in re ſibi uſque conſtante, cùm in comment. ſuper Aphor. Ileum in inteſtinis tenuibus & 3. Epidem in hiſtoriâ mulieris volvuloſæ, volvulum in inteſtinis tenuibus & craſſis fieri dicat, frequentius tamen in *illis*: quod confirmat. l. VI. de loc. affectis cap. 2. *At dolor ille acerbiſſimus, quem ileon, volvulum & chordapſum vocant, ſublimiores inteſtinorum partes infeſtat, adeoq; impellit ad vomitum, ut nonnulli ſtercus per os reddentes miſerrimâ tandem morte moriantur: A' quo affectu vix aliquis unquam evadere potuit: Itaq; non abs re viſum eſt Medicis antiquioribus, vel ab inflammatione, vel obſtructione aridi ſtercoris, oriri hu-*

modi

juſmodi tenuium inteſtinorum affectum; Hippocr. verò libr. de glandul. & libr. de locis in homine ileum in inferioribus inteſtinis oriri ſtatuit: haud dubiè propter ſtercoreos vomitus: alii ex Vett. ileum in utrisque inteſtinis fieri autumant, hoc cum diſcrimine, quod tenuibus affectis, chylum evomi contingat, craſſis verò ſtercus: Nos rationem formalem iliacæ paſſionis uti in motu inteſtinorum periſtaltico inverſo conſiſtere etiamnum perſuaſum habemus, ita in cauſis eundem comitantibus, ſpiritus vehementer irritando ferè ſubſiſtimus, non dubitantes poſſe adhuc alias illis addi, eâdem tamen ratione agentes: ita refert Clariſſ. Hildanus obſerv. 61. Cent. I. Ex ſcirrho & ulcere cancroſo in inteſtino cœco, quod in ileum ſeſe inſinuaverat, illudque oppleverat, exortam fuiſſe iliacam paſſionem: nec heic prætereunda, quæ de morbi hujus cauſâ eruditè profert Nobiliſſ. D. D. *Pejerus* p. 45. Exercit. I. Quemadmodum autem remoræ deſcenſu contenta prohibentes, variæ eſſe poſſunt, ita non prorſus alienum à ratione eſſe arbitror aſſerere, ſerum in plexibus inteſtinorum glanduloſis, aliquando craſi ejus vitiata indolem auſteram, adſtringentem, atque tincturæ aut extracto gallarum æmulam ſortiri, adeò ut fortè manipulus fibrarum inde perculſus aut imbutus, facta pertinaci conſtrictione, neque excrementis, neque flatibus tranſitum largiatur: Igitur his utrinque retentis, ac aggeſtis, perpetuoque ad ſui excretionem ſollicitantibus, fœcum ciborumque confuſa rejectio per ſuperiora extremo naturæ conatu tentatur: Nonnulli ad valvulam coli malè affectam præcisè recurrunt, dum illa invertitur, retorquetur, inflammatur, alitervé afficitur: Enimverò, uti uſus hujus naturalis eſt, fæcibus ſordidioribus, peracta chylificatione, in colum detrudendis cedere, & ita claudi, ut in ileum remeare nil poſſit, ita ſi viciſſim contra nitatur iſta, introitumque fœculentiis in colum deneget, vel contra amiſſo fibrarum tenore, iisdem è colo, quo alioquin pro hoſpitio utuntur, ſurſum viam aperiat, adjuvante fibrarum inteſtinalium retro actione, funeſtum hunc affectum ſubſequi animadvertimus: alludit huc præfatus Hildanus in annotat. ad citat. obſervat. cùm ita: *Præcipua autem cauſa ilei eſt, inteſtini conſtrictio & coarctatio: Itaq; hujus rei indagandæ causâ, diverſa cadavera inſpexi, idq; in omnibus hactenus obſervavi: principium & originem hujus morbi fuiſſe circa inteſtinum cœcum: Quamobrem exiſtimo valvulam, primùm ex inteſtini cœci inflammatione adeò contrahi & conſtringi, ut planè nihil excrementorum permeare poſſit &c.* Equidē inficiandum non eſt, valvulâ dictis modis affectâ, malū iſtud ſuccedere poſſe; ſemper verò vel pati, vel primario lædi debere, nondū adducimur ut credamus, reluctante cùm experientiâ tum ſanâ ratione; neq; e. in cadaverum ſectionibus iſta *valvulæ* labes ubique deprehenſa fuit, quin Clariſſ. Kerkringius obſervat. 42. iliacam paſſionem ab ulceribus inteſtinorum, (quæ in iis reperit, nullâ factâ mentione valvulæ) cum inflammatione

potius, quàm eorum intortâ convolutione oriri author eſt, neque ea rationum momenta adſunt, quæ recitatas à nobis in ſuperioribus cauſas, inſufficientes eſſe doceant; enimverò ſi valvulæ pertinax conſtrictio, quidnî etiam inteſtini unius in alterius cavum deſcenſus, vel inflammatio gravis, oppletio, fibrarumque pertinax corrugatio, fæcibus deſcenſuris viam præcluderet, iisdemque hinc cum maſſæ chyloſæ portione evomendis anſam præberet? & ſi lympha auſtera in tenuibus inteſtinis ejuſmodi pertinacem ſtricturam efficere potis eſt, quid nî eadem in craſſis; conſtat quoque fæces in coli cellulis diutinè aggeſtas & induratas, ſæpe iliaci quid producere, quanquam alvum pertinaciter ſuppreſſam, à dictâ valvulæ labe, contrariæ ſenrentiæ Patroni deducant: Poſitâ ſanè ratione mali formali quam ſupra cum fundamento adſtruxiſſe videmur, ad valvulam primariò affectam, recurrere ſemper opus non eſt: ſed plus ſatis de his, quæ confirmant inſuper exempla heic & illic allata; enimverò, fæculentæ vomitionis in puero, ilei præcipuè gangræno-ſis, hujusque glandularum cauſa fuit, non valvulæ vitium, quale manifeſtum nullum animadvertimus: id quoque ratum apud nos eſt, dicti inteſtini inflammationem vel gangrænoſin, affectum non ſemper ſubqui, ceu Virginis exemplum docet, nî dicere velis per foramina ilei, vigente inteſtinorum motu, materiam chyloſam & fæculentam prorupiſſe: Id autem perſuaſum habemus, ſi ſemel ab *iſtis* fibrę corrugari incipiant, lethalem ileum ſuccedere: Ex præſentibus quoque hiſtoriis inprimis patet, quàm ſæpius ægrotis, imò & Medicis de tali non cogitantibus, abſceſſus in interioribus formentur ac deliteſcant, cultro adhibito poſt mortem demum prodeuntes, præcipuè verò quam nocivus ſit in tenella ætate conſtitutis Vini generoſi maximè, aliorumque ſpirituum ardentium potus vel uſus; præterquam enim quòd à talibus abſumitur ſerum & particulæ oleaginoſæ quaſi in flammam aguntur, ſive potius motu inteſtino vehementiore atteruntur balſamicæ & volatiles, glandulis meſenterii & inteſtinalibus gravis quoque noxa infertur, ut indurentur prorſus, ceu de illis exempla Anatome ſuggeſſit, aut conſtrictis poris ac fibrillis, ſanguinis motus impediatur, eodemque poſtmodum detento, inflammatio, gangrænoſis ac induratio peſſima ſubſequantur; utque ſanguinis fervidi è vaſis capillaribus extravaſationem, ſive ſubſiſtentiam, in tenerioribus membranis, aut etiam nobilioris partis poris, unde abſceſſus promptiſſimè ſcaturiunt, jam prætereamus, fluctuantes aquæ & murmura impetuoſa, quæ ad diſtans audiri poterant & circa inguen ſiniſtrum incipiendo ad ventriculi fundum aſcendebant, flatus occluſos equidem comuniter oſtendere dicuntur: juxta verò fibrarum varium motum & expanſionem à ſpiritibus valdè irritatis agnoſcunt, unde quòd incluſus eſt validè agitatur, & denegato commodo exi-

tu mur-

tu murmura creberrima, ſuperiora ac inferiora verſus parere conſuevit: atque in *Puero* iſto ex Mente Clariſſ. *VVilliſii* cauſa occaſionalis elegans heic fuiſſet: ciborum horariorum nempe ingeſtio immodica, pituitæ inteſtinalis corruptæ mater, ovulorumque verminoſorum hoſpitium; arbitratur nempe *ille*, dum alimenta à fermentis Ventriculi & inteſtinorum diſſolvuntur, effluvia quam plurima decedere, quæ membranis ipſorum concluſa, & ſimul aggeſta, vaporum congeriem quaſi ventum conſtituant, qui dehinc inteſtina inflet, diſtendat, & quâ datâ viâ ruens, ejusmodi borborygmos ſuſcitet: quo acceditinteſtini ilei phlogoſis, unde extenſionibus motibusque ſpaſmodicis, & hinc talibus vaporibus ventoſis ſuſcipiundis obnoxium evaſit: frequenter autem ipſe ſpiritus æthereus, utpote ſuâ naturâ vi expanſivâ præditus ejusmodi rugituum unà cauſa eſſe ſolet, dum impetuosè motitatur, cumque particulis ingeſtorum malè ſubactorum, excrementorumque nitroſis ſulphureisque commiſſus, has ipſas vehementer exagitat, conterit ac in ejusmodi exhalationum aggeriem reſolvit, in ſtatu naturali per anum erupturam.

Observ. LXVII.

De inteſtini tenuis vulnere.

Anno 1678. Vir nobilis, εὐσωμος & robuſtus, annos circiter natus 21. cùm Galli & Lotharingi, aliquandiu excubias contrà invicem agerent, gravi vulnere gladii punctim ictus, ex illorum exercitu, ad nos advectus fuit, ut priſtinæ ſanitati reſtitueretur, ſedulam hunc ob finem operam ipſi locante chirurgo ſolerti Claudio Paſſavantio: denudato & ampliato tantiſper vulnere; quod admodum anguſti oris primum fuit, in abdominis cavum illud vergere deprehenſum fuit, medicamentisque hinc convenientibus illi proſpectum: mox ſuſpicio de inteſtini tenuis læſione Medicorum Chirurgorumque, quos ad ejusmodi vulneris ſpectaculum ille invitavit, animis inhærere cepit, nec fefellit eventus, ſubſequentibus enim diebus, quoties ferè vulnus denudabat, materia chyloſa evidentiſsimè profluxit, & in linteolis vel plumaceolis conſpici poterat, adeò ut unà de vaſculi lactei punctura, chylo puro ita extillante, indicia certiſsima depromere potuerimus: Inſtitutâ exactiſsimâ diætâ, quâ Ægrotus ipſe pejorum ſymptomatum adventum eluſit, & adhibitis vulnerariis convenientibus, ſingula feliciter ceſſerunt.

Observ.

Observat. LXVIII.

Inteſtini à lumbricis perforatio cum tumore ſubitaneo in inguine dextro.

Vir 50. & quot excurrit annorum, ſanus & incolumis, uti ſibi quidem videbatur, d. 11. Aug. 1683, cùm totâ d. ſtrenuè deſudâſſet in vineis, domum redux de atrociſsimis torminibus ventris conqueritur, quæ excepit ilico horror & calor inguinisque intumeſcentia, paulatim ita adaucta, ut femoris partem anteriorem & ſuperiorem maximopere occuparet tumor, qui primùm renitebatur, aliquot autem dierũ ſpatio, inſtar veſicæ humore diſtentæ ſuâ ſponte ruptus fuit, ichoremque primùm ſubatrum, hinc viridem, & deinceps purulentum, ſ. magis fæculentum copiosè fudit, tranſudante primùm ſero tenui glandularum, mox hinc viis magis apertis, unâ materiâ fæculenta: materia quoque ſanioſa inter muſculorum femoris interſtitia collecta, illis preſsis acervatim erupit: accerſitus Chirurgus illius loci, medicamentis putredini reſiſtentibus ac detergentibus ſedulò pugnavit, noſtram autem mox implorare juſsit operam: Vocati d. 25. ejusd. ſub veſp. mali faciem intuiti ſumus, quàm ſatis horridam deprehendimus: ex inguine enim dextro, pone ſcrotum, materia fæculenta, ubi tantillum premebamus, tenuis & graveolens, proſiliit, retulitque Chirurgus, ex eodem antro, (quod vulnus dilatatum ſatis non erat) triduo ante lumbricos ſex ſe extraxiſſe: pridie etiam cùm uvas comediſſet ægrotus, ſemina earum per foramen dictum excreviſſe, atque ab hoc tempore fæces per alvum dejeciſſe ampliùs: nec minus femoris interiora à maſſâ ſerpente fuerunt eroſa, foraminibus ſinuoſis hinc inde conſpicuis: Factâ inciſione ſcrotum verſus, ut mali exitus pateret magis, fæces liquidæ, cum ſibilo & ſtrepitu ex inteſtino evidentiùs prorumpebant, hujusque perforationem labiis vulneris ſenſim remotis, poſtridie magis patulam fore prædiximus, interim ſeq. uſum præcepimus: Chirurgus ter de die vulnus calidiuſculè lavet cremore & ſero lactis caprilli cui immiſta ſint ſangu. dracon. ſubtiliſſ. & myrrha cum maſtich. inde

de balſam. vulnerar. quod præſcripſimus, moderato caloris gradu vulneri inſtillet: plumaceolisque eodem irroratis inteſtinum obmuniat pro viribus: ægrotus autem ſingulis diebus m. hauriat cyat. lact. caprill. cui ſanicula conſol. ſarac. veron. & alchimill. fuerint incocta: horulâ v. pòſt ut & ſub 4. veſpertin. doſin capeſſat pulv. vulnerar. ex Radic. ſymph. fl. hyperic. corall. ſangu. dracon. v. &c. paratum: extractum quoque veron. cum ſanguin. dracon. in pilul. concinnatum ſæpiùs exhibuimus. Poſtridie nuntiari juſsit Chirurgus vulnus jam magis patere, & poſt diſceſſum meum ſub veſp. lumbricum denuò ſe extraxiſſe: triduo pòſt cùm ægrum inviſeremus, ſatis benè habebat, appetitus conſtabat, non nauſeabundus erat, nec ſiticuloſus, pulſus blandus & æqualis, fæces etiam per alvum jam excernebantur, at non diu ſubſtiterunt iſta, quin priſtina ſymptomata ingruerent, ægerque viribus fractis lentâ morte conſumeretur.

SCHOLIUM.

Notatu digniſsimum eſt Venerandi Hippocratis l. VI. Aphoriſm. 18. & 24. effatum: κύσιν ἀμχοωένπ ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίαν ἢ φρένας, ἢ ἑτέρων π᾽ τ λεπῶν, ἢ ἦπαρ θανατώδες: item ἑτέρων ἢν ἀμχοωῆ τ λεπῶνπ, ἢ ξυμφύεπ, quæ ipſa confirmat Coac. 509. iſtiusmodi autem periculum imminet, non modò quòd inteſtina tenuia membraneæ partes ſunt, & nerveæ ſenſiles, quæ facilè non conſolidentur, ſed ſubſequentibus graviſſimis ſymptomatis enecent, verùm quia cum vaſis ſanguiferis tenuia copiosè inſtructa ſunt, quibus hinc à vulnere profundiore læſis, hæmorrhagia nociva ſuccedit, tum etiam ob motum periſtalticum, cui ob chyli abſolutionem ſolenniter vacant, latera vulneris difficiliùs agglutinantur; enimverò uti beneficio ſucci nutritii, ſive particularum balſamicarum agglutinabilium, ceu balſamo quodam partes ſeparatæ reuniuntur, ita viciſsim mora & quies partium ad iſthoc operis feliciter perficiendum requiritur, ne dictæ nutritiæ particulæ diſtrahantur & in cavum inaniter effundantur: atque hinc eſſe poteſt, cur vulnera craſſorum inteſtinorum ita periculoſa non ſint, curamque faciliùs fortè admittant, craſſiore eorum ſubſtantiâ non rejectâ: nec enim ea vaſorum copia eſt, neque etiam jugis ita ipſorum motus, nonniſi fæcibus blandè verſus anum protrudendis emancipatis, cùm contra illa motu ſurſum deorſumque officio ſuo defungi neceſſe habeant, iſtis aliquandiu feriantibus: Docet nihilominus experientia, vulnera tenuium leviora, fuiſſe curata, idque ipſum hiſtoria prior confirmat, quæ vaſculi lactei punctu-

ram ſimul commonſtrat: gravioris certè hæmorrhagiæ, aliorumque ſymptomatum, (de quibus in hiſtor. alterâ) abſentia vulnus ibi ſuperficiarium magis fuiſſe perſuadent: Excellentiſſ. verò Patinus Anni I. Dec. 2. Ephemerid. Obſerv. 20. meminit Dominici Simeonis Patavini à vulnere inteſtinali, globulo ſclopeti inflicto periculoſiſſimo feliciter liberati, ſolent quoque in gravioribus vulneribus, aliqui ἐνλεροραφὴν inſtituere, labiaque inteſtini ſeparata ad invicem adducere; commodum autem iſta non ſemper ſuccedit: attamen ſi de corpore & maſſæ præprimis humoralis ἀθεσία, atque inteſtini craſſi robore certi fuiſſemus, ejusmodi quid in quinquagenario noſtro tentaſſemus, contrarium verò nobis faciei colore, copioſis lumbricis &c. imperantibus, remedium iſtud reluctantibus adſtantibus ultro adhibere noluimus: Felicior iſthoc fuit Muliercula, cujus mentionem facit Clariſſ. D. D. Haësbaërt, Societ. noſtr. *Rhaſes*, cui poſt atroces cruciatus ex aperto in inguine tumore, lumbrici duodecim prodiere, & quamvis adjectum non ſit, utrum ex inteſtino perforato proruperint, tormina nihilominus & abdominis cruciatus, de iſtius labe ſatis teſtari poſſe videntur: quandoque etiam labia vulneris exterioris clauduntur, interioris necdum conſolidatis, indeque funeſto cum exitu tumore recrudeſcente: interdum ex tumore in inguine ſuppurato, & materiæ acrimoniâ, ulcus fiſtuloſum ſubnaſcitur, cujusmodi hiſtoriam heic inſerere operæ pretium faciemus; puella 14. annor. circiter, quam cum B.m. *Glaſero* in noſotrophio ſæpiùs inviſimus, adhuc in tyrocinio conſtituti, tumore in inguine dextro vexata, ex materiæ ſuppurantis acrimoniâ, tandem ulcus fiſtuloſum incurrit: cum totius corporis cahexiâ & emaciatione paulatinâ: plurima tum in uſum vocata fuêre remedia vulneraria, antihectica & analeptica, ſed in caſſum: ſæpiùs quoque de inteſtini craſſi eroſione (quod materia effluens gravi fœtore nares feriebat) præfat. Vir Celeberr. Chirurgo ordinario verba fecit, quia autem fæces ejusmodi, nec ſemper nec æquè diſtinctæ videbantur, lis indeciſa perſtitit, donec rore vitali prorſus abſumpto, ac ſpiritibus exſtinctis, ægra inter vivos eſſe deſiit: ſectioni, cùm ob negotia urgentiora Beatus Præceptor noſter adeſſe non poſſet, aliquot noſtrûm, è quibus Excellentiſſ. D.D. Matthæum Harderum nominamus Amicum honoratiſſ. cum Chirurgo vacârunt, deprehendimusque præter viſcerum omnium labem ac corruptelam, inteſtinum dictum, reâpſe eroſum, effluente ſimili, cùm premeretur, materiâ, quam cùm viveret miſella, ulcus reddidit, Non rarò etiam Bubonocele, ejusmodi ſub tumoris in inguine ſpecie, occultatur, cujusmodi in ancillâ quâdam vetulâ notavit ſæpè laudatus *Sponius*, quæ præ pudore affectum diutiùs celans, eum tandem Chirurgo communicavit, qui hinc Bubonem præſtò eſſe ratus, ſuppurantia imperitè adhibuit, locumque

paucis

paucis pòst diebus imprudentiùs scalpello aperuit, unde ichores & fæces alvinæ ubertim primò eruperunt, ægraque paucos intra dies, superveniente necrosi, è vivis erepta fuit: ejusdem, si non gravioris mali, sed felici successu curati historiam nobis aliquando perscripsit Excellentiss. Hottingerus Medic. Tigurinus, veteri amicitiâ junctissimus, quam ipsiusmet verbis heic commemorabimus: Digitum, *inquit*, nuper leviter intendi in curam Viri vel pro desperato relinquendi, nî charitas Christiana aliud juberet, hic cùm annorum 56. herniâ à multis annis affligeretur, curam palliativâ certiorem, magno suo damno non admisit, sed apud artificem de tumore inguinis conquestus est, qui sive ex imperitiâ de tumoris specie minùs sollicitus, hunc pro rato habuit, & tanquam materialem bubonem tractavit, medicamentaque emollientia lacti incocta imposuit, ex quo tumor cum intestino intra se contento, vi medicamentorum ad putredinem & subsequentem νέκρωσιν tendebat: Ego omnium ignarus & absens, unicè rogatus de remedio sitim sedaturo, pro more judicium eousque suspendi, donec mentione factâ tumoris & singultus observati, non sine Dei providentiâ pejora suspicatus sum, atque ἐνίερο περιτονίτιδα aliquam ab herniâ oriundam subsequi posse. & periculum in morâ esse dixi, ac ἀνάλυψίαν cum manu periti Chirurgi huc requiri summopere: Chirurgo viam ineunte & ægrum jam invisente, gravissima comperimus, non visu tantùm, sed etiam olfactu: partes interiores putrefactæ à sanis protenus erant liberandæ: partes adhuc sanæ à contagio vindicandæ ac defendendæ, cùm jam colon ipsum in hoc incendium contribuerit, putredine infectum eatenus, ut per hujus aperturam ex inguine, crassiora alvi excrementa, neque per unam, neque per duas solas hebdomadas fuerint excreta: & tamen tota hæc mali dicta tragœdia tam felici cursu absoluta est, ut post sex septimanarum intervallum, sanitas fuerit reducta, sine fistulâ vel alio incommodo pòst relicto: *hæc ille.*

Observ. LXIX.

Hypercatharsis funesta à medicamento assumpto.

Iuvenis annorum viginti & quod excurrit ab ætate provectiore non usque sapiens, ante sedecim circiter septimanas ex peregrinatione ad suos rediit, sed mente minus constans quin multa absurde garriret, ageret, nec ad adstantium dicta attenderet, sufflabat ore continuo, & maniacorum gestus imitabatur, nec Pastorem loci nec parentem curans: hujus rei causam inquiren-

tes parentes, audiverunt ipſum à militibus in urbe Sigenheim admodum fuiſſe verberatum, quamvis nulla obſervata fuerint indicia ſanguinis extravaſati, vel labis cranio illatæ: in xenodochio cum per tempus fuiſſet ſuſtentatus, parentes ad cujusdam empirici opem confugerunt, qui die octavo menſis Auguſti 1686. hauſtum medicamenti purgantis exhibuit, à quo enormiter cruciari, ſitire, vomere & dejicere incepit: animo hinc tranquillior factus, ſapere, parentes blande excipere, & cum Paſtore precari incipit, die inſequenti, perſiſtentibus cum ſiti graviſsimâ dejectione & vomitu, ſub meridiem animam expiravit; delato ad nos rumore, ſectioni nos adcinximus, ſub veſperam ejus diei, præſentibus Viris Experient. & Clariſſ. D. D. Zuingero, Eloq. Prof. D. D. König, aliisque compluribus Medic. Licentiat. In cadavere nihil præter ordinarium pallorem invenimus: apertum abdomen, Epiploon ſemiputridum exhibuit, cum ventriculo & inteſtinis tenuibus ſatis rubentibus, inprimis ejus fundo, cum jejuno & ileo, reliqua viſcera naturaliter admodum habebant, in thorace utriusque pulmonum lobi pars interior ſimilem ruborem à ſanguine tenui extravaſante oſtendit, ventriculus dexter flaccidus totus erat, & inciſus ſanguinem ſummé tenuem nigricantem exhibuit, cerebrum ratione ſuæ ſubſtantiæ itidem laxum ſatis erat & molleculum: intra piam meningem mucus viſcidus copioſus continebatur, liquor quoque in cranii baſi ſtagnabat, rete mirabile nullum adfuit ſed utrinque manifeſta arteriæ tortuoſitas.

SCHOLIUM.

IN medicamentis catharticis exhibendis, ſi uſquam alibi, Medici prudentiam requiri, à nullo ſanæ mentis negatum iri confidimus: Circa hoc autem plures decipi autumamus, quòd non examinatis medicamenti particulis, earumque genio ac indole, indeque neglecto operandi modo, ad illorum frequentiorem propinationem ſatis proni ſunt, contenti vel qualitate purgantis occultâ, vel humorum in corpore ſtagnantium ſaburrâ, cui electivé educendæ illa ſufficere creditur: Equidem draſtica, ſcammoneata, diagrydiata, hujusque generis medicamenta alia, omnibus ferè Vett. ſuſpecta ſunt, ob ſpicula quibus pollent acerrima & tantum non corroſiva, ſolentque hæc ipſa à Recentioribus, qui particularum

ticularum purgantium indolem accuratius examinare fategerunt, circumſpectè admodum exhiberi, & nonniſi in corpore robuſto, cujus fibræ inteſtinales uſque munitæ ſunt, ut ab illis facilè lædi nequeant: Mirari tamen ſubit pulver radic. gialapp. quibusdam ſæpius exhiberi, ceu hydragogum ad ſeroſitates vacuandas utiliſſimum & aptiſſimum, cùm tamen & iſti particulæ reſinoſæ, ſulphureæ ac ſalinæ, quamvis ex ſe ſeparatæ, acerrimæ & fuſ riæ naturæ inſint, àque ventriculi & inteſtinali menſtruo, facilè elici poſſint: Notavimus ſanè dejectiones creberrimas inde ſubortas cum ſiti, & Excellentiſſ. Wepferus Hiſtor. cicut. radicem hanc notiſſimam, inflammatoriam quoque eſſe erudite demonſtrat: Ex extract. cathol. cum Mercurio dulci in pilulas formati aſſumptione, frequentiſſimè ipſi dejecimus cum ſubſequente febri ſynochâ, ut loquuntur, imputri: Vir alius triginta circiter annorum ex Electuario de ſucco roſarum, quod Chirurgus imprudenter propinavit, ipſeque incautus hauſit, vomuit immaniter & creberrimè per inferiora dejecit per triduum ferè, concomitantibus primum, horrore ac rigore, hinc nauſeâ, ſingultu ac deliriis, urgente juxta ſiti, viriumque proſtratione, extremisque ad attactum frigentibus, ut multùm omnino in ſpiculis ventriculo & inteſtinis adhuc impactis edomandis, fibrarumque irritatione compeſcendâ deſudaverimus, ceu in hiſtoriâ pleniore aliquando deſcribemus: frænis ſanè atque calcaribus heic opus eſt, ne quid nimis agamus, vel à medicamento exhibito præter ſpem atque opinionem accidat; ſunt enim quorum fibrillæ ſatis teneræ, à levioribus etiam ſtimulis, motus ſpaſmodicos promptè ineunt, vel mucus tenuior eadem facilius admittit: Pilulis aloëticis Francofortenſib. quinquies aliqui purgantur, quos toties dejicere non faciet vel ſyr. roſ. ſol. compoſ. juſtâ doſi exhibitus, vel infuſ. exfol. ſenæ cum rhabarb. De purgantium operandi modo & quî nunc in M. H. particulis ſuis ſubtilioribus delatis, fundant, variasque cum ſero particulas ad pancreas & ad glandulas potiſſimum inteſtinales deponi faciant, nunc in ventriculo & inteſtinis, ſubſiſtendo, mucum inteſtinalem tantiſper attenuent, ſeſeque inſinuando fibras vicinas vellicent nunc mitius nunc vehementius, ſicque cùm contentorum in his, tum ſuccuſſis & conſtrictis ſimul, vicinarum partium fibris ductibusque, inprimis verò etiam glandulis inteſtinalibus, liquorum variorum expulſionem moliantur, pluribus heic agere opus non eſt, cum quicquid ferè iſtius negotii eſt, ingeniosè abſolutum videamus, à Viris Celeberrim. *Williſio*, *Pechlino*, *Wepfero*, *Pejero*, aliisque, quorum iſte in enteradenographiâ ſuâ, ſimul difficultates exponit, circa particularum medicamentoſarum, in oſcula venarum meſaraicarum, vel etiam nervorum receptionem, probatque inter alia ob vellicationem, ſive dolorem à particulis purgantis, tanquam à veſicatorio in tunicâ inteſtinorum

excitatum, ſanguinis ſpirituumque animalium impetum potiſſimum verſus inteſtina dirigi, præterquam quòd ea ſit naturæ ſolertia, ut hoſtis ejectionem, eâ quâ irrupit via moliatur: ſeptici vero medicamenti, à cujus particulis, ſerum ſanguinis admodum colliquatum, fibræque inteſtinales ac ventriculi in motus ſpaſmodicos vehementer actæ ſunt, præſens hiſtoria commonſtrat; equidem qui ex Amicis defuncti ſecantibus nobis adſtiterunt, nonniſi verbera militum maleferiatorum crepabant, ceu ab his tum fatuitatis vel maniæ potius, tum mortis ſubſecutæ, cauſa unicè petenda foret; nullo autem damno inde illato viſibili, alio recurrendum fuit, accedente Dn. Paſtoris teſtimonio, qui ab ineunte ferè ætate, uſq; hominem non ſapuiſſe retulit; an fortè fibrillarum in cerebro vitium aliquod adfuerit, de quo ipſius flaccíditas teſtari aliquibus viſa eſt, aliis dijudicandum relinquimus: ſtudiosè certè ſingula perveſtigantibus & examinantibus, aliunde noxam deleteriam accerſere non potuimus, quam à medicamento, quod inſenſati à Nebulone illo petierunt, Ægrotoque propinaverunt; enim verò vix dum illud aſſumſerat, & à particularū enormibus inſultibus, angi, cruciari, tormina ingentiſſima perpeti, vomere enormiter ac dejicere cepit, uſq; dum eroſo muco denudatisq; vaſorum oſculis, cruor contentus ſatis tenuis & fluxilis, ceu, qui in corde repertus fuit docuit, extravaſa hæſit, ac cùm in ventriculi fundo, tum tenuibus inteſtinis, inflammationes funeſtas produxit, de quibus vivente ægroto, inquietudo, febris & ſitis intenſiſſima, eodemque mortuo autopſia teſtimonium evidentiſsimum præbuerunt: ſic miſerrimè luunt ſæpe numero homines, quod ejusmodi Agyrthis & Medicaſtris, quorum perfidia tamen notiſsima eſt, confidere malunt, quàm jurato Medico, qui coram juſtiſsimo Deo rationes reddere tenetur Medicinæ temerè adminiſtratæ: Nec eſt quod in hujus farinæ homunciones multum debacchemur, utpote qui ne nominari quidem à nobis & quibuscunque bonæ mentis merentur: illorum magis miramur & dolemus mutatam ſortem, qui cùm pro ſapientibus haberi velint, eousque deſipiunt, ut perſonis tam nefariis vitæ ſuæ curam committere non metuant, pœnam cum ejusdem diſpendio ſæpiſsimè dantes: ſexennium eſt & quod excurrit, à quo curæ adhibiti fuimus Viri quadragenario majoris, vegeti & robuſti: hic horrore primùm, hinc calore cum cephalalgiâ atroci correptus fuit, quæ deinceps cardialgia pertinaciſsima comitari cepit, horrore & calore per intervalla infeſtantibus, febrim erraticam vocavit, qui unà opem tum tulit Medicus: Nihil neglectum, ſed medicamentis varii generis, demulcentibus nervinis, præmiſſo primùm vomitorio, certatum eſt: inducias quoque dantibus doloroſis ſymptomatibus, infuſum rhabarbari exhibitum fuit, cepitque ægrotus meliuſculè habere; Ubi verò dolor protenus ſubſiſtere noluit, nobis inſciis ad famoſi

famoſi cujusdam medicaſtri in viciniâ opem confugit, qui vinum medicatum ſuaſit, ſpeciesque pro iſto miſit: Sub veſperam accedentibus, monſtrârunt hasce ſuperque iis ſententiam noſtram poſtulârunt: Luſtravimus hinc contuſas herbas, & olfecimus: nihil verò certi de iisdem ſtatuere potuimus, niſi quòd helleborum admixtum ſuſpicemur, ſerioque uſu hujus vini interdiximus: D. poſtero, cùm ſpreto noſtro conſilio, cyathum de iſto hauſiſſe inaudiſſemus, valediximus: D. ſequ. accurrerunt ſolliciti, & ardentiſsimè rogârunt, ut auxilium ferre velimus, homini peſsimè decumbenti: Accedentes in miſerrimo ſtatu ægrotum offendimus, qui, ceu retulerunt adſtantes, nonniſi ſemel ab aſſumpto medicamento dejecerat, mox verò rigore correptus fuit, cum ſiti, quæ jam inextinguibilis erat, τ μὲν ἔξω ψύξιν ἐχόντων, τῶν ὃ ἔνδον καιομένων: pulſuque in carpo prorſus deficiente; & ægro d. ſeq. ſpiritum Creatori reddente: poſſemus adhuc alias ægrorum hiſtorias ſubnectere quos ſimile fatum manſit, nî alii loco illas ſervare conſultius foret.

Observ. LXX.

Dolor colicus tympanitidem æmulans.

An. 1683. juvenis Ruſticus 20. circiter annorum, cùm tempore meſsis, fervente Solis æſtu, ſiti urgentiori, intempeſtivo frigidæ potu, ſatisfacere ſtuderet, dolores tandem lancinantes & rodentes, hic illic in hypochondriis perſenſit, ſed vagos ac iterum diſpereuntes, unde iis ſpretis, operæ ordinariæ ulteriùs incubuit, ſitimque ut priùs frigidâ denuò ſedavit, uſque dum dolores atrociùs ſævierint, & appetitus proſterni, alvus pertinaciter ſupprimi, abdomenque mirum in modum diſtendi ceperint: Vocati d. 1. morbi, bol. ex Elect. diaſcord. cum cinnab. antim. & laudan. op. præſcripſimus in anteceſſum: accedentibus verò retulerunt, aquam quam pridie æger biberat, per os regurgitâſſe: cœterà abdomen inſtar tympani tenſum deprehendimus, nec vel leviorem hujus contactum ferre poterat, pulſus naturali paulò frequentior, alvus reſpondit: Suaſimus mixtur. ex aq. fl. chamom. fœnic. Tr. caſtor. &c. cum pulv. ex bol. ebor. & cinnab. antim. Poſtridiè melius habuit, dormivit, ſitis remiſsior fuit: ſub veſperam autem ingruentibus doloribus, ol. amygd. dulc. cum eſſent. croc. aliisque antiſpaſmodicis propinari curavimus, à quorum uſu dejecit

jecit æger, doloresque multum remiſerunt, abdomine in priore ſtatu nihilominus permanente: perrectum in ſimilibus, & juxtà uſurpata tinct. antim. D. 8. morbi affinis ægroti nunciavit, ipſum modicè habere, ceſſâſſe dolores, neque abdomen amplius diſtendi: inde pulver. ex aperient. nervinum commendavimus, cujus baſin conſtituit diaphor. mart. cum cinnab. antim. & ocul. cancr. non neglectis externè illinendis: Injectus quoque fuit per intervalla clyſt. ex infuſ. ſtercor. equin. Eo ſingula cum ſucceſſu ut ad priſtinam ſanitatem rediiſſe viſus ſit: abdomine prorſus detumeſcente, & appetitu viribusque unà redeuntibus: Factum autem eſt aliquot ſeptimanis pòſt, cum appetitui nimis indulgeret, & cibis horariis caſeo præprimis ſe oblectaret, ut lienteriam funeſtam incurrerit, cum appetitu aucto, adeò ut continuò cibum ingerere neceſſe habuerit, quos tamen indigeſtos mox dejecit, uſque dum totus contabeſcens, diem ſuum parvo pòſt tempore obierit.

SCHOLIUM.

In præcedent. obſervat. ecquæ incommoda pariat intempeſtiva frigidæ ingurgitatio, quem ventriculi ſpaſmum, & quas glandularum obſtructiones induxerit, demonſtrare cepimus: Miſellus hic Juvenis fatum ſimile expertus eſt, dum fatigato diurno labore corpori, & faucium ab exhauſtis ſolis æſtu ſeri particulis aqueis, ariditati, aquæ frigidæ potu ſæpiùs ſatisfacere ſtuduit; enimverò auxit ita mucilaginem viſcidam & ſalſacidam, ſi non produxit, eamque inteſtinorum parietibus, coli præcipuè cellulis heic illic firmiter agglutinavit, ut non parvo pòſt tempore, ab ejus ſpiculis illic commorantibus, fibrisque nerveis, imò & glandularum poris impactis, dolores primùm lancinantes & rodentes vagi, accedente verò deinceps novo fomento, iidem atrociſſimi cum pertinaci alvi ſuppreſſione, abdominis duritie ac diſtenſione tympanicâ, ac appetitus proſtratione ſubſequi ceperint: equidem, qui ejusmodi ſalſacidum, viſcidum generatum fuerit ilicò, fortè adeò difficile dicere non eſt, quamvis enim de commiſſo in victu errore nobis certò nil conſtiterit, id tamen ratum apud omnes arbitramur, craſſioribus & durioribus cibis uſque aſſuefieri ruſticam gentem, eosque à menſtruo ſtomachi pro viribus digeri: nec labem facilé inde percipere, quod aſſueta eſt: Valetque heic Hippocraticum dictatum ſect. 2. τὰ ὲπ πολλῦ χρόνῦ συνήθεα, καὶν ἦ χείρω τ ἀσωμήθων ἦόνον ἐνοχλεῖν ἐωθεν Prout autem de unoquoque individuo iſta non valent, ita fieri potuit facilè, ut viſcido ejusmodi

modi prævia victus ratio cauſam occaſionalem ſubminiſtrarit, cui fovendo, fortiùsque impingendo aquæ dict. ingurgitatio aptiſsima fuit: Sanè præterquam quòd æſtivo tempore particulæ aqueæ per ſudorem copiosè abſcedunt, ſubſiſtentibus ſalinis fixioribus & craſsioribus, ſpiritusque motu unà abſumuntur, unde fermenta viſcerum juxtà enervantur, aquam quoque, quâ tum temporis ſitim ſublevare conſuevére, nec recens ſemper eſt, nec æquè pura, ſed vel lenteſcens & ad ſubſiſtendum ſ. putreſcendum in corpore aptiſsima, vel ſi recens ex flumine, rivulo vel fonte hauriatur frigidiuſcula, iis ſaltem (ſi non aliis infecta) particulis donata, quę rigidiuſculę cùm glandularum ſero, particulisq; ciborum reliquis junctę, ejusmodi mucaginem ſalſacidam producere & fibrarum interſtitiis comodum impingere poſſunt, unde enarrata malorum lęrna ſuccedit, quam pituitę vitreę, Vett. non malè attribuunt: Ex Recentioribus aliquot eſſe videmus, qui colicam duplicem faciunt, humoroſam & convulſivam, non quaſi in hoc affectu inteſtinorum ſpaſmos inficientur, utpote quos adeſſe ratio ipſius formalis ſatis edocet, ſed quod iſti nunc à contentis humoroſis in inteſtinis hærentibus, tanquam à causâ occaſionali proritentur, nunc verò fomes præcisè hæreat, circa nervos ad inteſtina diſtributos, verbo intra plexus nerveos meſentericos: Verùm Clariſſ. Williſius pro morbi hujus ætiologia non arbitratur ſatis eſſe ſtatuere, inteſtina vel ab acrioribus ſuis contentis vellicari, vel à ſanguine aliisvé humoribus iisdem ſuffuſis, ac continuitatem ſolventibus irritari; enimverò nec bilem nec pituitam vel ſuccum pancreaticum aliumvé quemcunque humorem aut ſimplicem, aut cum aliis effervescentem, dolores adeò atroces & fixos excitare: quò accedat, quòd inteſtina propriâ mucagine obliniantur, contra contentorum ſpicula, &, ſi graviùs irritentur, quidquid moleſti in ipſorum cavitate continetur, facilè excutiant, ſurſumque vel deorſum propellant, unde ad aliam ſedem, viasque affluxionis, dictos viz. plexus, eorumque liquorem ac ejus recrementa recurrit: Aſt pace tanti Viri aliorumque, quid de ſucco iſto, ejusque inquinamentis ſentiendum putemus, alibi jam diximus: neque inficiati fuimus, hactenus copulam irritantem circa dictos plexus aggeri, vel etiam alibi ſpiritibus interdum accreſcere poſſe, perſuaſumq; habemus, utriusque generis colicam ſæpe conjungi, inprimis affectu pertinaciore exiſtente: hiſce tamen omnibus ita ſuppoſitis, ejus concluſio firma non videtur: dato acri vellicante in inteſtinis aggeſto contento, & impacto, cujusmodi Authorum Excellentiſſ. experientia comprobavit & præfat. Vir Clariſſ, prorſus negare non potuit, dolores ejusmodi atroces ac diu perſeverantes progigni non poſſe, enimverò ſi omnino plexus meſenterici ſpaſmodica affectio pro tali effectu requiritur, quidnî ex irritatis & in ſpaſmum actis fibris nerveis inteſtinalibus,

quæ ceu rivuli ex fonte iſto propagantur, ipſam viciſſim contrahere poſſet, ceu alibi nervorum mutuum conſenſum & unionem explicuimus: In præſenti caſu fomitem utrobique aggeſtum fuiſſe nec negabimus pertinaciter, nec affirmabimus: contorſiones ſanè ac corrugationes convulſivas, præter dolorem atrociſſimum, cùm alvi pertinax conſtrictio aquarumque epotarum per os regurgitatio, iisdem in ventriculo ſpaſmodicè conſtrictis, tum etiam abdominis tympanitica ſummèque doloroſa diſtenſio oppidò commonſtrant, à quâ ſpiritus adeò exhauſti, fibrarumq; tenor cum glandularum fermento & texturâ labefactatus eſt, ut funeſtam, cùm ad ſanitatem tantiſper redire incepiſſet, ex pravâ victus ratione, lienteriam incurrerit: ex hac peritonæi muſculorumque diſtenſione ſubitâ, Excellentiſsimi Piſonis opinio quoq; nonprorſus rejicienda, inprimis autem laudatiſſima in perveſtigandis morborum cauſis opera laudanda venit, dum tractat. de morb. ventr. inferior, à proluvie ſerosâ &c. ex autopſiâ ſibi perſuadet, dolores colicos à colluvie ſerosâ circa nervos ſexti ſeptimivé paris aggeſtâ, atque hinc in peritonæo, quod propagines illinc recipit, & in meſenterium propagatur, ſpaſmodicè affecto deducendos eſſe: indeque ita fatur pag. 253. Quoniam porrò credibile vix eſt, cauſam convellentem inteſtina ipſa univerſa afficere, & verò dolor ferè lumbis inſtat, urgetque maximè, atque aliâ ex parte nonſolùm inteſtina afficiuntur, ſed partes omnes toto ventre inferiore contentæ evidenter coafficiuntur, vero ſimile eſt dolores prædictos ſequi affectum ſeu divulſionem non tam inteſtinorum propriam, quàm partis alicujus communis inteſtinis, cum cæteris omnibus membris inferiore alvo contentis: atqui certè peritonæum propagatum in meſenterium ex anatomiâ omnium omnino viſcerum & partium inferiore alvo contentarum eſt commune vinculum, imò communis membrana, ſiquidem eas omnes inveſtit involvitque & cingit undiquaque, ipſa ſcilicet è lumbis exoriens, ſed diffuſa & propagata ad omnes omnino eas partes: prætereà nervi ſexti paris è thorace egreſſi omnibus omnino partibus inferioris ventris ſeſe communicant: per ſympathiam itaque ſive propaginum nervi ſexti paris, ſive peritonæi convulſio omnium partium ventre inferiore concluſarum ſequi poteſt: Meſenterium certè Excellentiſſ. Caſpar. Bartholinus ſpecim. adminiſtrat. Anatom. meſareum, ligamentum ſuſpenſorium hepatis &c. non deſignare, niſi peritonęi varias partes, prout variè à partibus contentis extenditur docet: quid mirum igitur, ſi plexibus nerveis in iſto affectis, peritonæum ſimul cum fibrillis muſculorum in membranas collectis convellatur ac diſtendatur; ut mirari omnino ſubeat culpari Piſonem à Williſio, quòd circa ἐγκέφαλον fomitem quærat, vel peritonæo è lumbis enaſcente, cùm tamen liquoris per nervos accedentis ad plexum

meſen-

meſentericum inquinamenta ac recrementa, *ille* viciſſim crepet: ſed nolumus litem hanc diutiûs noſtram facere: de opiatis pauca ſubnectemus, quorum uſum in ejusmodi ſpaſmodicis affectionibus, & haud ita pridem in exquiſitiſſimâ lumbagine, egregium comperimus: Opiata, inquit Ettmüllerus cap. de colic, ſunt optima, conveniunt tamen magis in convulſivâ, ſed appropriatis miſta, in humorosâ poſt purgantia potiſſimùm uſurpantur, figunt enim antè aſſumpta materiæ viſcidæ, lenteſcentis, & nondum ſolutæ motum: Puellæ novenni, cholerâ gravi afflictæ bolus ex elect. diaſcord. cum laudan. cydon. conflatus opem præſentaneam tulit in pago Cander, & haud ita pridem Viro conſiſtentis ætatis, febri malignâ atrociter decumbenti, laud. opiat. cum convenient. vehiculo exhibitum, ſudorem cum ἀΦοείᾳ concitavit, deliriisque pertinacibus frænum ſalubre injecit, ceu aliquando prolixiùs exponemus: In cauſam effectuum laudabiliſſimorum inquiſituris, opii particulæ ex quibus conflatur, modusque hinc operandi variè examinandæ ſ rent, quod Clariſſ. Helmontium feciſſe videmus, qui ſulphur ſomniferum & ſal volat. acre ſudoriferum ipſi adſcripſit: Sunt verò ex Medicis præſtantiſſimis, qui doſin parvam, quâ exhiberi conſuevit, & infra quam ſæpiùs ſubſiſtere malunt Prudentes, quàm verò auctiorem propinare perpendentes, effectus dictos non tam hiſce particulis quàm Opii in ſpiritus animales actioni attribuunt: ita laudatiſſ. Ettmüllerus §. 16. de Virtute Opii Diaphoret. Opii, inquit, uſu certam ſpiritibus animalibus quaſi ſegnitiem & torporem indeque in movendis partium organicarum fibris languorem induci, ſicq; fluidi humoralis partiumq; moventium impetum cohiberi, atq; ſpaſmodicas affectiones ſedari. Eodem quoque remedio fibroſorum cutis ſtaminum tonum & tenſionem adeò relaxari, ut flaccidiore hinc redditâ cute & copioſius emulgere ex M.S. glandulæ & uberiùs per tubulos excretorios excernere valeant, ſicque per accidens ſudoris profluvium ſuccedere, id quod ſudoribus ſpontaneis tempore ſomni copioſè profluentibus probatum dare nititur: Et certè non exiguam ſpirituum impetum coërcendi vim obtinere opium, experientia confirmat, utrum autem ipſorum manipulos aliquot enecet, quod Williſium contendere ſuperiùs monuimus, valdopere dubitamus, ſatiusque ducimus, in pingui & oleosâ ejus texturâ, ratione cujus in minimâ licèt mole latiſſimè ſe diffundit & explicat, ſpiritumque animalem utpote ſubtiliſſimum ſubtiliſsimis ſuis effluviis maximè afficit, eiq; aſſociatur, & à pernici ac promptiore in partes corporis noſtri influxu detinet, quo ipſo etiam glandularum in cerebro pori & meatus labis aliquid accipiunt, ut particulas ſeroſas, inprimis M.H. talibus ſatura, non rarò faciliùs admittant, à quibus deinceps ipſorum activitas & prompta ſecretio unà læditur; Plura qui volet adeat accuratam Excellentiſſ. Wedelii Opiolog.

OBSERV. LXXI.

Hydrops à ſcirrho partium glanduloſarum.

Anna Buoſingerin annorum circiter 17. miſella & paupercula, pravâque hinc victus ratione uſa, in orphanotrophio labori quotidiano vacans, ſæpiùs noſtram imploravit operam, conqueſta tùm de dolore circa fundum ventriculi, & fœtore narium, adſtantibus valdè moleſto: Suaſi uſum pulver. aperitiv præpar. cum purgante ex fol. ſen. cum prunis decoct. Rediit hinc ad priſtinam operam. D. 20. Jan. 1681. quum viſitatione hebdomadariâ fungeremur, ægra in lecto decubuit, de ventris intumeſcentiâ renitente, appetitu proſtrato & artuum inferiorum tumore qualicunque conqueſta: præſcripta fuit mixtura per cochlear. ſumenda. Viribus deficientibus, maloque in pejus ruente, cardiaca propinata ſunt, uſque dum ægra d. 11. Februar. An. ejusd. ſpiritum Creatori reddidit.

D. inſequ. Cadaver aperuimus præſentib. Viris Clariſſ. D. D. König, D. Licent. Speckero & Dn. Ritzio Pharmacopolâ. Muſculis abdominis ex altero latere inciſis, aduſque menſuras duas ichoris flavi, ſubfœtidi, ex cavitate abdominis vacuavimus, prorumpente magnâ copiâ ichoris purulenti ex ore ſimul & naribus: hinc iisdem ex oppoſito latere remotis, epiploon putridum non tamen planè abſumptum comparuit: inteſtina quoque non admodum inflata erant, colon tamen colore flavo maximè tinctum: *Hepar* prægrande ſatis, & parte cavâ lividum omnino oſtendit *veſiculam felleam*, bile croceâ ſubviſcidâ diſtentam, intra cujus membranarum duplicaturam, prope ductum choledochum, *corpus* notavimus *albicans*, *ſcirrhoſum*, quod diſciſſum cùm inflaremus, tunica exterior, quaſi melle ſpumoſo turgida eſſet videbatur: Eidem *hepatis* cavo arctè ſatis connectebatur *ſcirrhus* inſignis, à parte inferiore *pancreatis*, ubi hoc inteſtinum tenue lambit, enatus: parte verò gibbâ hepatis glandulæ accuratiſsimè notari potuerunt, liquore rutilo parcè admodum, & reticulariter loca intermedia perreptante: Parte ſui ſuperiore pancreas magis erat incolume. *Ventriculus totus* conciderat, prope-

propeque hujus orificium ſuperius, & abhinc ſecundum *æſophagi* & *ſpinæ* longitudinem *glandulæ* ſcirrhoſæ,& ex parte nigricantes, majores& minores, (ſcrophulas dixiſſes internas) copioſæ deprehenſæ ſunt: *Meſenterium* gelatinæ ſimile, & vaſis ſanguiferis albidis magis, quàm rutilis donatum: *Gelatina* circa inteſtina craſſa manifeſtiſſimè diſtingui potuit, ut & *glandulæ* per eorundem tunicam tranſparentes: Prope ſpinam meſenterii glandulæ mirum in modum excreverant, ſcirrhoſiſſimæ, pugnum majorem adæquantes: Inciſione autem factâ, prodiit *ſubſtantia albicans* inſtar ſebi concreti: Lien magnus ſatis, totusque corruptus: *Renes ſuccenturiati* ad ʒiij longi & ʒj lati, intus cavi fuerunt: *Ren ſiniſter* in medio fiſſuram habuit inſignem, qualem etiam in aliis jam obſervavimus: vaſa emulgentia in hunc inſerebantur duplicata: non item in dextrum. Cæterùm uterq; fuit flaccidus: *Ovarium* pauca ovula habuit: *Venter medius* ichore ſuprad. refertus erat: *Mediaſtinum* autem ſterno & diaphragmati ita adnatum, ut *ſcirrhos* in ipſo diaphragmate accuſâſſes: *thymus* itidem totus erat ſcirrhoſus: Pericardium craſſum, multo ſero turguit, *Auriculæ* cordis maximæ: *Cor* tamen minus pro ratione ætatis & ſtaturæ; *Pulmones* adnati coſtis, non tamen purulenti.

Obsерv. LXXII.

Hydrops ex Rene dextro, materiâ calculosâ oppleto &c.

JAcob Schvveitzer Ludi Magiſter, cùm ex caſu in ſpinam dorſi, ad munia ordinaria obeunda, paulò ineptior redditus eſſet, à Dn. Curatoribus Noſotrophii ſuſceptus, & per aliquod temporis intervallum in iſto ſuſtentatus fuit, vino cùm potuit plus ſatis indulgens: Primùm de quo apud nos conqueſtus eſt erat faucium ardor cum oris amore, quibus cùm remediis convenientibus ſatisfeciſſemus, pòſt de tumore Ventris ſenſim ingruente, querelas movit: Ex loco priſtino in Eleemoſynarium receptus, heic remediis idoneis vacavit: Præſcriptum fuit Apozema diureticum, quo ſatis bene habuit ab initio: tumore autem magis magisque

ingraveſcente, viribusque juxta proſterni incipientibus, apozemati aquas cardiacas adjunximus, quorum Virtutem nihilominus morbi ferocia eluſit.

Miſeri hujus Cadaver cultro ſubjecimus d. 18. Decembr. 1678. præſentibus Vir. Clariſſ. & Præſtantiſſ. D. Jacobo Hardero, Scaf. & D. Hieron. Zollicofero Sangall. Med. D. & D. M. Speckero Baſ. Med. Licent. Integumentis quâ propriis, quâ communibus, cultro diſciſsis, copia prorupit aquarum ingens, colore materiæ chyloſæ turbidæ, ad menſuras uſque octo: *Epiploon* hinc ſe obtulit putredine conſumptum: *Lien* ſcirrhoſus planè cum *pancreate* duriſsimo. *Hepar* à ſtatu naturali & ipſum deſciverat, non autem tantopere ut *Lien*: *Veſicula* fellis bile porracea admodum diſtenta. *Meſenterium* non admodum corruptum: aſt in *Renibus* lærna malorum: Hi ſub hepate & Liene arctiſsimè detenti & involuti, ſpinæ adeo pertinaciter adhæreſcebant, ut multâ operâ vix divelli potuerint: Dexter ad attactum duriuſculus, inciſione factâ, mirum quantum *materiæ gypſeæ* ſpumavit, quæ preſsis papillis copioſiſsimè erupit: (copiam hujus non paucam etiamnum inter curioſa noſtra ſervamus.) Alter autem *ſiniſter*, ſatis magnus, tumidus, eâ quâ vaſa ingrediebantur parte, hydatidem prominulam habebat inſignem: Hîc inciſione factâ, *papillas* conſpicere licuit amplo ore hiantes, pauloque profundius cultro adacto, copia multa ptorupit humoris turbidi. In medio *Ventre pulmones* vidimus putridos & corruptos, quorum dexter coſtis & ſterno firmiſsimè annectebatur: *Pericardium* aquâ moderatè plenum: *Cor* autem per exteriorem membranam pellucebat.

SCHOLIUM.

De pectoris & pericardii hydrope, ſuperius aliqua innuimus, jam de hydrope aſcyte, diſſerendi anſam nanciſcimur, affectu ſatis frequenti, utinam modo & cauſæ notitia atque modi, quo ſynathiſmus aquæ in hoc affectu fit, & ratio curationis ejus tam faciles inquiſitu eſſent: De iſtis fatur Hippocrat. hunc in modum: Καὶ ἐπὴν νῆσος ὑπηγένηται τῷ ὑδρωπὶ πολλῷ χωρέῃ ὑπὸ τῆς κοιλίης. καὶ ἐς τὸ σπλῆνα ἔρχεται αἰεὶ ὑπὸ ξ πο῀ε, ἐπὴν πίῃ ὁ ἄνθρωπος. γίνεται δὲ ὑπὸ τῆς νόσου ταύτης, ὥστε μὴ συρετώδη ἄλλως ἐν τῇ κοιλίῃ, ἢ ὁκόταν ὁ ἄνθρωπος λιμώσσῃ. ἰὼ δὲ ἡ κύστις καὶ ἡ κοιλίη μυδλιηθέωσι κατερόπον, μηδὲ ὑπιτη-

Ἀπιπολέη διαίτη ὁ ἄνθρωπος χρῆται &c. A Galeno ejusque asseclis refunditur ascites omnino in αἱματώσεως noxam & frustrationem sanguificationis, consequentem insignem facultatis αἱματοποιητικῆς in hepate imbecillitatem per intemperiem frigidam, eamque summam: Verum enimverò præterquam quod istam hepatis temperiem intemperiemvé cum functione ipsi adscriptâ, procul rejiciendam esse superius monstravimus, docuit insuper anatome alios nobiscum, hepar & lienem in omni hydrope pariter non affici, uti quidem Galenus hypothesi suâ fretus sibi persuasit: Eleganter sane occasione horum Excellentiss. *Piso* tract. de Morbis à proluvie serosâ: Mihi attentius in humoris continentis causæ ascitis intuenti, nunquam satisfacere potuit Galeni opinio ab omnibus scholis hucusque summa cum approbatione atque unanimi Medicorum consensu recepta, sed alias esse ejus causas à generatione aquæ loco sanguinis laudabilis symptomaticâ, & intemperiem hepatis frigidam consequente diversas, ex hac sequenti ratiocinatione intelligere est. Inprimis enim aquam in hydrope legitimo ascite dicto collectam, & tumoris continentem causam tam certum est quàm quod certissimum, *partem esse seri, chyli & sanguinis vehiculi*, ut qui de eâ re dubitet, is sensu egere videatur: hoc enim similitudo substantiæ, imò identitas evidenter docet; & urina ut plurimum pauca nec quantitati potus respondens confirmat: deinde quia seri conceptacula à naturâ instituta sunt venæ & arteriæ, in quæ vasa id cum chylo & sanguine ex potu & cibo genitis è visceribus illabitur, necesse est serum abdominis in cavitatem venisse defluxisseque è vasis, quæ decurrunt aut sedem habent, inserunturque membris ventre inferiore concluſis, siquidem hic venter undiquaque membranis densis sepitur, & circumcingitur quas aqua non facilè præterfluit: Quia ergo omnis motus, vel est ab interno principio, vel ab externo, qui duplex est tractio scilicet, & pulsus; atque in abdominis cavitate nihil quod serum ad se trahat è vasis, exugatque reperire est, in eam certè cavitatem serum sponte suâ è vasis defluit, aut motu pulsus conceptaculis suis expressum extrusumque decidit, & quocunque modo descendit, vel per diapedesin ex occultis tunicarum poris desudavit, vel per anastomosin ex apertis vasorum oscillis defluxit: nam ruptionis vel erosionis vasorum nullæ causæ nullaque indicia: In quibus verbis satis appositè Vir Clarissimus ex causis ascytis conjunctis principalissimam exposuit; humorem viz. aquosum ex vasis sanguiferis abscedentem & extillantem; cui adjungit Excell. Willisius & ipso cum plures alii Viri Clarissimi, Vasorum lacteorum & lymphicorum præprimis disruptionem, vel etiam obstructionem aut compressionem, quæ tamen non prorsus placere videmus aliis, qui fontes hosce rarius aperiri, hancque vasorum ruptionem usque demonstrabilem non esse dicunt: Equidem

ut super

ut ſuper re ſatis arduâ ſententiam noſtram exponamus, itidem priorem cauſam pro frequentiſsima admittimus, juxta tamen nondum videmus, qui vaſculorum lymphaticorum ruptio vel dehiſcentia oſculorum eorundem ab irruente lymphâ copiosâ, aut etiam obſtructio à viſcidâ implente ac diſtendente, aut compreſsio ab extrinſecus incumbente, ac identidem ejus motum ſufflaminante prorſus negari poſsit; quamvis enim demus unà cum ſero particulas fibroſas ac alias nutritias pauciores extillare poſſe, gelatinam ſive formantes in cadaveribus viſibilem, ſive ſero ſuper prunas poſito conſpicuam, inde tamen concludi nequit, lymphæ motum pariter impediri non poſſe à tumote partium ſcirrhoſo, glandulis vaſa lymphica emittentibus pariter ac recipientibus infarctis ac obſtructis, & lympha iſta viſcidiore ac torpidiore exiſtente, cujuſmodi ſanè eſt, ubi parilem lentorem ac ad motum ineptitudinem ſanguis ipſe poſsidet: aut dicendum erit, ſubſiſtere in partibus glandulisvé partes viſcoſiores, tenuiores verò in vaſcula dicta jugiter uſque recipi: quæ num cum ratione & experientiâ conveniant, dubii hæremus adhuc, videturque abſurdi nihil eſſe, dicere ex vaſis lymphicis in abdomine, hepate & meſenterio conſpicuis, lympham pariter extravaſare poſſe, atque in hydropibus partialibus illud admittit Celeberr. Ettmüllerus: ſed ad priorem cauſam tranſimus, humorem viz. ſeroſum ſanguine copiosè excedentem, cujus cauſæ variæ ſecum eſſe poſſunt; enimverò *vel aquoſior ſanguis eſt, & ad diſſolvendum aptus*, cujus proin particulæ aqueæ facilè in partibus abſcedunt ac ſubſiſtunt; idem in motu torpidior plerumque eſt & lenteſcit, ceu ſupra monuimus, hincque vaſa pneumonica mole ſua opplet pulmonesque ipſos ponderoſo ſuo motu gravat, unde hi ſæpius rimas agunt, per quas exudans ſerum aut etiâm lympha vicinis partibus pleuræ, diaphragmati ac pericardio ipſos ſæpiſsimè agglutinat, imò frequenter labem unà funeſtam ipſis affricat ceu præſentes hiſtoriæ teſtantur: atque id dicere neceſſe habemus, in hydropicorum ſectionibus, quas plures citra jactantiam inſtituimus, nos uſque in organis pneumonicis labem graviorem inveniſſe, ut perſuaſi ſimus adhuc, in dictâ ſanguinis diatheſi, pari celeritate partibus hiſce noxam inuri, ac aliis uſquam: vel in *vaſis ipſis vitium latet*, quando oſcula ipſorum vel laxiora ſunt, aut prorſus occluſa exiſtunt, ſuntque hæ cauſæ principes quas Clariſſ. Williſ. allegat. cap. 2. ſect. 2. Part. 2. de medicamentor. operation. Et certè obſtructio vel compreſsio vaſorum, quâ ſanguinis circulus interrumpitur, non parum in hydrope progignendo valet. Notârunt alii nobiſcum ex ligatis venis jugularibus canes multum aquæ ſub cute capitis & muſculorum intercapedinibus paſſim congeſtum fuiſſe, ex ſanguinis arterioſi in venas libero commeatu impedito, unde ſeroſa portio facilè exundat & inter muſculorum interſtitia

cumula-

cumulatur, alibiqúe verſus loca declivia decumbit: atque hâc ratione hydropes ſubitanei oriri poſſunt, ex vaſorum in corde conſpicuorum occluſione à polypo vel compreſſione: Eidem impedimento anſam dant hepatis, lienis meſenterii &c. ſcirrhi inſignes, à quibus comprimuntur ſubjecta vaſa, artusq; inferiores intumeſcunt, imò ipſum abdominis cavum aquis inundatur: Et quamvis ejusmodi tumores, vitium ſanguinis vel lymphæ jam arguant, indeque ad hydropem diſpoſitionem, huic ipſi tamen malo primarium fomentum dehinc præbere negari nequit: ſic in priore hiſtoriâ ſanguinis torpiditatem ex malâ victus ratione contractam atque auctam, tot ſcirrhis occaſionem dediſſe, imò lymphæ vitium ſuprà notatum produxiſſe, ceu meſenterium totum gelatinæ ſimile probare videtur, apud nos ratum eſt: Id verò inſuper rationi conſentaneum, ab iisdem cùm ſanguinis tum lymphæ liberum curſum ac recurſum ſufflaminatum ac ita utriuſque regurgitationem atque extravaſationem promotam fuiſſe, coarctato enim ſanguini, ut tranſitus quoquo modo patefiat, quod tenue & aquoſum eſt prorumpit, & in vicina loca deponitur, ubi pòſt reſtitans, atque membranulis interceptum hydatides, cujus in rene ſiniſtro inſignis hiſtoria poſterior meminit, gelatinæ ſimiles alicubi efficit: Præter ſcirrhos autem adhuc alia ſunt, quæ ſerum abſcedere faciunt, imò ſuprà dictam ſanguinis diatheſin augere poſſunt, utque de pectoris pathematibus, aliisque morbis, ictero, hæmorrhagiis nimiis &c. plura non adjiciamus, tranſpiratio inſenſilis ſuppreſſa, & inprimis urinæ excretio deficiens, frequens hydropis cauſa ſunt, atque hinc eſt, quòd Helmont. Renem ceu adæquatum artificem omnis hydropis aſſerit, dubiumque non eſt, quin materia gypſea, quo Ren dexter Ludimagiſtri infarctus fuit, huic commodiſſimam anſam dederit, M.H. vitio, quod eadem confirmat, non prorſus rejecto: nec potuit duplicatâ quaſi actione ſeri vacuationem promovere *Ren alter*, cujus papillæ amplo ore hiantes ecquam ſtrenuè illud ſecreverit, probare poterant: nec vaſculorum renalium obſtructionem nudè accuſabimus: Regurgitans inde pars aquoſa exitialem labem ipſi M. H. infert, dum ſolvi magis craſin ejus, torpeſcere motum & laxari vaſculorum facit oſcula, hincque quâ datâ ferè portâ, ſibimet quaſi effluxum parit: Id verò apud Eruditos Naturæ Ruſpatores ambiguum adhuc eſſe animadvertimus, negatâ vaſculorum lymphicorum ruptione vel eroſione, explicare fontem aquarum tam copiosè ſæpe in abdominis cavo ſtabulantium, à quarum limpiditate ac tenuitate ad illorum ruptionem argumentatus fuit Celeberrimus Sylvius: arteriæ cœliacæ & meſentericæ, harumque propaginum oſcilla alicubi aperta, fontem hujus probabiliter facit Clariſſ. Williſ. nec inficias pervicaciter ire poſſumus: illud verò Artis noſtræ Statoribus penſiculandum relinquimus, cujus Hippocrates

pocrates supr. cit. loc. & sub finem præc. S. meminit, annon ex epiploo hujusque vasis aquæ hæ unà scaturire possint? enimverò licèt ductus aquosos, quos aliqui ipsi attribuunt, nondum credamus, id tamen asseverare possumus, in hydropicorum sectionibus partem hanc vel erosam & absumptam, vel sumè extenuatam putridamq; nos reperisse: Excellentiss. quoque Pejerus in Scholio ad historiam hydropici quam Method. Historiar. Anatom. exhibet, magnam aquæ in ejus abdomine repertæ partem à peritonæo destillâsse judicat, siquidem hoc porosum plurimisque sanguineis vasis distinctum fuerit, quæ hinc natura dilatârit ac multiplicârit, ut hâc redundans serum commodè exantlaret: Merentur sanè ejusmodi φαινόμενα ulterius scrutinium pariter ac attentionem, idque heic aliorum judicio submittimus quod superius in histor. hydrocephalici attigimus, añon serum ejusmodi ex meningibus harumq; vasculis æquè exundare possit? ut lamellarum cranii in recèns natis laxas commissuras, per quas serum facilè exudare potest, linquamus: de vasis verò lymphicis in cerebro conspicuis, quibus negotium facilè absolveretur, nostrâ ex autopsiâ certi quid dicere nondum audemus, aliorum hinc tantisper contenti.

Observ. LXXIII.

Ex peripneumoniâ phthisis & hydrops.

Wilhelm Leyhli Lucisvallensis, 15. circiter annorum, ex orphanotrophio, ubi quotidiano vacabat labori, morbo periculoso decumbens, mense Iunio ann. 1677. in nosotrophium, sanitatis, si ita Deo placuerit, recuperandæ ergo, admissus fuit: cùm tum temporis adhuc curæ ægrorũ vacaremus, vidimus ægrotum, facie ex subatrâ pallescente, siti vexatum intensâ, pulsu præditum celeri debili & inæquali, difficultate spirandi pressum, & de sputo sanguineo purulento, cum magnâ appetitus prostratione, anxiè conquerentem: solliciti tum hærebamus, cùm meliora edocere, neque ab ægro, neque ab adstantibus potuerimus, utrum pleuritidem præcedaneam æger passus fuerit, nec ne: Tandem verò cùm doloris pungitivi in latere, se vestigia ulla unquam sensisse, negaret, contrà sputo cruento cum tussi, quod jam purulentum evaserat, ab aliquo tempore vexari confessus fuerit, eum ex peripneumoniâ phtisicum jure arbitrati fuimus, hinc præscriptæ potiones vulnerariæ cum decoct. pectorali antiphtis. aliavé

vé quæ è re eſſe videbantur: Verùm & hic, quod fieri ſolet, doctâ prævaluit arte malum, ægro vitæ hujus miſellæ afflictionibus feſſo, ſpiritum Creatori ſuo reddente.

Antequam occaſionem cadaver luſtrandi arriperemus, placuit priùs ab Excell. Orphanotrophii tum temporis Medico ordinario ſciſcitari, quonam morbo primitùs affectus fuerit, & quænam ſymptomata, ipſi adhuc in orphanotrophio degenti, infeſta præcipuè eſſe ceperint, qui per alium nos certiores reddidit, ſe in miſello hoc corpore, jamdudum affectionem ſcorbuticam metuiſſe, jamque ab aliquot ſeptimanis phthiſicum eundem auguratum eſſe: Quibus ita exploratis operi ſectionis nos accinximus, linteamentis, quibus demortuos obvolvi honeſtas ſuadet & Scriptura imperat, remotis, ventrem infimum tumidum omnino, de quo nec æger conqueſtus unquam, neq; nos quidquam in ipſo animadvertimus, contuiti ſumus, unde ſtatim ingentis ſeri copiæ ſuſpicio mentem noſtram neque fruſtrà cepit: Involucris infimi ventris cum epiploo, quod ſubputridum erat, ablatis, deprehendimus hepar p. n. omnino magnitudinis, parte cavâ corruptum & putreſcens unà cum veſiculâ felleâ, quæ uti in cæteris gelatinam referebat: ſuccus tamen effluens ſubater erat & lividiuſculus, parum ſpumoſus: in hypoch. ſiniſtro lienem deprehendimus tumidum, flaccidum, corruptum, & quoad interiorem ſubſtantiam nigricantem omnino. Pancreas ſub ventriculo vidimus maximum, glandulis inſignibus & duriuſculis ſuperbiens. Meſenterium obſervavimus gelatinoſum planè, maximè quoad extremitates, quibus inteſtina cingit: gelatinoſus hic humor ferè inteſtinalium cellularum exteriorem faciem circumdedit, ipſamque meſenterii ſubſtantiam tantoperè occupavit, ut difficile fuerit, vel vaſa vulgò dicta meſenterica, vel quod plus eſt glandulas detegere: In ipsâ hujus ventris capacitate ingens extitit ſeri copia, quæ integumentis diſciſsis, quâ datâ portâ fugam dare cepit, non tamen ita fœtidum, uti in aliis ſpirabat odorem: Cætera hujus ventris ſatis ritè habebant. Thoracis examen aggreſsi, diaphragmate ſeparato, multùm aquei humoris, ex thorace effluxit, neque facilè fuit pericardium à ſterno, cui firmiter cohærebat, absque ruptione ſeparare: In peri-

cardio aquam adhuc copioſam reperimus, quæ autem ruptione factâ per viam Thoracis apertam ad inferiora vergebat: Pulmonum lobus uterque putridus erat & corruptus, magis tamen ſiniſter quàm dexter, uterque preſſus materiam reddebat purulentam.

Observ. LXXIV.

Anatome Adoleſcentis hydropici μεγαλοσπλάγχνου.

Anno 1678. menſe octobri in Orphanotrophio diem ſuum obiit adoleſcens annorum circiter 22. nomine Furler, proſapiâ ruſticâ oriundus, ex Arthritide vel magis Rheumatiſmo Aſthmaticus & hydropicus factus: hic referente Medico, tum temporis ordinario, per totum vitæ quod traxit curriculum, imbecillioris erat conſtitutionis, valetudinarius, cumque morbis conflictans ſæpius: Thermas Rheumatiſmo jam infeſtatus, Medico invito magis quàm volente, inviſit, ex quibus autem, ſi non deterior, melior ſaltem non rediit: hinc Empirici cujus generis Carnifices & ἀνδροκτόνους, plures hoc ſæculum alit, opem incautus efflagitavit, licet illam parum ſalubrem ſenſerit: in orphanotrophium ab hoc redux, aliquot ante obitum ſeptimanis d. ſymptomatibus aſthmate & hydrope magis magisque obrui cepit, donec tandem naturâ pugnæ nimietate fatigatâ, animam ad ſuperiora adſpirantem Creatori reddidit.

Aperto cadavere, plurima occurrêre memoratu digna. Ante omnia notare licuit copiam aquarum multam, quâ ex imo, quâ ex medio ventre, ſummo cum impetu, atque hoc diuturniore erumpentem: hinc apparebant viſcera (vulgò αἱματόσεις dicata) longè maxima: *Hepar* nimirum *Lien* & *Pancreas* ſed ſcirrhoſa omnia, alia tamen magis alia minus: In *Meſenterio* notabilem labem (vel multam gelatinam) animadvertere non licuit, ſecus ac in aliorum hydropicorum cadaveribus: *Renes* itidem magni ſatis, non tamen duri: reddidit interna horum ſubſtantia preſſa, materiam quandam puri analogam (quam gelatinoſam fuiſſe arbitramur) *Epiploon* putredine conſumptum erat: Medius

dius Venter discissus exhibuit *Pulmones* sterno & costis validè adhærentes ex utraque parte corruptos & putridos. Cor verò longè maximum, quale ac quantum portentum hactenus nec vidimus, nec apud alios legisse meminimus. Continebat illud in circuitu pollices octodecim, longitudine spithamã, & latitudine digitos octo: (Hujus *substantia* intrinseca fibrosa erat & carnosa, quæ ipsi quoque pondus fecit insigne.) Totum cor ultra libras medicas tres pependisse judicatum fuit: uterque *ventriculus* cum auriculis annexis scatebat concreta materiâ tenaci, seu polypis & grumis, præcipuè autem sinus dexter, è quo hos plenâ manu haurire licuit.

SCHOLIUM.

Confirmat utraque harum historiarum, quæ de organis vitalibus ac spiritalibus in hydropicis non rarò primariò læsis meminimus, enimverò non rejectâ sanguinis intemperie, aquositate ac fluiditate, (cùm in utroque scorbuticam ac rheumaticam dispositionem Medicus ordinarius, pridem tùm viderit tum suspicatus sit) labem quam senserint, spirandi difficultas utrumque primò invadens, & in *illo* sputum sanguinolentum pariter ac purulentum, pulmonesque hinc sterno & costis validè adnati, unà cum polypis complurimis in macrocardiâ *hujus* stagnantes, oppidò satis commonstrant: nec arbitramur ad viscerum nativum vitium, quod in utero matris contraxerint, in eodem necesse esse recurrere, quamvis ordinariam magnitudinem superârint, inprimis *cor*: si enim proportione cætera huic respondisse consideramus, insuperque robustissimas fibras, quibus erat instructum perpendimus, magis cogimur in sanguinis vitiatam Δύσκρασιν primariam noxam conjicere, quam ex malâ educatione & pravâ victus ratione contraxisse potest uterque, neque nobis constat, an orthopnœâ à primâ ætate laborare ceperint: Accedente sanè ex insignibus cordis thalamis in vasa grandiuscula sanguine ejusmodi aquoso & soluto, non tam gravati inde pulmones fuerunt, quàm verò ab eodem per venas pari copiâ & promptitudine non revecto, seri portio abscedere, ulterioremque labem pulmonibus sensim inducere potuit, ut lymphæ vitium vasculaque, quibus recipitur jam prætereamus: accessit, extravasanti sero in *illo*, unà cruoris portio non exigua, unde hæmoptysis successit, à quibus hinc junctim circa præcordia retentis & subsistentibus, spiritus difficilior redditus, sanguinisque circulus magis adhuc impeditus fuit, pulmonumque cum partibus vicinis adunaito & adnascentia (modo quem suprà descripsimus) ulteriùs

promota, & ſic malorum lærna aucta fuit; mirumque eſt ſeri parum è cavo thoracis, in *Furlero* dimanâſſe, in quo materia tenax & polypoſa, ſenſim ſuccreſcens & ad oſtium venæ cavæ aggeſta, partibus aquoſis & cruoris particulis tenuioribus in arteriam propulſis, ſanguinis ex cavâ liberum plenumque ingreſſum ſufflaminando, eum ferè effectum produxiſſe poteſt, quem Excellentiſſ. Lovverus in canibus ex ligatâ infrà cor venâ cavâ, promptè ſatis ſubſequi vidit, de quo etiam videri poteſt Clariſſ. Williſius citat. cap. part. 2. de Medicament. Operationib. fomentum augmentumq; non leve deinceps, ex noxâ à ſanguinis partibus craſsioribus & viſcidioribus prius illatâ, hepate lieneque ſcirrhoſis afferentibus, cæterùm hiſtorias de corde magno qui volet, adeat Sepulchretum Excellentiſſ. *Boneti* p. 38. & 594.

OBSERV. LXXV.

Affectus rari Hiſtoria.

Ex communicatione Excellentiſſ. SPONII *Patr.*

Ornatiſsima matrona, Domina Genovefa du Verney Lugdunenſis, Uxor Nobilis Viri Joan Claudii Marcellini, Doctoris & Profeſſoris Medici Collegio Medd. Lugdun. Aggregati, annos tum nata XXXIII. cum beſſe, quorum XX. in conjugio transegerat, quamvis neque puerperii, neque ψευδοκυήμα@ ullius, toto illo temporis tractu feciſſet periculum: Vitam interim ſedentariam agens, ac ῥοῇ γυναικείῳ jugiter detenta: poſtquam per duos antè menſes præter propter, balneo aquæ fluvialis intempeſtivè, prorumpentibus quippe tum ſtato tempore τῆς καταμηνίοις, ſe immerſiſſet: cœpit menſe Octobri anni 1667. animadvertere, tumorem quendam in ſiniſtro hypogaſtrio ſenſim ſubnaſci, qui ſeſe poſtea versùs hypogaſtrium dextrum propagavit, totumque ferè ſpatium, quod ab umbilicali regione deorſum exporrigitur, occupavit. Tumor autem iſte mediocriter durus erat ac anodynus cum tenſione: quæ res aliis perſuaſit, molam ſubeſſe, aliis hydropem uterinum, aliis tumorem frigidum in muſculis altioribus abdominis conceptum. Poſt adhibita varia præſidia tam Chiriatrica quàm Pharmacurgica, ad Thermas Vichenſes ablegata fuit, ut ibi aquas de Craticulæ nomine dictas, actu calentes hauriret, & quidem menſe Majo anni 1668. abs quarum lympharum

pharum usu tantum abest ut aliquid acciperet emolumenti, ut potiùs ab ipsis se deteriùs habuisse, palàm professa fuerit. Quùm ergo per annum integrum ab eo tempore domi hæsisset, variaque remedia incassum tentasset, adeoque ventrem indies magis ac magis intumescere videret, mense tandem Junii anni 1669. in animum induxit in Burgundiæ Ducatum iter capessere, ad pagum quendam districtûs Antisidiorensis, cui nomen Seneley, ut ibi Virum quendam cui nomen la Tour conveniret, quem fama vulgabat omnes affectûs p. n. ex sola Uroscopia deprehendere, prætereaque medicamentis instructum esse ad contumaciores quosvis morbos, cæterisque Medicis insuperabiles eradicandos efficacibus, ita ut Magi potiùs quàm Medici personam meritò præferret. Hujus itaque ardelionis remediis per dies XV. sine ullo fructu usa, Lutetiam Parisiorum se contulit, ubi à compluribus tum Medicis, tum Chirurgis inspecta, qui quo conflictabatur affectum hariolari, multo verò minus persanare potuerunt: Parisiis Lugdunum reversa est XV. Decemb. ejusdem anni, graviore quàm unquam aliàs infestata valetudine: abdomen enim adeò turgidum evaserat, ut neque erecta stare, neque decumbere posset, neque somnum capere, neque alvum, nisi clysterum adminiculo, dejicere, quos etiam nonnisi ægrè admittebat: lotia pauca reddebat: καταμήνια verò quot mensibus periodicè utplurimùm fluebant, minori tamen copiâ quàm sanitatis tempore. Per morbi decursum febris vel nulla, vel ἐφημέρα, idque perrarò. Totum corpus mirè colliquefactum ac extenuatum. Quod verò apprimè notari meretur, etiamsi intra ventris inferioris capacitatem ingens subesset aquarum proventus, neque femora, neque crura, neque pedes tumorem ullum unquam conceperunt, cùm reliquum corpus præter ventrem mirè intabuisset. Abdomen ipsius, quod ante iter Parisiense, tumorem unicum præferebat ab umbilicali regione deorsum, etiamsi vel tunc subleſta rudimenta tumoris in hypochondrio dextro, præstò forent, duos tumores ab invicem discretos post reditum ab Urbe manifestè spectandos exhibuit: unum obsidentem universum hypochondrium dextrum, quique ad latitudinem transversorum duûm digitorum supra costas spurias inequitabat, mollis atque fluctuans: alterum

rum verò obsidentem totam siniſtri hypogaſtrii regionem, qui renitentior aliquanto duriorque erat hypochondrii dextri tumore. Inter geminos hoſce tumores obſervare erat interſtitium quoddam vacuum, aut quaſi ſulcum, quo ab invicem dirimebantur ad latitudinem transverſorum duum digitorum, quodque protendebatur obliquè ab hypochondrio dextro, ſupra umbilicum progrediendo, versùs partem aqualiculi ſiniſtram. Duo iſti tumores ſpeciem manticæ quodammodo effingebant, parte utraque extremâ propendulâ ſaburratæ, parte verò intermediâ quæ cervicibus imponitur, inani. Circa regionem Renis dextri tumor quidam circumſcriptus obſervabatur, atheromatis cujusdam genium æmulans. Poſt varias tam Medicorum quàm Chirurgorum κοινολογίας, concluſum fuit, Paracenteſin heic celebrandam, aliis cenſentibus inchoandam à tumore hypochondrii dextri, aliis à tumore hypogaſtrii. A quo poſteriore tandem decretum ut inciperetur, propterea quòd ſi fortè tumor ſuperior communionem haberet cum inferiore, hunc ipſum vacuefaciendo, alterum etiam illum eâdem operâ contingeret evacuari, ita ut novâ apertione minimè opus foret. Cauſticus itaque lapillus, piſi unius mole, admotus fuit regioni laterali mediæ hypogaſtrii ſiniſtri. Eſchara facta inciſa fuit. Poſtmodùm cannulâ in extremo ſuo punctatâ, ad magnitudinem pennæ anſerinæ, longitudinis verò, trium transverſorum digitorum, paratus fuit in capacitatem ſubjectam introitus: tuncq; è veſtigio prorupit aqua lixivii colore, & quidem tanto impetu, ut unico ferè momento duas ſcutellas adimpleverit. Primâ vice eductæ fuere ʒ. xxj. & diverſis vicibus plusquàm cxl. ʒ. Aqua primulùm prodiit ultimis vicibus limpida, ſub finem verò emiſſa, albicans, mucilaginis inſtar viſcida, & caulium putridorum odore prædita apparuit. Ex vulnere manavit pus album, quod ex abſceſsûs intimo ſinu procedebat per paracenteſin înflicto, licèt proficiſci plerisque putaretur ab externis inciſionis oris. Tertiâ vel quartâ die poſt apertionem, nihil ampliùs, aut nimium ſaltem aquæ ex vulnere ipſo effluebat, eo quòd Cannula alium ſitum ſibi comparârat, neque ampliùs ad perpendiculum, quemadmodum ab initio, vergebat, mucrone videlicet deorſum converſo, propter pondus

dus insigne tumoris alterius in dextro hypochondrio consistentis, qui mole quidem nullo modo fuerat diminutus, cæterum qui tum nonnihil, propter evacuationem aquæ abdomine contentæ, supra quam priùs innatabat, subsederat. Atque hic ipse tumor in causa erat, quòd aqua non ampliùs per aperturam effundebatur, cùm vicem repaguli præstaret, emissionem coërcentis, etiamsi plusquàm sex pintæ liquoris in abdominis capacitate adhuc forent superstites, sicut post mortem in cadaveris apertione ad oculum patuit. Porrò cùm animadverteretur, ne gry quidem aquæ ampliùs exstillare, consilium ceptum est, similem apertionem instituendi in hypochondrio dextro: quâ factâ, non minori impetu ac in priore paracentesi prosiliit aqua, sed nigra, non secus ac si fuligo camini aquâ simplici diluta fuisset. Ægra autem mox languidior nonnihil evasit, & febris increvit, propterea que eâ die à novâ evacuatione satius visum fuit abstinere. Postridie evacuatio parcâ manu denuò tentata. Tertiâ die mortem oppetiit, Kal. videlicet Maij, anni 1670, horâ sesquiquartâ pomerid. annos tum nata XXXVI. menses II. dies. XV. Eodem die horâ noctis decimâ, cadaver adapertum fuit, per Henricum Charavel Magistrum Chirurgiæ Juratum, coràm Dominis Petro Garnier Collegii medici Decano, Andrea Falconet, Medico Regio, & Joanne de Rhodes, Doctore Med. Aggregato, nec non præsentibus Antonio de la Forest, Philiberto Cochaud & Antonio Verdelet, Magistris Chirurgiæ Juratis: quâ in cadaveris aperturâ sequentia fuere deprehensa.

Historia Anatomica.

Mox ab obitu totum abdomen mirificè intumuit. Per scissuram primo loco inflictam in hypogastrio pus effluebat. Per alteram verò secundo loco in hypochondrio dextro factam aqua nigra manabat. Remotis artificiosè abdominis integumentis, musculis, ac peritonæo, obvia fuit facta ingens ampulla rotunda aquâ nigrâ semiplena, duarum vel trium ipsius pintarum capax, cujus adhuc pinta una præstò erat. Hæc autem ampulla fuit molis & figuræ, qualis magna cucurbita rotunda, incumbens intestinis omnibus lateris dextri, hepati, atque regioni renis dextri, quæ omnia obumbrabat: hæcque ipsa ampulla tumorem illum circumscriptum ad transversorum duûm digitorum lati-

tudinem supra spurias costas eminentem effingebat. Huic ampullæ ren dexter velut insitus inoluerat basi suâ admodum latâ, & qui à situ suo naturali luxatus apparebat: quin imò is ipse Ren erat, qui in regione renis dextri, atheromatis speciem falsò spectatoribus repræsentabat. Et sanè Ren iste molliculus erat, aquaque limpidâ gravidus, atque intra hunc ipsum latebat vesica aquâ plena, mole & figurâ, quales sunt vesicæ quæ in corporibus occurrere solent: Insuper etiam hydatides complures, singulæ nucis juglandis mole, adnexæ visebantur ampullæ modò dictæ. Ren sinister colliquefactus erat ac fusus. Magna illa ampulla desinebat in modum utricularis tibiæ, in partem dextram superiorem ac lateralem corporis uterini. Ampullâ istâ sublatâ, Hepar, quod scirrhosum existimabatur, nonnihil albidum ac decolor duntaxat apparuit, nequaquam tamen admodum vitiatum in propria substantia. Lien suo modo paris erat ferè conditionis ac Hepar. Quo fit ut credibile sit, Hydropem quo detinebatur patiens, oriundum potiùs fuisse à vitio renum debilium ac labefactorum, quàm à vitio vel hepatis vel lienis. Epiploon subflavum erat ac penè consumtum, infimo hypogastrio affixum. Omnes mesaræi glandulæ erant scirrhosæ. Pulmones utrique marcidi, nigrisque maculis respersi. Cor parvum, at sanum. His perlustratis, ad hypogastrium perrectum est, ubi tumor valde insignis comparuit, cujus tunica erat crassitiei digiti unius transversi. Erat hic tumor instratus intestinis, & ossi sinistro ilium, ad longitudinem & latitudinem manûs humanæ: intra quem tumorem, multum adhuc puris continebatur, præter illud quod tam in abdominis capacitatem effusum fuerat, quàm quod per foramen paracentesi eo loco factum, effluxerat. Hic autem tumor desinebat etiam in modum tibiæ utricularis, in partem sinistram superiorem ac lateralem corporis matricis. Chirurgus initio adstantibus persuadere nitebatur, ingentem ampullam lateris dextri esse ipsummet uterum; alteram verò quæ in parte sinistra hypogastrii sita erat, esse Vesicam. Verum enimverò cùm per totum morbi decursum, nulla puris indicia in urinis observata fuissent, hæc res impulit adstantes, ut majori cum ἀκριβείᾳ investigare sibi proponerent, undénam duo isti tumores ortum ducerent: quod ut meliùs nosceretur, totus pudoris sinus facto ab orificio externo initio, dissectus fuit ud uterum usque, qui in puellabus & in fœminis, quæ neque fœtûs, neque ψευδοκυήματα ulla protulerunt, exiguus esse solet. Quapropter cùm ad Uteri corpus deventum esset, quod mole & figurâ pyrum nostratibus dictum felinum, æquabat, occurrrit totum illud uteri corpus, sanum atque integrum. Postremò ἀνατομία cunctos satis superque erudiit, duos hosce tumores procedere ex Cornubus uteri, quæ vulgò Uteri Tubæ nuncupantur; unum scilicet ex Tuba dextra, putà illum qui hy-

pochon-

hypochondrium dextrum occupabat: alterum, ex Tuba ſiniſtra, nimirum qui in hypogaſtrio ſedem ſumſerat. Qui poſterior tumor, imam Hypogaſtrii regionem obſederat, tam propter propriæ ſubſtantiæ pondus, quàm propter materiæ, quâ ſcatebat, gravitatem, adeoque in ſublime non evehebatur, quemadmodum tumor Hypochondrii dextri, qui ſupra aquas innatabat: Præter enim aquam illam, quæ per duo foramina pertuſione facta proſilierat, plusquàm ſex pintæ ipſius inventæ ſunt intra abdominis capacitatem adhuc reſtagnantes. Per hanc porrò Cadaveris reſerationem notari facilè potuit, utrumque tumorem ope Cannulæ probè perforatum ac penetratum fuiſſe. Et ſanè Tumor uterque per ſectionem adminiſtratam, perque patens illac vulnus materiei intus contentæ portionem evomuerat: imò decepti fueramus omnes, quoad materiam ex tumore hypogaſtrii eructatam: Cùm enim Puris plurimum per vulnus inflictum profunderetur, iſtud ipſum ſuppurationi vulneratæ partis perperam à nobis tribuebatur, cùm debuiſſemus illud apertioni interni abſceſsûs, unde unicè promanabant, imputare.

Observ. LXXVI.

Ren ſiniſter eroſus, tunicâ ejus ſummoperè incraſſatâ exiſtente &c. Pulmones adnati.

Ancilla peregrina annorum circiter 30. An. 1679. in xenodochium advecta de variis conqueri cepit, tuſsi præprimis vehementi & ferè convulſivâ, horrore & calore ſe per vices excipientibus, laſsitudine totius, inappetentiâ, lumborum dolore lancinante, menſium ſuppreſsione &c. quibus demulcentibus bechicis aromaticis blandis, aperitivis aliisvé obviam ivimus, tantumque impetravimus ut tuſsis quidem aliquantum remiſerit, perſiſtente tamen ſpirandi aliquâ difficultate & circa lumbos dolore: ægra hinc Tigurum commigrans gravibus ibi rurſum infeſtata fuit ſymptomatibus (uti quidem Clariſſ. D. D. Hottingerus 7. Xbr. 1679. ſignificavit) febre viz. acuta, flammis quaſi è collo erumpentibus, ſiti magna & dolore circa lumbos intenſiſsimo, quibus tandem miſella ſuccubuit: Æſculapii ejus loci pro ſuâ induſtriâ & dexteritate cadaver aperuerunt, repereruntque præter inteſtina colore bilis flavo tincta, præter pulmones ex uno late-

re tenaciter adnatos, aliaque renem sinistrum maximam partem corrosum, minima appendiculâ adhuc superstite, & tunicâ ipsum cingente valdè incrassatâ: cujusmodi substantiæ renalis consumptionem residuis saltem aliquot vesiculis in puellâ ex scabie convulsionibus mortuâ itidem vidimus, cujus historiam cum ex Schol. Ann. 1. Dec. 2. Ephemerid. heic adjiciemus.

Observat. LXXVII.

De Puellâ rene dextro cum succenturiato carente.

Ad Excellentissimum S. R. J. Acad. Curios. Argum.

Christiana Lengvveiler puella 13. circiter annorum mens. Januar. 1680. in nosodochio nostrum expetebat consilium: Quum accessissemus, scabiosam ægram deprehendimus, conquerentem de compressione circa præcordia, siti, tussiculâ, quæ comitabatur pulsus celer & debilis: scabies, uti parentes retulerunt, à multo durabat tempore, sæpius reingruens: in capite usu externorum eam abegerant; de medicamentis autem reliquo corpori applicatis nihil confiteri noluerunt, licèt & hic jam ficcescentem observaverimus, prædictaq; symptomata illicò invaserint: Lirem ipsis movere nec Medici nec Christiani esse admodum videbatur, quum fortè ab aëre externo, cui intrinseca sanguinis & viscerum ἀλλόθεσις & ἀπονία accessit, materia scabiosa versus inferiora pelli & regurgitare potuerit, uti ex quotidiana praxi hoc sæpius in infantulis palam fit. Præscripsimus tum spec. liber. cum lapid. bezoar. dilut. aq. destill. add. spir. urin. & aq. aliquam ex antepilep. & diaphoret. paratam per cochlearia sumendam suasimus, sed irrito conatu, aliquot enim diebus post miserlam convulsiones corripuerunt, utriusque generis, nostrates vocant, die schreyende Gicht / quæ tamen quandoque inducias dabant, ut ægra ad se redierit: mox autem rursus ingruebant, præscripsimus spec. liber. cum antim. diaphor. lap. bezoar. cinnab. antim. rectif. in vehicul. convenient. & quia alvus ab aliquot diebus erat adstricta, clyst. ex radice pœon. alth. herb. beton.

rut.

rut. &c. injectus fuit, aſt incaſſum, hoſte impetuoſo vincente, ægramque, poſtquam per biduum integrum, motus hoſce paſſa eſſet, vitæ diſpendio afficiente: cadaver miſellæ hujus cultro aperuimus, præſentibus Viris Nobiliſs. & Præſtantiſſ. D. Uriele Ritzio Affine noſtro Pharmacopola, D. Davide Zollicofero Sangall. D. Joſepho Carolo Müllero Tugienſ. D. M. Speckero Baſil. tum Med. Stud. & D. Ryhinero, Bernenſi Chirurg. Ventris imi facies erat tumida & flatulenta renitens, ſeparatis ex artis præſcripto involucris externis, modicus ichor ex illius capacitate prodiit: Ventriculus & inreſtina, admodum diſtenta flatibus; nihil tamen per hæc tranſparebat præternaturalis vel gangrænoſi: Epiploon aliquatenus putridum: Hepar inſignis magnitudinis & pro ætate & ſaturâ ipſius ægrotæ, nimiæ, nec tamen colore, nec glandularum præternaturali duritie vitiatum: Pari modo lien & pancreas mollicula erant, & naturalem σχῆμα ſervabant. Ren ſiniſter erat maximus per fiſſuras quatuor inſignes quaſi diviſus, carne ſatis compactâ, cæterum figuram phaſeoli retinuit, niſi quod lobus ſuperior, elatior, longior & craſsior extitit: Vaſa emulgentia in hunc hiabant maxima, quibus carunculæ renales vaſis ſatis adapertis reſponderunt; ureter quoque paulo major & amplior erat: intus præter naturalis nihil continebat: Ren huic ſuccenturiatus itidem magnus longus & latus, vaſis conſpicuis admodum donabatur, videbaturque paulum gangrænoſim paſſus eſſe. Ren dexter cum ſuo ſuccenturiante deerat, inque hujus vices natura veſicis pluribus, maximis, minutis, & minutiſsimis, in quæ vaſa emulgentia egregie inſerebantur, corpuſculo proſpexit: Diſſectæ hæ veſicæ internè rugoſæ erant, aquâ limpida viſcidiuſcula, nec fœtente, nec odoris verè urinoſi plenæ: ureteris veſtigium manifeſte non deprehendimus, neque hunc ob temporis penuriam accuratius ſcrutari licuit: Teſtes oblongiuſculi ovula tranſparentia monſtrabant, quæ medietate teſtis cautè aperta, ex utroque latere adſtantibus videnda exhibuimus. Oviductus prout in Damarum ſectione quoque notavimus, ad uſque horum extremitatem ſuperiorem protendebantur: Uterus adhuc parvulus, & duriuſculus, oblongus: veſica craſſa & denſiſsima: Venter ſupremus ſpectan-

dam exhibuit duram meningem satis densam, intra cujus duplicaturam, sectione facta aliquot polypi gelatinosi & grumosi latitabant, quos exemimus: cæterum cerebri cortex flaccidus, in parte posteriore vasis superbiebat elegantissimis; Quum ad ventriculos anteriores properabamus ichor serosus effluxit multus, uti etiam ex tertio & quarto ventriculo: Plexus choroideus longus erat & latus, sub pallidus, quasi jam defluxurus: alicubi glandulas ostendit duriusculas, cerebro exempto quum in nervos inquireremus, in cavitate quæ cerebellum excipit, ichor copiosus stagnabat: & ita sectioni finem imposuimus.

SCHOLIUM.

Quanta fuerit providæ naturæ in extruendo corpusculo humano industria, mirari vix satis poterit, quicunque anatomes peritus artificiosa sectione ejus interiora lustraverit, utpote in quo non tantum ad variarum partium diversimodam compagem obstupescet, sed & arteriarum seriem ampliſſimam, cum amicissimo venarum sodalitio attonitus contemplabitur: Ast si quæ heic admirandæ suæ providentiæ & curæ edidisse potest πεκμήρια, non minus in officiis peculiaribus unicuique parti studiosè adjudicatis singularis cujuspiam sagacitatis ac prudentiæ specimen prodidisse dicenda est, cum ex his potissimum eluceat, quantopere pro totius conservatione sollicita fuerit: de singularum partium structura arque usu prolixius heic disserere, instituti ratio vetat, neque enim nimium excrescere dissertatiunculam hanc consultum esse videtur: Nihilominus de Renibus, quorum ope sanguis à sero suo liberatur, quædam ex occasione enarratæ historiæ apponere, inque horum structuram ex veterum & recentiorum mente inquirere animus est, his quædam subjuncturi de glandulis vulgo dictis atrabilariis aliisque quæ ad historiæ illustrationem præcipuè facere arbitrati fuerimus. De Renibus ita fatur Galen. l. VI. Περὶ ἀναλομικῆς ἐγχειρήσεως Νῦν δ' ὅτι τὰς νεφρὰς μεταβῆναι καιρὸς, ὧν ὁ μὲν ὁ δεξιὸς ὅτι πάντων ζώων ἀνωτέρω κεῖται, ψαύων ἐστὶν ὅπε ἧ μεγάλε τῶν καθ' ἡμᾶς λοβῶν, ἐμφύεται δ' εἰς αὐτὸς ὑπὸ τ ἧ ἐφ' ἕκατον ἀγγείων, τῆς τε ἀρτηριάδος καὶ τῆς φλεβὸς, ἃ μικρὰ τὸ μέγεθος ἀγγεῖα, τοῖς μὲν πυθήνιος ἓν ἑκατέρωθεν, ἐπ' ἄλλων ἢ τινων ζώων, ὡς αὖθις εἰρήσεται, πλείω· ἢ μέντοι τὰ σιμὰ μὲν εἰς ἀλλήλας ἔχουσιν ἐσραμμένα· τὰ κυρτὰ δ' ἐσραμμένα πρὸς τὰ πλάγια ἧ ζώε μέρη, καθάπερ ἢ ὅτι τ ἁ μεγάλων ζώων ἔλασμα, μέχρι τ σιμοτάτων ἑκατέρε λοβῶν μερῶν. ἃ μὲν εἰς αὐτὴν ἐμβαλεῖν τὴν κοιλίαν αὐτῶν· ἐπ μέντοι τ μεγίσων ζώων ἐὰν ὠδαχρήμα μ τὸν θάνατον ἐμβάλῃς, θεάσῃ σαφῶς εἰς τὴν κοιλίαν ἧ νεφρὸ διεξερχόμενον· ὅχλ ἢ κὴ τὴν ἔμφυσιν ἑκατέρων τ

πέρων τ' ἀγγείων ριζόμενον, εἰς πλείω σαφῶς, ἀναργῶς μέν τοι τὴν δ' νεφρὸν τὴν κοιλίαν θεάσῃ, κἂν μὴ μέγα τὸ ζῶον ᾖ, περιαλειφομένην μέν ὑμενώδει τινὶ σώματι· καθ' ἓν ἢ τι μέρος αὐτῆς, ὑπὸ πόρῳ τῆς τῶν ἀγγείων ἐμφύσεως ἕτερον ἔχουσάν τι σῶμα πεμφιγές τε καὶ κοῖλον ἐμφυόμενον, ὅπερ ἔνιοι μὲν ἀγγεῖον ὀνομάζουσι, καὶ τὴν κοινὴν μὲν πεφυκυῖαν ἁπάντων τ' κοίλων τε καὶ πεμφίγων σωμάτων, ἔνιοι δὲ πόρον, ἄλλοι δὲ τινες ἀρτηρίαν κ. τ. λ. ὀνομάζεται· ἡ δὲ πόρος ἐστὶν ἠρεμὴν ἕνα μέν ἔχων τὸν ἴδιον χιτῶνα, ὑπὸ μὴν ἔστω γ' ἰχνὸν, καθάπερ αἱ φλέβες· σὺ δὲ εἰ ἐκλεθείης &c. Nunc ad renes ire tempestivum est: quorum dexter in omnibus animantibus eminet elatior; nonnunquam grandem jecoris fibram attingens. Porro è spinę vasis, arteria nempe & vena, inseruntur in eos haud exiguæ magnitudinis vasa, simplex quidem singula utrinque, aliis autem quibusdam animantibus bina. Insuper concava in sese conversa obtinent, gibba verò ad animantis latera adversa. At in animalibus non magnis laminam demittere usque ad concavam maximè utriusque partem poteris, haud tamen in eundem ipsorum ventriculum immittere. In maximis verò, si post mortem statim indideris, manifesto in renis sinum permeantem conspicies: item, qua utrinque vas inseritur, in plures palam ramos diffundi. Evidenter tamen renis sinum cernes, & si animal grande non fuerit, corpore quodam membraneo circumdatum: aliquâ verò ipsius parte non procul à vasorum insertione, alterum quoddam corpus obtinet concavum & oblongum; quod non nulli, juxta communem omnium concavorum & oblongorum corporum apellationem vas nominant: quidam meatum, alii arteriam: sunt qui venam nuncupent &c nominatur autem meatus iste ab urina ἠρεμὴν, cui unica peculiaris tunica est, non tamen ita gracilis sicut venis &c. *hæc ille.* Accuratè in his verbis renum situm, coñexionem & structuram proponere annititur rei Medicæ Antistes, quem plures alii non tantum olim secuti sunt, sed etiamnum venerantur, neque id immerito; suos enim Vener. antiquitati honos constare debet, ob multum, quem posteritatis ergo sedulo impendit laborem: interim si, quod verum est, dicere liceat, nec in hoc nec aliis in locis hujus visceris compagem distincte satis enodavit, quamvis ipsius operæ nil eamus detractum: Casp. Bauhinus magnum quondam academiæ nostræ decus, pro voto, quod cum aliis, veteribus nuncupavit, ex ipso Galeno Renum carnem duram esse ait cordi similem, nisi quod fibris careat: Ast! non aliorum modo Virorum Clariss. fide sed ipsamet αὐτοψία hic aliique ejus sequaces, cæterum de re Medica optime meriti facilè confunduntur: sanè qui Hipp. locum περὶ ἀδένων part. IV. exactius rimantur, facilius in singulorum devenient veritatem: ita autem ille. Ἔχουσι δὲ καὶ οἱ νεφροὶ ἀδένας· καὶ δ' ἔτοι κοιλίσκονται πολλῆς ὑγρασίης &c. sed & renes glandulas habent, hi siquidem multâ humiditate redundant. Nonne verba hæc uti aliis ansam po-

ſam potuerunt exhibere in glandulas renales inquirendi, ita viciſſim illa, licet minus perſpicua quæ libro X. habentur, fibroſæ renum ſuſpicionem movere debuiſſent? quid enim facilius, quam ex eo, quod Vener. hic ſenex Renes ibi ἐκ θερμῶδες καὶ τῦ ψυχροῦ: ex calido & frigido compactos & productos dicit, fibras autem frigidas & glutinoſas pronuntiat, concludere, etiam hujus viſceris ſtructuram ex parte fibroſam aſſeri poſſe, utpote materiæ fibroſæ participem: Egit hoc Excell. Bellinus, qui dum multa ſatis obſcurè tradita ſecum reputaret, viſcus hoc aggreſſus eſt, atque dum probe ſingula examini Anatomico ſubjeciſſet, Veteres quòd fibras renibus intertextas negarent, graviter hallucinatos eſſe deprehendit. Quem excepit Celeberr. Malpighius, qui, quod ille laboriosè inceperat, eruditiſſime abſolvit, neque ſolum ex fibris renes conflatos eſſe, (quod Bellinus ſtatuit) ſed glandulis juxta complurimis, vaſis emulgentibus appenſis, in cortice præcipuè, gaudere oſtendit: Uti ex cap. 12. de Renum ſtructura videre eſt. Non litigationis mutuæ viros hoſce præclaros quiſpiam heic accuſabit: Cùm Malpighius Bellinum non evertat, eo quod hic pro ſua ingenuitate Renum omnimodam compagem ad amuſſim reſolviſſe, dici nunquam deſideravit: Veteres potius utriusque horum fidem dubiam facere annitentur, & ex novaturiendi pruritu, hæc ſcriptitaſſe dicent, ſeculo huic plusquam familiari: neque voto ſuo fruſtrarentur, ſi eadem non eſſet Virorum Clariſ. αὐτοψία & diligentia obfirmata, qui ſatis norunt, non temerè in cujuscunque verba jurandum eſſe: Nos ipſi nimiæ credulitati hactenus non litavimus, utpote quæ Medicos minus decere videbatur, ſed nec nimiæ pertinaciæ vel effictis aliorum hypotheſibus: In rem ipſam deſcendimus, occaſione commodùm oblatâ hoc ipſo anno, ſecandi cadaver puellæ phthiſicæ, ad cujus renes cùm pergeremus, rurſum aliquid notatu digni occurrit, nempe obſervavimus in Rene dextro circa medietatem. eo loci, ubi aliàs vaſa emulgentia ingrediuntur, fiſſuram amplam & cavam, vaſis ſtipatam, duplicatis, binis videlicet arteriis & binis venis, ſiniſtro altero pari carente: hiſce probè ligatis, Renem exemimus, & fervida per tubulum in arteriam injecta, ſubſtantiam ejus albidam ſenſim devenire vidimus, jam tum in cortice tranſparentibus corpuſculis minimis, rotundis, albicantibus: integrum tamen negotium fervida abſolvere non licuit, ob aquam per fiſſuram dictam copiosè emanantem; liquorem hinc rutilum, poſtquam aquam priùs expreſſiſſemus, per tubulum eundem infudimus, quo moderatè albicans Renis ſubſtantia tingebatur, liquore ad modum ſerpentis per vaſcula arterioſa decurrente, relictis ſemper in medio corpuſculis minimis albidis, ut ſupra: Inciſione factâ, ſubſtantia Bellini fibroſa internè manifeſtè comparuit, & cortice preſſo, ex hiſce ipſis glandulis ſerum egregiè

egregiè exudavit; *vid. quæ suprà*: fibras easdem aduſq; papillas pergentes antè in Rene in hircino aliquot φιλιάτροις ad oculum oſtendimus, concatenatis tamẽ experimentis omnia denuo ſumus ſuffulturi, non dubitantes eundem cum aliis nos experturos ſucceſſum. Labaſcente Renum ſtructura, eorundem actionem Veterum modo explicari ſolitam, vacillare quis non videt? detectis enim glandulis tanquam organis ſecretoriis, & repertis fibris ceu ductibus excretoriis, ac ſtante circulo ſanguinis, quid facultate attractrice vel expultrice multum opus? ad quid nomina crepare, res ubi ipſa loquitur? non illa indigent Renes ampliùs Ramulorum ſerie, quâ ſtipati ſerum magno cum labore & operâ attrahere queant; Arteriæ ſiquidem, quæ balſamum vitæ ſingulis corporis partibus pulſu impertiunt, eundem, quo à ſero nimio liberior fiat, ad partes has deducunt per innumeras ſui propagines, ex quibus poſtmodum in glandulas annexas atque convenientibus poris, riteque configuratis inſtructas, ſerum recipitur, & per ductus excretorios ſuprà nominatos in pelvim deponitur, ad veſicam per ureteres amandandum: fermento heic quo aliàs partes glanduloſæ donantur, num aliquid tribuendum ſit, ſuo loco relinquimus, ne nimium materiam hanc fermenteſcere faciamus: id inficiandum non eſt, circa ſecretionis modum iſthic plurimam ſuboriri poſſe difficultatem; etenim non aqua tantùm, ſed particulæ ſulph. & ſalinę multæque aliæ poſt abſceſſus à naturâ huc expelli ſolitæ particulæ, glandulas iſtas ſubintrant; unde qualis hujus machinæ ſit configuratio, pororumq; conſtitutio interna, inquiſitione & illuſtratione dignum foret. Verùm ſi, quod glandulæ iſtæ cribrorum ſtructuram imitentur, conſideraverimus, ſi, quod natura, quæcunque per has ſecernere cupit, in corpora determinatæ figuræ efformare, quantum poteſt, annitatur, perpenderimus, de aſſerti hujus veritate magis certi eſſe poterimus, nec dum licet configurationis harum glandularum certiſsimæ ſatis periti: illud magè mirandum, quî in hâc puellâ, quæ altero rene deſtituebatur, ſecretio fuerit peracta, quam aliquando ibi obtinuiſſe, ſerum in veſiculis repertum, & vaſa emulgentia in easdem pergentia ubertim confirmant, ea tamen copiâ, eaque ſerie illud ſemper fuiſſe ſecretum, negat Renis alterius major moles, vaſaque inſignia in hoc conſpicua, cum papillis ſatis hiantibus: difficultas hinc haud levis iſthic propullulat, num aliquando ren dexter adfuerit, cujus ſubſtantia vel corroſâ vel exeſâ, cujusmodi exemplum hiſtoria prior exhibet, veſiculæ remanſerint, an verò à primo ortu vitium hoc in miſellæ hujus corpuſculo extiterit: certè ſi naturæ providentiam & ſagacitatem intuiti fuerimus, ſi quod in ovo ex quo fœtus humanus prodit, ſingulæ partes lateant, ruminaverimus, Renem aliquando adfuiſſe dicendum erit: ſi rurſum, quod nulla exeſionis, corroſionis, vermium, vel abſceſſuum ruptorum veſtigia

adfuerint penſiculaverimus, à primo ortu vitioſitas hæc derivanda videbitur: Cùm proin hoc in negotio, haud parum dubii verſaremur, aliorum etiam Virorum Clariſſ. efflagitavimus ſententiam, inprimis autem Celeberr. Wepfero & Amiciſſ. noſtro Pejero totam ſectionis ſeriem narravimus, ad quam iſte ita: Puellæ veſtræ exenteratæ, olim fuiſſe utrumque renem, in ſecundâ valetudine arbitror, conſumptum dextrum vel vermibus vel abſceſſu, vel acri ſero, quale ſcabiem quoque & convulſiones intulit miſellæ: ſuperſtites veſiculæ, meo judicio fuerunt renis abſumti exuviæ &c. quibus nos ſeq. repoſuimus: de Renis dextri defectu quæ ſcribis, facilem illa apud me reperirent aſſenſum, ſi ulla vel corroſionis vel abſceſſus, vel alterius cujuspiam morbi adfuiſſent indicia; at magis palam erat à prima conformatione vitium extitiſſe; etenim veſicæ plures disjunctæ erant, neque una diſſecta, ſerum ex alterâ effluxit, intus rugoſæ & plicatæ adinſtar veſicæ urinariæ apparebant &c. Ad quæ ille ſolertiſſ. hoc epiſtolio iterum reſpondit. Quo alio errore puella renem ſuum amiſerit, quàm vitioſa quâdam & forti matris imaginatione, ſiquidem illum à primo ortu abfuiſſe judices, divinando aſſequi non poſſum, Hardere amicorum ocelle, Dei enim opus cùm ſint animalia omnia & homines, inane aut inutile nihil produci poteſt, niſi ab injuriâ quadam externa tale reddatur: unde ſive animalium partes ovis jam inde à condito mundo formatas ineſſe credam, ſive eas demum accedente congreſſu divinitus effingi autumem, iniquum dictu foret, potentiſſimum ac ſapientiſſimum Creatorem puellæ huic defuiſſe, eamque imperfectam reliquiſſe, ceu altero rene truncam. Eſt namque ordo naturæ ſemper idem & immutabilis: fatendum ergo ne quid delinquamus, puellam illam aliquando præditam fuiſſe utroque rene; deletum verò poſteà dextrum in utero, pravâ matris imaginatione, nî morbum admittere malimus, quo ren ſit conſumtus & in veſiculas illas redactus, quæ renis loco in cadavere apparuerunt ſuperſtites, ob arctiſſimam embryonis cum matre unionem & neceſſitudinem, cujus imaginatio apud illum mira poteſt, uti exempla quotidiana teſtantur, quibus recenſendis ceu nemini non notis ac obviis ſuperſedeo. Id ſanè ratum nobis, poſſe mulierem gravidam viſo rene animalis alicujus corrupto ita affici, ut infantem edat alterutrius renis privum. Sed fieri poteſt fœtum nephritide laborare in utero, adeoque renem tenellum perire, inprimis ſi eodem affectu teneantur parentes. Quibus facilè acquievimus, cùm partes ſingulas, etiam renes aut horum primordia ex ipſis Veterum dogmat. in ovo contineri certum ſit, licèt de prægreſsâ matris monſtroſâ imaginatione, quam facilè admittimus, nihil nobis innotuerit: fœtoris equidem in ſero illo abſentia, ſuſpicionem firmiorem ab initio moverat, renem aliquando adfuiſſe, nec à multo

tempore

tempore ægram illius defectum luisse, quam tamen exemit Clariss. Wepferus, loco, quem antea quoque legerâmus, ex Illustr. Boyleo allegato, nov. Exper. Phys. Mechan. ob solam videlicet aëris exclusionem aquam hanc à fœtore immunem fuisse servatam, quod probat frustulo carnis vitro angusti colli indito; sigillat illud, ut loquuntur, hermeticè, & caro totâ æstate, etiam soli exposita non putrescit. Meminit quoque ex industrio Schotto vitri cujusdam in museo Kircheriano repositi, orbicularis, collo turbinato, aquâ fontanâ communi semipleni? aquam hanc ab insigni Geometra Clavio illic inclusam, atque hermeticè obsignatam limpidam puramque quasi jam nunc immissa fuisset, servari asserit; Et quidem aëris si vel ejus existentiam in hoc universo rimati fuerimus, ratione cujus varii generis particulas acres, salinas, admittit magnam in corrumpendis corporibus esse vim seu ἐνέργειαν ipse *Aristot. l. IV. Meteor. c.1.* agnovit, dum ait: ἐν τοῖς ψύχεσιν ἧττον σήπεται, ἢ ἐν ταῖς ἀλέαις, ἐν μὲν τῷ χειμῶνι ὀλίγον, ἐν τῷ περιέχοντι ἀέρι καὶ ὕδατι τὸ θερμὸν, ἐν δὲ τῷ θέρει πλέον. In frigoribus minus putrescunt, quàm in æstate, in hyeme enim paucum est in ambiente aëre & aqua calidum, in æstate autem amplius: In quibus verbis licet alienarum particularum commixtionem præcipuè accusare videatur, ipsum tamen aërem salvum non cupit; Illustriora his multo narrat Josephus Acosta, in suâ Occidentalis Indiæ historiâ lib. 3. c. 9. ubi refert, se in illis regionibus vidisse ferreas quasdam crates, eo usque à rubigine comminutas ab aere atque corruptas, ut metallum inter digitos compressum in pulverem, ut ipse loquitur, fœni instar seu stipulæ torrefactæ dissolveretur. Illi quoque qui serum vel in Renibus præcipuè urinæ naturam induere, idque ope fermenti evincere satagunt, sibi ex hinc telum parabunt, dum odoris urinosi in aqua hisce in vehiculis contentâ defectum ex fermenti renalis absentia derivabunt, nequè fortè incommodè, si quod alter ren serum urinosum exhibuit, secum examinare quispiam voluerit, quem odorem unde melius quàm à dicto fermento, in sinistro adhuc dum vegeto deducere: Ne verò nimis sapere velle videamur, πολυπραγμοσύνης naturæ potissimum heic laudabimus providentiam & sagacitatem, quæ dum machinam hanc, ob necessariam seri secretionem, Rene deficiente altero vel impeditam vel abolitam, in deterius ruere vidit, illi omni ope succurrere annixa est, reddito triplo plus vel quadruplo Reni alteri, quàm prius non accipiebat, quòd vasa emulgentia turgida, carunculæque papillares admodum hiantes evidentissimè comprobârunt: Stupendam hanc ejus prudentiam jam sæpiùs mirati fuimus in calculosorum sectionibus, & supra ejusdem specimen illustre reddidimus in sectione hydropici ex renis dextri materiâ calci simili omnimodâ repletione, in cujus renem sinistrum vasa emulgentia itidem pergebant insignissima,

gnissima, & tubuli urinarii amplo ore intus hiabant. Quid ad hæc illi, qui uno rene affecto alterum suo officio defungi planè non posse asserunt: contrarium & ex allatis historiis, & quotidiana patescit experientia; id quidem non inficiamur non æque bene munia requisita peragi, quod & misella hæc etiam experta est, dum impedita seri segregatione illud in totam massam sanguineam redundavit, ejusque ἀλόθειαν fædavit, & tandem Animæ petendo arcem, ejus satellites cum genere nervoso mire irritavit, tandiu donec machinulâ ineptâ redditâ, illa nobilius quod cæleste est, quæsierit domicilium: sed nec illis propterea blandimur, qui uno rene affecto alterum salvum omnino manere contendunt, quam sententiam foviisse videtur Caspar. Bauhinus libro 1. anat. cap. 22. dum uno obturato alterius perfusionem & attractionem non cessare, inquit, quæ verba si de quacunque obturatione, etiam ea quæ à calculis, vel calculosa intus aggesta & vellicante materia ortum ducit, intellecta velit, minus verisimilia sunt, utpote experientiæ & sanæ rationi contraria, illi quidem, quoniam rene uno calculo oppleto Ischuriam exoriri, alii nobiscum viderunt & nôrunt, satisque rei hujus veritatem confirmat historia puelli tabidi & nephritici, quam mox subjiciemus, ubi quod in renis dextri pelvi calculus tricuspis impactus hærebat, sinister, licèt incolumis, suis partibus defungi nequiit: huic verò, quia extra aleam est; plexu nervoso renum irritato, propagines & surculos ab eo prodeuntes, ut & ureteres his quam maximè affines ad modum illius affici & constringi, sicque sero transituro viam obturare, ut jam attractionem, quam communiter ingeminant Veteres, silentio prætereamus: studiosè etiam prospexit natura corpusculo hujus ægrotæ, rene succenturiante, qui itidem major, longior & latior erat, qualemcunque gangrænosin passus, quam à seri copiosioris acrimonia contraxisse potest. De usu horum, licèt in illorum structuram ab aliquo tempore sedulo inquisiverimus, nihil certi adhuc dum propalare audemus. Cavitatem quâ gaudent manifestam in cuniculis Brasil. vulpeculis, canibus &c. cum vasis ineos abeuntibus sæpius notavimus, adnimadvertimusque, quoad externam substantiam, figuram & colorem illos in variis animalibus variè habere: at de ductu excretorio, per quem succum quem conficiunt, deponere necesse habent, nihil certi etiamnum nobis constat, operam tamen navabimus ulteriorem illi inveniendo: admiraturi interim nostras renales vesiculas, quibus quod & quidem contra naturæ leges, rarenter in corpore humano reperiri consueverunt, consimilia quædam, non minus rara & scitu jucunda addemus exempla: Clariss. Bauhinus figuram habet renis pueri in octo lobos divisibilis, qui vitulinos æmulatus esse videtur, qui itidem ex plurimis lobulis conflantur: neque abs re foret in renum structuram

cturam in fœtibus immaturioribus & recens natis, data occaſione inquirere, inprimis cum Ariſt. lib. 3. de part. animal. cap. IX. inquiat, ὅμοιοι δὲ καὶ οἱ τῦ ἀνθρώπυ τοῖς βοείοις, ὥσπερ συγκείμενοι ἐκ πολλῶν νεφρῶν μικρῶν: Hominum etiam bubuli ſimiles ſunt, quippe qui tanquam compoſiti ex multis renibus exiguis conſtant. Renis dextri ferè abſumti, ſuperſtite tantum exiguo glandularum acervo, vaſis omnibus & uretere coalitis, proponit ingenioſiſs. Willis Cap. 14. de Arthrit. in noſtro ſubjecto nulla ureteris, ſed nec conſumptionis nec eroſionis veſtigia deprehendimus, quamvis illa obliterari potuiſſe temporis tractu non eamus inficias. Unicum quoque renem vidit Loſelius, ut & Ariſt. not. Bauh. in not. marg. ad Cap. 22. Lib. 1. Anat. monſtroſorum Renum exempla qui voluerit, adeat appendicem Clar. Baſii ad ſtruct. Ren. Bellin. ut & Ephemer. natur. Curioſ. An. 3. &c. de ovis atque oviductibus, contra quæ Veterani quidam adhuc ſæpiùs muſſitant, vel ex hoc exemplo ſatis conſpicuis, plura adferre poſſemus, verum cùm quâ ab aliis Vir Clariſſ. quâ etiam à nobis Prodr. Phyſiol. Cap. 8. & in præcedent. horum exiſtentia &c. abundèfuerit probata, illis prolixiùs diducendis ſuperſedemus. Nec minorem differendi copiam ſuppeditant polypi duræ meningis ex ſero, quòd copiosè affluxit, aggeſto & ſenſim concreſcente generati, de quibus aliquando in litteris ad Excell. Sponium Medicum & Conſil. Reg. Lugdunenſ. & ſuperius ex parte egimus.

Observ. LXXVIII.

De inſignibus Renum calculis.

Infans trimulus, ortum ducens à Parentibus nephriticis, ſtatim poſt partum magnâ vexabatur ſiti, præprimis noctu: acceſſerunt tormina ingentia, cum diarrhœâ & magnâ virium proſtratione: dejecit autem ab initio ſeroſa bile mixta, ſub finem verò merè ſeroſa & albicantia inſtar lactis coagulati, albumini ovorum ſimilia, appetitus tamen nunquam proſternebatur: Annum agens dimidium, incepit gradiri, incuriâ verò ancillæ factum eſt, ut in ſpinam dorſi caderet: Ancillâ tandem malum quod evenit confitente, de vertebrarum lumborum luxatione metuerunt Parentes, remediisque decentibus, faſciatione præſertim, hunc in finem uſi ſunt: Nihilominus tractu temporis pedum quaſi paralyſi laborare videbatur: Caſum hunc in miſello octo ſeptimanas poſt excepit febris continua, ex quâ vires qui-

dem recepit, perſiſtente tamen toto ætatis decurſu atrophiâ totius corporis, pedum maximè: Tandem motus inordinatos in ipſo animadverterunt Parentes, unde noſtram opem implorârunt: Vocati antepilepticis pugnavimus, iisque quæ nervoſum genus demulcent, quibus licèt ceſſare primum convulſiones viderentur, poſt octiduũ tamen recurrerunt. Ab hoc tempore obſervarunt urinam parcius fluere, & noñiſi magno cum dolore, quem geſtibus patefecit, uſq; dum erumpentibus una exanthematis ac puſtulis ulceroſis, convulſiones ingraveſcentes miſellũ interemerint.

Licentiâ à Parentibus nobis facta, cadaver præſentibus aliquot Viris Præſtantiſſimis, quâ licuit diligentiâ luſtravimus: In infimo ventre, ventriculum cum inteſtinis inflatum deprehendimus: Hepar naturalis magnitudinis & mollitiei, niſi quod cõlor ad p. n. parum acceſſerit. Veſicula fellis copiosâ bile diſtenta fuit: Lien naturalis, epiploon verò conſumptum: Meſenterium glandulis præditum albicantibus, mollibus iisque plurimis. Ren dexter naturalis erat, nihil in ſe continens alieni: In rene autem ſiniſtro deprehendimus materiam ſabuloſam, carunculis papillaribus inerrantem; Ad ipſum autem ureteris oſtium calculus ſitus erat oblongus, acuminatus, ſilicis duritiei, membranisque tenaciter involutus, adeò ut lancettâ ipſum ſeparare neceſſe habuerimus: In ventre medio pulmones putridi fuerunt & corrupti, absque tamen materiâ purulentâ.

SCHOLIUM.

De calculorum generatione in renibus videri poterunt, quæ hiſtoriæ hujus occaſione Exercitation. noſtris Anatom. initialibus cum Clariſs. Pythagorâ prolixius inſeruimus: In corpuſculo ſanè præſenti particulæ ſalinæ acres, acidæ fortè pariter atque alkalinæ prædominium tenuérunt, à quibus hinc coagula ſæpius fluido inducta, hincque febriles efferveſcentiæ ſubſecutæ ſunt, ab iisdem verò aculeatis, & per arterias ad glandulas inteſtinales delatis, tormina & diarrhœa ſeroſa prodierunt, nî ex concoctionis defectu in Ventriculo & inteſtinis, particulæ excrementitiæ unà aggeſtæ fuerint. Copioſa iſta ſalia inſuper per arterias emulgentes, ad renes fuerunt depoſita, ut cum ſero in veſicam hinc exantlarentur, ibidemque reſtitantia, ſive renibus hæreditariâ imbecillitate prædiſpoſitis, ſive labori huic diuturno ſufferendo impariibus in calculum concreverunt, qui membranæ renum tenuiſſimæ implicatus

plicatus ſummo dolori anſam præbuit, præque oſtio jacens, in causa fuit quare urina parciore quantitate redderetur, Rene dextro nihilominus ſano & incolumi, ipsâque veſicâ ſabuloſi nihil continente: Quod ultimum per συμπάθειαν ut plurimum explicant, ſi tamen quod nervo uno affecto, alter ei confinis, èque eodem trunco prodiens viciſſim conſtringatur, indeque pelvis cum ureteribus corrugentur, perpenderimus, ad nudam συμπάθειαν tam celeri pede ilicò pergendum non eſſe, ratum habebimus: Materiæ ſeroſæ ſalinæ viâ ſic præclusâ, neceſſarium fuit ut illa in totum corpus regurgitaret, unde febris ac diarrhœæ ſeroſæ pertinacia peti, eademque circa articulos aggeſtâ, artuum dolores derivari poſſunt, cujusmodi exempla videre eſt apud Ingenioſiſſ. *Williſium* Tract. de Anim. Brutor. Pedum paralyſin caſus in ſpinamdorſi, nervulis inibi affectis (de quibus ſupra) promovit, eſt verò ſtupor in his etiam nephritidis pediſſequa: De medicamentis mâlo tam atroci eliminando convenientibus multa fantur Medici, creditur; Helmontius medicamento contra calculum ſpecifico potitus eſſe Variorum menſtruorum in ſolvendis calculis efficaciam Præſtantes Medici explorârunt pariter ac laudârunt: Ad ſalium combinationem impediendam utile comperimus ſal volat. ſuccin. in pilul. concinnatum, & Tinctur. antiphth. Garmann ad gtt. xij. & ultra in vehiculo convenienti aſſumpt. Formatum verò calculum appropriato remedio ſolvere atque diffringere, omnibus perinde non licèt, ejusque non rarò magnitudinis *ille* eſt, ut nec nobiliſſimo Lithontriptico obtemperet: Hujus occaſione commodum heic inſeremus quæ in libro quodam Gallico in 4 intitulato: Abbregè Chronologique de l'hiſtoire de France du Sr. de Mezeray Tom. 2. legimus & quidem in Vitâ Carol. VIII. pag. 791. Les Docteurs de la Faculté en Medecine de Paris ayant ſceu qu'un Archer de Bagnolet fort ſubjet à la gravelle, avoit eſté condamné à mort pour ſes crimes, ſupplierent le Roy, qu'il leur fut mis entre les mains, pour faire experience ſur luy, ſi on pourroit ouvrir le rein, & en tirer le calcul. Leur operatiõ rejiſſit fort heureuſement, & l'Archer veſcut encore long tems apres en bonne ſanté. Hactenus tamen nullũ Practicorum audivimus, talẽ Operationem moliri auſum fuiſſe, ob imminens ſumum vitę periculum: cæterum Exemplum huic noſtro non abſimile ex Celeb. Sponii Cimeliarchio heic apponere operæ pretium faciemus. Dom. Joan Artaud, tunc temporis Scabinus Lugdunenſis, annos 65. natus, nephritico dolore, qui ipſi à plurib. annis familiaris erat, correptus fuit die 19. menſ. Sextilis ſt. n. anni 1663. pauloque pòſt iſchuriam incurrit. Dolor in ili dextro, non autem, ut aliàs ſolebat, in ſiniſtro percipiebatur. Omnibus, ut ab iſchuria vindicaretur in caſſum tentatis, die morbi xiij. quæ fuit noviſſima, dicti menſis, ſub horam nonam matutinam, animam efflavit. Inſtituto per cadaveris

eviſcerationem, internecinæ cauſæ circa renes ſcrutinio, lapis inſignis in rene ſiniſtro deprehenſus fuit, figurâ terebello nonnihil ſimilis, cujus caput anſatum ſubſtantiæ renis firmiter inſinuatum hærebat; reliqua pars, quæ trunci vice ipſi erat, in Ureteris ductum propendebat, illumque exactè obturabat: prætereaque majori huic calculo intra renem, aſſidebat minor alius lapillus ejusdem ferè ſchematis. In dextro rene nullus quidem lapis notari potuit; ſed parvulus unus in medio ferè Ureteris tractu intruſus viſebatur, isque nuclei pinei formâ, ſupra quem pars Ureteris ad renem exporrecta, ἀνευρυσμένη lotio copioſo turgebat. Pondus majoris lapidis fuit ʒiiß. ℈j. & gran. iij. Pondus minoris lapidis aſſidentis, gran. iij. Pondus denique alterius minoris pinei formis, qui genuinus homicidii auctor fuit, ſimiliter gran. iij. Unde intelligere datur, quantulis ſæpè cauſis homuncionum, quinimò & Heroûm, corpora conficiantur: ita ut nulla ſint tam firma, quibus interdum non periculum modò, ſed exitium creari poſſit, etiam ab invalido.

Observ. LXXIX.

Mictio ſanguinolenta copioſa.

Vir quinquagenario major. robuſtus ac plethoricus, cùm aliquot retro-annis, de invadente quandoque mictione cruentâ, præprimis ubi obambulando vel equitando corpus vehementius moviſſet, querelas movit: Noſtro hinc conſilio iteratâ V.S. medicamentorumque convenienti uſu, ab incommodo hoc immunem tantiſper ſe præſtitit, citra alterius cujuſpiam moleſtiæ ſequelam: An. 1681. ob Filii quem perditè amabat, diſceſſum inopinatum non parum triſtatus, in Urbem noſtram ſatis feſtinanter pedes conceſsit, ac ſub veſperam nos accerſiit, de ardore ac gravitate circa lumbos ingenti, laſsitudine artuum inferiorum, & urinæ multâ ſanguinolentiâ (ad libram enim, ſi non ultra ſanguinis puri, paucarum horarum ſpatio eminxerat) ut & ardore circa collum veſicæ ac deinceps ſubſequente doloroſo ſtillicidio conqueſtus, quibus imperatâ quiete ac animi tranquillitate, cùm diætâ tenui ex hordeatis ſeqq. feliciter occurrimus: Primò Emulſion horâ ſomni ſumend. ex amygd dulc. cum ſeminib. frig. & aq. vulnerar. &c. parat. propinavimus: dein mane ſeq. Venam in brachio dextro tundi curavimus, hinc ſub veſper. iulep. ex iisdem add. ſang. drac. ver &c. cum ſyr. corall. exhibuimus, parato

juxta

juxta pulv. ex ſpec. diamarg. fr. corall. r. ſang. drac. trochiſc. de carab. &c. cum ſacch. roſ. tab. pauxillo, quo manè & veſper. loco tragematis uſus eſt: Atque ita ſymptomatum moleſtiâ remittente Æger ſoſpes domum reverſus eſt: Quamvis verò alcyonia, per aliquot tempus comparuerint, uſque tamen à doloroſo hoc affectu liberatus non eſt, quin vehementer ingrueret, Ann. 1686. quo aliquoties ultra libram ſemis ſanguinis puri eminxit: Inſtituto tum exacto Examine quamvis nihil ponderis, nihil doloris gravativi vel rodentis aut lancinantis perſentiſceret, de ſubliteſcente tamen inquilino hoſte cogitare cepimus, inprimis quod arenulas calculosvé aliquando ſe excreviſſe retulit: parat. hinc pilul. uſual. ex ſang. drac. ver. croc. mart. adſtr. cum ſucc. veron. inſpiſſat. ſuccũ verò portulacæ plantag. & veron. ex herb. recent. expreſſ. & filtrat. ad ʒiiß. ſingul. mane & veſp. propinari juſsimus, quo per pluſculum tempus uſurpato optimè habuit, & pluſquam à ſemeſtri. ſanguinis nihil cum lotio minxit, percepit verò, quotiescunque urinam reddidit, ſub finem dolorem circa veſicæ collum ſatis atrocem.

SCHOLIUM.

Ἡ ἂν αἷμα ἡ πῦον οὐρέῃ, τῶν νεφρῶν ἡ τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει inquit Hippocr. Sect. 4. Aphor. 75. & Aphor. 78. ὁκόσοι ὑπὸ ταυτομάτου αἷμα οὐρέουσιν, τουτέοισιν ὑπὸ τῶν νεφρῶν φλεβίου ῥῆξιν σημαίνει: Eſt ſanè ſanguinis copioſa mictio, indicium renum affectorum, quorum elegantem ſtructuram, vaſculaque innumera præcedent. ſchol. expoſuimus, eademque vaſculi ſanguiferi unius alteriusve vel ruptionem, vel arroſionem, aut etiam laxitatem, vel dehiſcentiam indigitat: Exulceratio verò uſque non ſubſequitur, ni congeratur ſanguis, moraque ibi putreſcat & ſuppuretur, ceu iſtud appoſitè iterum confirmat Cous par. XVI. ὠφελέει τῶν ἐν τοῖς παθῶν, ἀλευρίη νοῦσος νεφρῶν: αἱ μὲν ὀδύναι ἰσχυρῶς πιέζουσιν, ὡς ἐν τῇ ὀσφύϊ. Γίνεται δὲ τοῦ νούσημα ὑπὸ παλαιωσίης, ὁκόταν ῥαγῇ τὰ φλέβια τὰ ἐς τὸν νεφρὸν τείνοντα, καὶ ὁ νεφρὸς αἵματος ἐμπλησθῇ: ἔστιν ὁκόταν ταῦτα πάθῃ, ἐξουρέει αἷμα τῷ οὔρῳ αἷμα καθ' ἀρχὰς τοῦ νουσήματος, ἔπειτα πῦον πολλὸν τοῦ χρόνου. Equidem ſeri urinoſi ſecretioni renes potiſſimum à naturâ deſtinati, quia verò hæc ipſa vacuatio ſolennis eſt, & in corporis emolumentum continuatâ renum operâ, ſæpiuſculè peragitur, fit non rarò, ut cum ſero ſanguinis vehiculo, ſingulari naturæ Primi motoris dictamini obtemperantis induſtriâ, aliæ particulæ in venas reſorptæ, unà ſecernantur & hinc eliminentur,

minentur, ceu de empyematicis experientiâ comprobatum habemus, ſupra quoque mictionis cruentæ ex V. S. omiſsâ meminimus: Hæ ipſæ tamen particulæ, licèt motu eam configurationem ipſis natura conciliare ſtudeat, quæ cùm vaſculorum capillarium oſculis, tum præprimis tubulis urodochis proportionata eſt, non rarò vel hærere ſolent circa eorum extremitates, vel in ipſis fibræ ductibus, aut etiam tranſeundo crebrius, horummet texturam lædere, ut inde improportionatum quodvis facilius recipiant: atque illi effectui producendo ſalina ſpicula à quorum aggeſtione, mutuaque combinatione calculum ſuccreſcere prior. obſervat. diximus, aptiſſima ſunt, quæ hinc ſubſiſtentia, vaſculorum extremitates rodunt, fibræductus diſtendunt, papillas nerveas vellicant, ſicque dolori gravi, ſanguinis extillationi, variisque aliis occaſionem ſubminiſtrant; inprimis autem circa dictorum tubulorum extremitates, horumvé poros hærentia, accedente uſque novâ materiâ, in calculum majorem non rarò accreſcunt, qui dehinc majus ſpatium acquirendo, vaſculorum quorundam extremitates, lacerando vel rumpendo dictos tubulos, unà ſive dehiſcere vel rumpi facit, unde ſanguis profluens, cùm ſero permixtus non rarò copiosè emingitur, quod ipſum ſymptoma fibrillis vaſorum vel integris adhuc, ſed laxioribus, vel arroſis, eodem hoſpite ex motu graviore unà moto, iisdem ferè de cauſis facilè redit, fibrillis viz. oſcillorum capillarium ſanguinis impetui non reſiſtentibus. In præſenti quidem caſu, à ſanguinis motu concitato eundem attenuari, èq; arteriolis capillaribus renum propulſum, nunc purum, nunc tantillo ſero mixtum, tubulos urodochos promptiſſimè ingredi nobis non malè viſum fuit, ægroto de aliis nec conquerente nec verba faciente, quod per anaſtomoſin aliàs explicant, potueruntque iſtam hypotheſin confirmare, cùm juvantia V. S. & blandè humectantia ac demulcentia, tum quod nonniſi poſt vehementiorem motum ſanguinolenta minxit, acceſſit his ardor circa lumbos, dolorque gravativus, cùm ex itinere huc veniens opem noſtram expetiit: At cùm malum diuturniores inducias nunquam daret, quin imò fortiſſimè quandoque ingrueret, cum ardore & dolore ſimili quem ſub finem mictionis etiamnum percepit, calculosque per intervalla ab ægro excretos audiremus, hoſpitem inquilinum ſuſpicati fuimus, qui ferè à primo ſymptomatis inſultu primordia nactus, ſenſim ſuccreverit, vaſculumque capillare unum alterumvé ſucceſsivè laceraverit, aut oſcilla ipſorum ex ſanguinis appulſu quandoque fatigata, validè dehiſcere fecerit, unde urinæ cruentæ per intervalla, nunc copioſius nunc parcius redditæ fuerunt: φλέβιος ῥῆξιν ſanguis copioſus isque purè redditus, perſuadere poſſet, ex Hippocratis dictamine; majoris tamen vaſculi ruptionem adfuiſſe vix credimus, ſubſiſtente mox ejusmodi copiosâ mictione, imò

ex

ex medicamentorum uſu, quibus roboratæ vaſculorum fibræ, ſimulq; ſpicula acidi vulnerantis correcta & mitigata fuerunt; Pollent ſanè vulnerarię hæ plantę ſale quaſi nitroſo, ſed occultè alcalino, cujusmodi detergere acidumq; vulnerum ulcerumvè corrigendo, conſolidare optimè valet, opinaturq; Celeberr. Ettmüllerus ipſorum vim non in ſubſtant. volat. vel fixâ, ſed mediâ quâdam ſive ſale eſſentiali tartareo nitroſo conſiſtere. De dolore jam potiſſimum ſollicitus eſt æger quem circa radicem colis & collum veſicæ, poſtquam urinam reddidit non levem perſentit, ut ab ejulatibus ſibi temperare non poſſit: ſigna calculi veſicæ non adſunt, urina enim liberè profluit, pondus quoque nullum percipitur vel dolores alio quàm poſt mictionem tempore: ſanguinis quoque grumuli cum lotio non excernuntur, ut ab illis in veſica reſtitantibus ſtimulantibusq; ille derivari poſſit, quemadmodum olim ardorem cum ſtillicidio produxerat: videtur nihilominùs cùm à calculis arenulisque, quæ aliquando tranſierunt: (ab aliquo enim tempore horum quidquam excretum fuiſſe non audivimus) ſanguinisque acrioribus particulis fibrillis illic loci labes aliqua inuſta eſſe, quâ etiam lotii ordinariè tranſeuntis naturalem acrimoniam vix ferant: Quòd ſi urina cruenta continuaret, vel etiam carunculæ excernerentur, à calculo rodente & ulterius ſubſtantiam renum lacerante, iſtius fomitem commodius divinare liceret: Utrum verò à calculo, carni renum inerranti ſed quieto, idem concitetur decidere jam non poſſumus, certæ συμπαθείας ignari.

Observ. LXXX.

De mictione lapideâ &c.

Ex communicatione Excellentiſſ. THEOPH. BONETI, Med. Genevenſ. Anno 1681.

Noviſſimè in noſodochio noſtro res ſtupenda contigit, ſed ludicra. Puella XX. circiter annorum, cui vultus qualis anaſarcâ laborantibus, dolore renum ſe laborare ait, pòſt imi ventris cum gravitate teneſmo & iſchuriâ: Accitus Chirurgus Noſodochii catheterem immittit, elicit remorantem urinam, & deprehendit ex renitentiâ lapidem: Ejulat puella, auxilium poſcit immiſsis digitis educit Chirurgus non lapidem ſed ſilicem, poſtridie eadem revertuntur accidentia, adeò ut ad eadem auxilia

confugiendum fuerit, extrahiturque iterum lapis: Sicque ex ordine post eadem lamenta, ad XXX. usque. Novitate perculsus nosodochium adeo, ejulantem puellam video, quæsita aliquot properanter facio: respondet se à plurimis annis dolori renum obnoxiam esse, exinde dolorem ad pubem vergere, excreto lapide quietis se esse compotem, donec novus nisus apprehenderet: Interim Chirurgus ad officium se componit: catheterem indit vaginæ, hinc urethræ: impellit adusque renitentem lapidem, quo ubi substitit, ut apprehendam rogat: renitebatur cum sono: Introducit digitos, atque immaniter ejulanti puellæ, silicem quadrato longum, pollicis longitudine, sed crassiorem, nullo muco vel sanguine infectum, extrahit: hinc quietissima puella: affrictum lapidi cultri dorsum, scintillas elicuit: Medicus nosodochii, ostendit septem multò minores: atque in his unum persimilem illis, qui generantur in vesicâ figurâ ovi columbini asperum: sed fraus non diu latuit, eâ enim ipsâ die, quâ hunc excluſit, nidus sub axillis repertus est lapidum in sentinam illam trudi destinatorum.

SCHOLIUM.

Non absimilem Historiam legere est apud literati Orbis Phosphorum Bartholinum cent. 3. Epistol. LX. de Puero calculos mejere simulante, qui autem secluſus à Fratribus & Amicis in custodiâ arcis, Sereniss. Regis jussu detinebatur: toto illo tempore, quamvis paroxysmum ingruere simulabat, calculos tamen nunquam excrevit, quod non suppetebant vel ipsi vel commoda occasio in matulam illos projiciendi: Eò autem gravior & magis Diabolica Puellæ petulantia fuit, quod dolores ipsa sibi intulit, gràvissimaque symptomata sibi inducere potuisset, enim verò ab asperis silicibus, iisque vi intrusis & lædi sphincteris fibræ, mucusque vesicæ sensim abradi potuisset: Excellentiss. Heurnius exemplum pueri decennis laudato Bartholino centuriâ eâdem perscripsit, in cujus urinâ post præcedanea gravissima symptomata, lateres vel silices minores reperti fuerunt, monuitque æger silicum similium majore frusta intestino recto inhærere: in quo equidem Bartholinus ipsi non assentitur, sed fraude rem agi potuisse, nî D. Heurnius præsens fuerit, sibi persuasum habet: Absit ut alterutri Viror. horum optimè de Arte nostrâ meritorum contradicamus: Id verò, ὡς ἐν παρόδῳ heic addimus, mictionem talem non prorsus ridendam vel rejiciendam esse: Enimverò

nim verò cum Bernæ nuper essemus, Clariss. D. D. Sigismund. Kœnig pro innatâ suâ humanitate, & favore quem hactenus demereri non potuimus, nos duxit ad Virginem vegetam ad aspectum vividique coloris, quàm ferè lapidi vel calculi cacam nominare possemus: hæc ab aliquot annis calculos minores, medioxumos, maximos variæ figuræ, per vomitum, urinam, præcipuè verò alvum excrevit, præcedentibus horrendis cruciatibus: Eo ipso tempore, foëtus ferè in procinctu fuit, abdomen enim distensum erat, cruciatus ingruere incipiebant, poterantque ejus vestigia digitis contingi. Plura symptomata alia notatu dignissima, quæ cum prolixa historiæ traditione, Actis Anglicanis inserta, audivimus vidimusque in Ephemeridibus eruditor. Lipsiensium, heic studio prætermittimus, nolumusque generationis modum pervestigare, ne in alienam messem falcem mittamus, quòd si tamen hariolando quid assequi valemus, cùm per urinam calculos, similes iis quos per alvum excrevit, reddiderit, materia ex sanguine per arterias illuc allata, omninò deducenda est, qualem ingesta ferè suppeditârunt, quamvis de victus ratione nobis non constet: sique eadem per arterias ad glandulas intestinales advehi dicenda est, illarum oscula harumque poros ita sensim formatos configuratosque fuisse putamus, ut facili negotio illic secernatur, inque intestinis aggesta calculos dict. pariat: neque ratiocinia satis urgentia videmus, quæ fermentum λιθοποιητικόν ostendere & probare possint. Id magè mirum, calculorum ulteriorem generationem impediri non posse, correctâ atque emendatâ diætâ: certè exactè rem trutinantibus, perpendentibusque maximam illorum copiam per alvum excretam fuisse, verisimile videbitur, in intestinis illos ferè immediatè generari, particulis terreis aliisque, (oscillis vasculorum lacteorum fortè angustioribus,) improportionatis à chylo secedentibus, mucoque intestinali involutis foëtum hunc sensim constituentibus, qui deinceps arrodendo fibras, non nisi maximis cruciatibus excerni potest. Agmen claudat historia pariter jocosa: Anno 1674. cùm in Galliæ metropoli versaremur adhuc, peritissimus, Dn. Morellus vocabatur ad illustrem quendam Juvenem, qui de dolore intestini recti, fæcumque alvinarum excretione impeditâ, ex repagulo ligneo intestinum opplente, querelas movit: Parentes anteactorum inscii, perierunt ut quid ligni doloroso subsit exploraret: Ille igitur digitis sensim in alvum immissis, lignum deprehendit, illudque forcipe, quâ aliàs invesicæ calculo extrahendo utimur, arreptum educit, stupuerunt adstantes, cùm calamum scriptorium esse viderent, adque foëtus hujus causam hæserunt. Juvenis ex casu saccum quo ille recondebatur disruptum fuisse, hincque intestinum vi subintrâsse asserebat: Ast nequitiæ illicitæ exercendæ destinatum fuisse, alii nobiscum crediderunt: Præcipuum quod heic mi-

rari licet, fibrarum motus periſtalticus eſt, ſuperiora versùs, quo calamo ilico vias occluſerunt.

Observ. LXXXI.

Hæmoptöe ex menſium ſuppreßione feliciter curata.

Barbara Eglin *17.* annorum, paupercula, d. 15. 7bris 1681. conqueſta eſt de ſtrumâ ingenti, utrumque colli latus involvente, cujus primordia anteceſsit abſceſſus, qui in dextro latere magis magisque accreſcens, tandem à Chirurgo adapertus, & hinc conſolidatus fuit, ſtrumæ ſeminiis ſenſim pullulare incipientibus, ac in longum ac profundum ita ſerpentibus, ut difficilis omninò remediis fuerit locus, inprimis quòd ſanguinis ſputum levius, citra tuſsim, per intervalla patiebatur ægrota, nihilominus tentare aliquid neceſſum fuit, vel ulteriori accremento impediendo: præſcripti hinc pulv. contra ſtrumas uſum cùm malum eluderet, pilulas noſtras Mercuriales alternis diebus ſumendas, quòd ſtruma ad attactum mollecula erat, commendavimus, non neglecto ſanguinis ſputo', cujus cauſam legitimam miſella adhuc dum confiteri nequiit, pudore præpoſtero ducta. Sed nec his vel illis quidquam effectum eſt, earum licet uſum in pertinacibus glandularum obſtructionibus, imò haud ita pridem ſcrofulis pullulantibus oppoſitum ſalubrem compererimus: d. X. Novembr. hæmoptyſi, quæ alias inducias dabat, acriùs ingruente, quid tandem mali ſubſit ex ægrâ ſeriò percunctati ſumus, inprimis menſtrui floris ratione, cujus marceſcentiæ, quæ ſanguinem cumulant viſcidiorem, ſatis obnoxias noveramus: faſſa fuit tum à *17.* ſeptimanis illo ſe deſtitutam fuiſſe, indeq; inſtante periodo ſolenni ſanguinis eruptionem copioſiùs ſenſiſſe, præprimis quòd vaſa ſanguine utcunque turguerint, jam autem tuſſim, quæ priùs aberat, juxtà vexare cum reſpirandi difficultate, ſanguinemq; floridiſsimum ejici; Inſtitutâ V. S. quam pro ratione deinceps reiteravimus, ſymptomati urgenti & cauſæ apozem. vulnerariis detergentibus obviam ivimus, non neglecto Martial. convenienti uſu ad vias uterinas reſerandas, ſanguinemque paulatim

tim in motum vegetiorem concitandum. His reiteratis, cùm tantiſper meliùs haberet, lactis vaccini vires experiri cum conſerv. roſar. conſultum duximus: inde corpore leni quodam catarthico diſpoſito, manè jejuno ſtomacho cyath. 1. lactis à caſ. & cremore ſupernatante depurati exhibuimus, cum pulvere bihorio poſt ſumendo ex diaphor. Jovial. ocul. cancr. præparat. raſur. ebor. Nec hujus uſum per ſeptimanas aliquot continuatum inutilem comperit, quin tam molestum ſymptoma multum inde mitigaretur: quia verò menſtrua inde non redierunt, de ſputo planè ſubſtituro, certis eſſe non licuit, hinc ſubſequente Majo ſeri caprilli virtutes exploravimus, quas egregias ſanè hoc in affectu compeſcendo deprehendimus cum pulvere modò laudato: etenim ſub initia menſis Auguſti hæmoptyſin omninò ſubſtitiſſe retulit, neque incommodi gravioris quidquam ſentire, præter cephalalgiam per vices atrociter infeſtantem, cui ſanguinis miſsione commodùm occurrimus: Menſtruorum autem ciendorum ergo, ſemicupia & pediluvia ex herb. ſalv. meliſſ. origan. puleg. fl. beton. ſtæchad. lil. convall. chamom. parari curavimus, venamque in malleolo deinceps tundi juſsimus cum felici ſucceſſu, tribus ſiquidem ſeptimanis poſt, præcedentibus dolore & ardore in lumbis, hoſpes tam diu ſollicitatus & expectatus legitimè comparuit.

SCHOLIUM.

Joannes Rhodius, Vir meliore fato dignus Centur. 2. Obſerv. 30. Mulieris meminit Patavinæ ſingulis aut alterius menſibus, ſine pectoris offensâ ſanguinem exſpuentis, menſium per hoc penſato deliquio, in quo id tamen reperi dubium, an ſine tuſſi prodierit, cum ſequentis hiſtoriæ lemma tuſſim adfuiſſe haud obſcurè teſtetur, Verba ſunt Celeberr. *Pechlini* Ephemerid. German. Ann. IX & X Decur. 1. Obſerv. 27. apponitque hic paulò pòſt, Exemplum Mulieris triginta duos annos natæ, macilentæ & quæ hæmoptöen periodicam menſtruam paſſa eſt, filiæ huic noſtræ non abſimilem, niſi quod apud illam menſtrua ſimul fluxerint, quamvis parcius: de ſanguine menſtruo, ejusque fluxus cauſis, prolixius egimus, prodr. Phyſiolog. Id verò heic addere conſultum ducimus, quòd circa uteri ſtructuram evacuationi tam ſolenni maximè convenientem Celeberrimus Malpighuis in epiſtol. ad Clariſſ. Jacobum Sponium datâ monet, de arteriarum ac venarum reticularibus plexibus

(quos

(quos in utero vaccino ſæpius conſpeximus) tubulos uterinos variè & ita ſtipantibus, ut venæ amplitudine & numero arterias longè ſuperare videantur, illarumque frequentius ſurculi bini comitentur arteriam, cujusmodi vaſorum texturam attentè ruminantibus, mirum non videbitur, cur per uterum potius, quam aliam partem menſes erumpant: Legi quoque hanc ob rem meretur ratiocinium elegans Celeberrimi *Bohnii*, Fautoris atque Amici honoratiſſimi, quod progymnaſm. XII. Circul. Phyſiolog. inſeruit: Nihilominus, inquit, ſi flexuoſos arteriarum æque ac venarum uterinarum attendamus tractus, ſi ſingularum miras anaſtomoſes, certè nullibi talem vaſorum ſanguiferorum implicationem atque conformationem continget obſervari: peculiarem proin quoque ex hac eliciamus uſum peculiariaque phænomena ratio ſuadet: ſcil. *Sanguis per lateris unius uteri arteriam, dum ad ſurculos minores fertur, ab oppoſiti lateris arteriâ neceſſario aliam motus ſui directionem recipit, illiusq; pariter fluori imprimit, ita ut utriusq; rami ſanguinis motus turbetur, & impetus illius aliquantum diffringatur, atq; hoc quidem eò magis, dum à plexibus his arterioſis emergentes rami tortuoſis pariter ac demum ſerpentinis ductibus in ſubſtantiam uteri feruntur. Simili ratione cum ſe habeant venæ, impetu ſanguinis intra arterias retuſo, lentâ magis undulatione per harum quoq; reticulatas implicationes ille vehitur, ut extra turgeſcentiam menſtrualem, ſanguinis motus ita infractus, ſtagnationi aliquid analogum patiatur, inq; non gravidis, ob compactiorem uteri ſubſtantiam, ejusq; tubulos non apertos, ſtagnans hic ſanguis, inſtante menſium tempore interiorem vaginæ ſuperficiem adeuntes venulas divellat, ac per harum extremitates ruptas menſtruorum nomine promanet, id quod evincere videatur, quod nigricans nec ita ſplendidus, vel tanto cum impetu, ſed lentè magis prodeat idem.* Quicquid ſit uſque certum eſt, reticulares ejusmodi vaſorum implicationes, ac ſerpentinos tortuoſosque ductus, ſingulari naturæ ſolertia efformatos eſſe, inque utero non modo ſanguinis pulſu ex trunco aortæ allabentis impetum, menſtruâ præprimis periodo, aut etiam graviditatis tempore infringere, ejusque jacturam, vaſis repletis atque diſtentis, ſi eorundem oſcilla hiſcerent, fibrillis nimium fatigatis, reticulari hac expanſione impedire, ſed etiam ſucci nutritii cum cruoris particulis, per poroſam uteri ſubſtantiam, in vaſcula fœtus ſecretioni jugiter inſtituendæ, commodum miniſtrare, remeante ſanguine reliquo, qui in tam minutis arteriolarum plexibus, de motu ac vigore ſuo non parum perdidiſſe poteſt, per tortuoſas easque ferè duplicatas venarum ramificationes. E quibus ſatis conſtat, quî uteri vaſa conceptionis tempore turgeſcant, ſanguine non tam extravaſante & circa uterum collecto, quàm in ipſis hiſce plexibus aggeſto, particulas neceſſarias per tubulos uterinos ſubinde ad vaſa fœtus amandante, reliquo verò nonniſi lento curſu per venas in truncum cavæ remeante, ut vana non ſit præfati Viri Excellentiſſ. ſuſpicio,

de ſanguinis ad ſtagnandum diſpoſitione, ſive mavis, in motu qualicunque torpiditate; Atque iſta motus infractio, uti inſtantibus menſibus, maſſa humorali turgeſcente, & in orgaſmum aliqualem concitata identidem contingit, cum majore vaſorum diſtentione, de quibus dolor gravativus ac tenſivus, ardor item circa lumbos & hypogaſtrium, imò horroris ac caloris viciſſitudines, particularum uti vellicantium, ita ſanguinis in vaſis congeſti, nec libero motu pollentis indices, abundè teſtantur, ita ſanguine ex ſe viſcidiore & hinc ad turgeſcendum inepto exiſtente deficit, vel potius gravior exiſtit, cruore per dictas vaſorum implicationes nonniſi lentiſſimè moto & ferè ſubſiſtente; eſtque hæc Veterum obſtructio in vaſis, caloriſque defectus intemperiei frigidæ mater, à quâ ſanguis crudior relinquitur adhuc, & fluxilitate neceſſaria deſtituitur, damno non exiguo, quod inde corpori univerſo inducitur; hæreſcentes enim ejusmodi particulæ, præterquam quod ſanguinis circulationi, aliarumque neceſſariæ ſecretioni, à quibus turgeſcens ille ſtatâ periodo aliàs ſe exonerare conſuevit, obſunt, non rarò quoque acrimoniam induunt, partesque nerveas circa uterum aggrediendo motus convulſivos inducunt, motumque per inferiora ſufflaminando, ut per alias vias natura, onerantis mole ſe ſublevare nitatur efficiunt, ceu tum præſens, tum ſequentes Obſervat. probatum dant: utque de aliis Menſtrui fluxus ſuppreſſi cauſis, (quæ quidem variæ ab Authoribus recenſentur, ſed excepto morbo organico in utero vel hujus vaginâ, ad vitium ſanguinis ferè, vaſculorumque, præprimis vaginalium, ſi Excellentiſſ. Bohnium aliosque audimus obſtructionem referri poſſe videntur,) plura dicere omittamus, in puellâ hac ſanguinis lenteſcentiam aliquam, atque hinc ad motum ineptitudinem perſuadent tum vita ſedentaria, victusque ratio craſſior, cui in loco, in quo illa degit, emancipantur, tum quæ eandem ſequi facilimè poteſt, ſtruma ex viſcidi coagmentatione, diſtortis ruptisque glandularum vaſorumque tubulis ac fibrillis, paulatim adaucta: nec verò hanc vectigalis menſtrui moram commodùm tulit, quin repletis inde vaſis pneumonicis veſiculæ pulmonis comprimerentur, non ſine reſpirationis difficultate, ſimulque ſubſiſtente cruoris portione aliquâ in ipſius lobulis, perq; poros tracheæ tranſudante, ſputum ſanguinolentum, primùm citrà, poſt cum tuſſi (quam particularum acredine vel ex ſolâ morâ ſuſceptâ, vellicando peperit,) ſubſequeretur, cujusmodi copioſum experta fuit, ipsâ menſtruâ periodo inſtante, particulis cruoris magis turgeſcentibus & aggeſtis, ceu vaſorum ſanguiferorum turgiditas commonſtravit, motuque inteſtino ſanguinis qualitercunque ſuſcitato, qui autem ferè in pulmonum vaſis ſubſtitit, è quorum oſculis hinc copioſius extillans, quam per venulas lentiore motu reſumi poterat, multâ ſui portione per tracheam tuſſi ejectus

ctus fuit, donec aliquâ ſui ſarcinâ hoc modo liberarretur: Evaſit tamen à tam moleſto & ſæpius funeſto ſymptomate Miſella medicamentorum talium uſu, quæ cùm ſanguinis in pulmonibus grumeſcentiam præcavent, eundem viſcidiorem incidunt, attenuant, ad juſtam fluxilitatem motumque aptum reddunt, vias obſtructas reſerant, tum etiam ad vias uterinas ducunt ejus copiam minuendo, à quâ diſtendente ac opplente non rarò fibrillæ arteriolarum labefactantur, ut priſtino vigore ipſum ulterius propellere nequeant, ſicque plenis atque arctatis vaſorum oſculis, pondere iſthoc revulſo, tonum priſtinum reſtituendo: cui equidem ultimo V. S. iterata, præprimis in malleolo, commodiſſima fuit, priori verò ſcopo, medicamenta vulneraria, abſorbentia & detergentia, aperitiva item martialia, aliaque, præprimis autem ſerum lactis caprill. ſale nitroſo prægnans, non rejectis balneis, ac pediluviis ex emollientibus iisque parat. quæ rarefaciendo poros atque vias dilatant, utque cum Excellentiſſ. Wedelio loquamur, archéum ſuſcitando, motum M. H. blandè invitant.

Observ. LXXXII.

Menſium per vomitum oculosq; excrétio.

Ruſtica 40. circiter annorum, robuſta aliàs & vegeta, ſed Bacchi, quem jejuna etiam fervidè oſculata fuit, ab aliquo tempore nimis amans, An. 1681. menſe Junio, iſthoc à Marito ingravidata, ſua non amplius vidit menſtrua, rata hinc ſe concepiſſe ex mariti ordinarii magis, quàm Dei vinoſi conſuetudine, animo ſubhilari fuit diu, donec menſe Octobri proximo, ſymptomatum infauſta ſeries, gaudium ſpemque omnem præciderunt, abdomen etenim cum artubus intumeſcere, miſella circa præcordia angi, & difficulter ſpirare, facies palleſcere, appetitus proſterni, viresque delaſſari ceperunt, adeò

Nox & amor vinumq; nihil peperére ſalubris.

Moleſtiores hiſce tractu temporis fuerunt adhuc vomitus cruenti copioſi, nunc periodicè, ſingulis menſibus, nunc irregulariter ægrotam defatigantes: jam tum temporis rogati, quid periculi immineat, prædiximus, nî medicamentis convenientibus ſedulò uteretur: Verum enimverò, quod vulgus ſapere neſcium factitat ubique, & utinam faceret ſolum, Agyrthæ extranei, cujus ἰατροσοφίαν prudens nemo, niſi barbatulus laudabit, empiricam vocem

vocem & remedia libentiùs audiit, quàm ſalubre noſtrum conſilium, ſuo quidem maximo cum damno, ſymptomatibus indies in deterius ruentibus: d. 25. Novembr. inſolito pruritu oculi miſeræ correpti ſunt, quem ſanguinis floridi ad ℥ plures excepit effluxus: jam lecto affixa hæſit, vomituque cruento libera tantiſper licèt extiterit, de gravitate tamen & anxietate circa præcordia aliisq; ſymptomatibus conqueri non deſiit. D. 9. Ian. 1682. aliorum precibus, quibus parere filiale jubet munus, moti, (quod Homuncionis remediis noſtra miſcere noluimus) ipſam inviſimus lecto miſerè decumbentem: retulit tum octo diebus ante vomitu ſanguinis multo, cum ejusdem per nares & oculos eruptione denuo infeſtatam fuiſſe, præeuntibus calore & horrore qualicunque, compreſsione circa præcordia, reſpiratione difficili, cum tuſsi, & ſuccedentibus crebris animi deliquiis: ſanguis quem evomuit grumoſus parum erat, reliquus tenuis & acris, inſtar lotturæ carnium, pulſus frequens & concitatus, attamen æqualis: Imperatâ diætâ exactiſsimâ, & interdicto vini uſu, ſequentium commendavimus uſum: Diaphor. Jovial. corall. rubr. præparat. ſanguin. Dracon. v. terr. ſigil. bol. armen. or. gumm. arab. oc. cancr. præpar. trochiſc. de carab. & ſimil. m. & v. ad ʒß. ſumendum. cum mixtur. per cochlear. ſumend. ex aqu. deſtill. cum Tr. Mart. cydon. quibus utcunque bene habuit, anxietate circa præcordia & reſpirandi difficultate multum imminutâ. D. 18. Ian. menſtruâ periode imminente, aliis locum conceſsit, quibus vomitio ſanguinolenta jam ſubſiſtere, & per vias ordinarias menſtrua tantiſper comparere ceperunt: ægra etiam ad munia ordinaria rediit, de artuum inferiorum laſsitudine potiſsimum conqueſta, inde remediis dictis ulteriùs uſa fuit, quibus addidimus pro decoct. ordinario. ℞. Fl. papav. rhæad. bellid. m. ā pii. ſemin. aniſ. coq. in menſ. jß. aq. comm. Verùm enimverò quâ ſui dulcedine liquor rubeus, ſibi olim emancipatos pollicere conſuevit, aliquot menſes pòſt, quod melius habebat, miſera ad nocivi hujus Dei ſacrarium rurſum properavit, ſpreto Nympharum ab Jatrice temperatarum potu, minus ut ipſa augurabatur cordiali, indeque funeſtæ recidivæ ſcenam ilico vidit, vomitu redeunte

atrociter & abdomine ſenſim ex aquis intumeſcente, donec Creatori placuit animulam è ſuo hoſpitio evocare.

Observ. LXXXIII.

Menſes per aures excreti præcedentibus motibus convulſivis.

Anno 1683. quùm cum Venerabili Præceptore noſtro, Excellentiſſ. D. Doct. Glaſero noſodochii Ægros viſeremus, offendimus Virginem annorum XXIV. corporis habitu macilento, faciei colore liveſcente, vultu humili, quæ medio ætatis curſu, ferè per triennium maniâ, ſcrophulisque in collo laboravit: Hæc circa ætatis annum 16. primùm menſtruum vectigal exolvit, inde verò, cùm malæ victus rationi indulgeret, idem inordinatè, vel parcè vidit. Biennium ante, cùm ex toto menſibus ſe orbatam deprehenderet, acidulas quatuordecim dierum ſpatio bibit cum emolumento, rediit enim lunare tributum, quod olim amiſerat, quia verò ob egeſtatem, uſum earum ulteriorem relinquere coacta fuit, natura in motu ſuo rurſum deſtitit, ut neque in illud uſque tempus menſes viderit: jam verò febris lenta corpus invadere tentabat, convulſionesque miſellam exercere, quæ ſanguine ex aure ſiniſtrâ fluere incipiente inducias dederunt, uſque dum exacto menſi, ſimili modo ſæviendi occaſionem nanciſcerentur. Sanguis qui excretus fuit ad ʒß. circiter, nigricans erat & ſeroſus: Acceſsit tertiana febris, quamvis non exquiſita, à quâ tamen prius ſymptoma non fuit imminutum: Fuit nihilominus ægra cùm à febrili inſultu, tum etiam, menſium ſubſiſtentiâ, indeque pullulantibus convulſionibus, medicamentorum, aquarumque præprimis mineralium ope, benedicente Deo liberata.

SCHOLIUM.

Καταμηνίων γινομένων πλείονων νοῦσοι ξυμβαίνουσι, καὶ μὴ γινομένων ὧν ἐκ ὑστέρης ξυμβαίνουσι νοῦσοι Hippocrates inquit l. 5. aphoriſm. Prolixius ſuper iſtud commentari, opus non habemus, cùm quæ ſymptomata, particulæ irritantes circa uterum collectæ, producere valeant, præcedent. Schol. memorave-

moraverimus, binæque hæ hiſtoriæ ſatis doceant, tum quas vias, ordinariis ferè præcluſis, pro ſanguinis cumulati excretione, natura ſæpius arripiat, tum etiam quàm gravem noxam, univerſo corpori *iſte* ſubſiſtens, vel aliquibus ſuis particulis genus nervoſum vellicando, inferat; enimverò *illa* vomitu ſanguinem grumoſum ejecit, reliquo floridiore interdum, maximam verò partem acri, ac loturæ carnium ſimili, ex oſculis vaſculorum in naribus oculisque extillante, præcedente pruritu in his inſolito, à ſanguine copioſius appellente, ſuâque tenuitate & acrimoniâ, fibrillas arteriolarum humectante ac titillante; *hæc* verò maniaca primum in inferiore ætate, cùm malâ diætâ menſium eruptioni obicem poſuiſſet, convulſivos motus ſuſtinuit prius, quàm ſanguinis tantillum per aures erumperet, cujus quidem mali cauſas ſubticere malumus, quàm incertas proferre; utrum enim particulæ cruoris in vaſis uterinis ſtagnantis (de quo menſtruorum præcedens inordinatus fluxus argumentum non leve exhibet) acrimoniam ſenſim adeptæ, fibrasque illic loci irritantes, an demum ſimiles turgeſcente utcunque ſanguine per arteriolas ad aurem ſiniſtram delatæ, ibidemque fibrillas nerveas in interioribus vellicantes, quibus nervoſum genus ilicò conſenſit, anſam iis ſuppeditaverint, dubium omnino eſſe poteſt, quamvis hoc ultimum veriſimilius videatur, ceſſantibus ad ſanguinis acris, ſeroſi & nigricantis excretionem, convulſivis inſultibus, hisque nonniſi exactis quatuor ſeptimanis, dolore circa lumbos vel hypogaſtrium atroci non comparente, invadentibus: de cætero cùm ſcrophulæ, & ingruens olim furioſus affectus, tum etiam victus ſuccedaneus, ecquibus particulis ſanguis imprægnatus fuerit, teſtari poſſunt, nec jam vacat ulterius in iſta inquirere; id modò addimus, ſiquidem à maniâ fuerit liberata, in fibrillis cerebri graviorem labem nos quærere non poſſe, eandemque, ſi quæ adfuit, creſcente ætate correctam fuiſſe. Ruſticam autem, quod etiamnum concernit, damnum ſibi ipſa intulit vini nimia & intempeſtiva ingurgitatione, cui unà craſſior diæta jungenda eſt, auctâque ſeri in M. H. copiâ, idem fatum quod hydropici ſuperius, tandem experta eſt; enim verò ſuppreſſis magis magisque & eliminatis particulis volatilibus & balſamicis, ſanguis admodum ſolvi, in motu ſuo fatiſcere, ſerum in artubus inferioribus, aliisque abdominis partibus ab ipſo ſecedere & ſtagnare, præprimis autem, in partibus pneumonicis ſubſiſtendo gravare, èque vaſculis arterioſis unà cum ſero abſcedens, cumulari & grumeſcere, tandemque vomitui cruento ortum ſuggerere cepit, cujus evidentia indicia fuére, anxietates primum circa præcordia & ſpirandi difficultas, inde etiam oppreſſiones circa præcordia graviores, reſpiratio difficilis cum tuſſi & animi deliquia, libero ſauguinis per pulmones circuitu ſufflaminato, quæ ſanè ſanguinem fluidiorem ac ſolutum, & qui arte-

riolarum fibris contineri amplius nequit, in dictis pulmonum loculis subsistere, atque inde confinibus partibus noxam inferre, majori certitudine persuadere videntur, quàm si ex ventriculi vasis grumescentem eundem, postquam in cavitatem ejus effluxit, repeteremus, potuitq; vomitus causa esse fibrillarum nervearum in aspera arteriâ irritatio fortis quâ œsophagieæ vicinæ ob intimam affinitatem unà affectæ fuerunt, ceu tussientibus accidere sæpiusculè jam notavimus.

Observ. LXXXIV.

Hæmorrhagia Uterina cum fœtus immaturi exclusione.

Mens. Jan. 1680. Uxor honesta triginta & quot excurrit annorum, liberorum plurium mater, quorum tamen aliquot, vel ante terminum consuetum excluſit, vel in ipso partu, ex sanguinis impetu, non sine dolore suffocatos vidit, per quatuor circiter menses cum dimidio rursum gravida, cæterùm hypochondriaca, ac hæmorrhoidum fluxui multò aliàs, etiam hoc ipso tempore obnoxia, nostro suasu salvatellam aperuit, ut *plethoræ* atque intempestivis sanguinis eruptionibus vel sic obviam iret. Sub noctem sanguis ex utero non citra vehementem Matris concussionem prorumpere incipit, minus tamen copiosè: *Symptoma* hoc chirurgo, qui V. S. largiorem instituerat, accensuit: Mox accersimur, audimusque juxta foëtum, qui prius instar ponderis, medietatem ventris occupârat, alterum latus motu satis valido petiisse, ventrem etiam, qui ante hunc infantis motum insigniter intumuerat, detumuisse, subsequente copiosissimâ aquarum per loca convenientia evacuatione, quæ prius satis pauca & infrequens erat: Præscripsimus primo accessu aquam cordialem & bland. adstr. ex aq. fl. til. borrag. burs. pastor. corall. rubr. syr. granat. corall. quâ per cochl. usa fuit. Externè paravit Empl. ex cydon. cum nuc. mosch. in Vin. rubr. coct. calidè imponendum, quibus bene habere sibi videbatur D. 16. Martii quum rursus accerseremur ægraque de pristino malo redeunte, non citra tormina quæ circa regionem hypogastrii & lumborum persentiscebat conquereretur, convenientibus, tum in formâ fluidâ

fluidâ tum ſolidâ pugnavimus, ſpreverunt verò medicamentorum efficaciam ſymptomata, ægramq; d. 22. ejusd. cum impetu adorta ſunt, doloribus vehementer ingraveſcentibus, & ad uſque oſſa pubis ſeſe extendentibus (Noſtrates **die ſchneidende Wehe** vocant) anxii tum hærebamus meritò, quid apud ægrotam, maximè contritam tentandum eſſet: Ex *unâ parte* ſanguinis terrebat fluxus, ex *alterâ* verò fætum blanda calcitratio refecit, cui acceſsit temporis complementum deficiens, ad quod abſolvendum naturam adhuc ſtudiosè collimaturam ſperavimus, Matrem interea bono animo eſſe jubentes, conſultum interea non erat, vel matrem vel fœtum intempeſtivè torquere ſuaſimus hinc quâ ad demulcendas partes nerveas & membraneas, quâ primas vias blandè eluendas clyſterem, poſt cujus applicationem naturam frequenter ſuæ intentionis indicia manifeſta prodere noveramus, ſed renuit ægra: Propinavimus hinc julep. ex confortante anodynum, & ſacculo hypogaſtrium fovimus: Vix anodynum ſumſerat, ſacculumque applicuerat, & en aquæ copiosè prorumpunt, quas ſequitur lochiorum fluxus cum doloribus ſuprà nominatis: Sanguinis concreti & aduſti fruſta ingentia, ſubfœtida frequenter excluſit acutiſsimis cum torminibus: Quum ſingula diligenter ruminaremus, ægram quietam detineri jubemus, & expectare uſque dum lochia inducias darent, propinabantur interea juſcula reficientia & roborantia, unâ cum aq. card. Hor. 3. matut. fluxu remittente hauſt. aq. lil. convall. & meliſſ. exhibuimus, quem paulò pòſt conatus mingendi & hinc egerendi inſecuti ſunt, iiſque vehementiſsimi, ſed nec multi nec diuturni: per intervalla quoque unum alterumvè cochleare Balſ. embryon propinavimus quo aſſumpto conatus paulùm redière, & obſtetrix fœtum Matre multò cum niſu opitulante, pedibus tandem prehendit, & ex antro in quo hærebat feliciter extraxit. ſed mortuum, menſium circiter 7. in ipſo jam utero Bubonocele laborantem.

SCHO-

SCHOLIUM.

Fœtum in uteri clauſtris detentum, unà cum ſanguine per vaſa materna illuc accedente, inque uteri tubulos depoſito, ſucci nutritii particulas haurire, Hippocrates jam aſſeruiſſe videtur, quando l. περὶ σάρκων & περὶ φύσιος παιδίου inquit: τὸ παιδίον ἐν τῇ γαστρὶ συνέχον, τὰ χειλέα μύζει ἐκ τῶν μητρέων: ἕλκει τήν τε τροφὴν καὶ τὸ πνεῦμα τῇ καρδίῃ ἔσω: ἕλκει μὲν ἀπὸ τοῦ αἵματος τὸ γλυκύτατον: αἷμα δὲ ἀπὸ τοῦ γάλακτος ἐπαυρίσκει ὀλίγον: dulciſſimum ſanè in ſanguine ſerum nutritium eſt, cujus jacturam fœtus ægerrimè fert, teſte eodem l. 5. aphor. ἢν γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ αἱ καθάρσιες πορεύονται ἀδύνατον τὸ ἔμβρυον ὑγιαίνειν. Atque hinc eſt quod hæmorrhagiæ uterinæ gravidis ſupervenientes, plerumque abortum minitantur, cujusmodi frequenter accidere ſolent, vaſis ſanguiferis, quæ fundi uterini penitiora ſubire, vel Tyronibus conſtat, admodum repletis, fibrillisque ipſorum à copiâ enervari incipientibus, unde per tubuloſam uteri ſubſtantiam in placentam hujusque vaſa, legitimâ quantitate *ille* non ſecernitur, ſed intra uteri cavum recipitur, ibidemq; vel ſubſiſtendo, ulteriorem grumeſcentiam & acrimoniam acquirit, vel tenuior fibrillas orificii alluendo laxat & fortè titillatione aliquâ iſtud aperiri facit, ſicque exitum ſibi parit: quandoque autem acredinem; ſive ex mora ſive ex ſe majorem, fibrisque uterinis ſatis inimicam obtinet, de quâ dolores & cruciatus enormes, quibus femellæ ejusmodi affliguntur, teſtimonium præbent, poſt ſanguinis grumoſi, & non rarò in majus fruſtum compacti, vel ejusdem loturæ carnium ſimilis paulatinam excretionem, atque profluvium ceſſantes: In ejusmodi vaſorum turgeſcentiâ convenientiſſimum remedium V. S. eſſe ſolet, quâ ſanguinis copiâ minuitur, particulæ ipſius ſubſidere in vaſis vel grumeſcere incipientes, divelluntur ac diſtrahuntur, ſimulque impeditur, ne vaſa ultra elaſticitatis ſuæ ſphæram diſtendantur, tubulique à cruore ultra capacitatem ſuam impleantur: Interdum à vehementiore motu ſive corporis, ut ſaltu, curſu, &c. ſive animi, ut irâ, excandeſcentiâ, ſanguinis ex utero intempeſtivus effluxus concitatur, dum in illo placenta ab utero quocum arctiſſimè cohærebat, divellitur, indeque ſanguini per tubulos affluenti in cavum ejus, contiguitate ſolutâ, via panditur, in hisce verò pathematibus, ſpirituum ſanguinisque motus validè concitatur, à quorum impetu vaſis eadem labes, quam modò meminimus infertur: ſæpenumero autem ipſe fœtus à paſſionibus matris ita afficitur, ut præter modum calcitrando præcociorem exitum, ruptis quibus includitur membranis ſibi pariat, de quibus plura inferiùs: fortè etiam concitato ſanguinis ſpirituumque motu in fœtu, oſcula aliqua capillaria diſtorqueri

queri aut distendi possunt in placentâ, ut dicta ipsorum cum tubulis uterinis per contiguitatem unio inde lædatur: Quandoque unio hæc fœtu grandescente statim infringitur, utero malè affecto: præprimis autem muco ejus teneriore existente, aut post frequentes, eosque graviores partus nimium abscedente, solent isthinc abortus facillimè succedere: Fœmina de qua in præsentiârum sanguinis copiam cumulavit, plethorica enim erat, & hæmorrhoidum fluxum etiam durante menstruo patiebatur, juxta eam sanguinis dispositionem nacta, quâ facilè coagulatur, inque vasis lentioris motus subsistere ac grumescere amat: siquidem ad septimum mensem fœtum gestaverit, in fibrillis uteri denudatis vitium quærendum esse non existimamus: neque etiam terror, qui ingruenti fluxui sanguinis accessit, primariam causam arbitramur: dum verò sanguinis liberum motum ac refluxum magis sufflaminavit, oppidò non parùm huc contulit: de motu corporis nocivo nihil constitit, ut hinc vasorum sanguiferorum oppletione, (quam superiùs explicavimus) ferè acquiescamus, cui nec V.S. medelam parare potuimus, quòd tubulis illius particulæ crassiores, de quibus frusta sanguinolenta subfœtida satis testantur, pertinaciter inhæserunt, usque dum aggestæ ex oscillis ipsorum erumpentes hæmorrhagiam parerent, stimulandoque fibras uterinas ad excretionem hortarentur, fœtu ipso nutrimento suo magis adhuc ex aquarum eruptione orbato, quam num dolores, hincq; subsequentes enitendi conatus unicè produxerint, an verò fœtus calcitrans adjumentum juxta præbuerit? multum hic non disputabimus: Illius heic Tyrones & Chirurgi monendi sunt, comparente sanguinis tali profluvio, ad enitendum fœminas temerè adigendas non esse, fœtu etiam maturo existente, sed expectandum tantisper, ne ejus fluxum, concitato spirituum motu magis promoveamus: neque etiam noviter nuptas isto comparente, non concepisse imprudentius dicere debere; novimus enim quibus reapse gravidis sanguis ex utero manavit, & quidem aliquibus ad medium usque gestationis tempus, meminitque similium Franciscus Mauricæus l. de arte obstetricand. Gallicè conscripto, atque è vaginalibus vasis ceu fonte illum derivat, quo utique sententia de menstruis ex eodem provenientibus, statâ periodo in non gravidis elapsâ, stabiliri potest, quam Viri longè Clariss. ratione atque autopsiâ freti tuentur, persuadetque uteri conformatio in virginibus, quâ omnes ejus parietes ita arctissimè connivent, seque contingunt, ut stylum orificium internum cum ipsis difficulter admittat, in iis verò quæ utero conceperunt, post partum ad eandem configurationem ferè redeat. Equidem in puerperæ aliquot post partum septimanis sectione, cruoris portionem idoneam in uteri cavo reperimus, ceu in Exercitat. nostr. monuimus, virginum verò vel fœminarum paucis

ante obitum diebus menſtruatarum cadavera hactenus non luſtravimus, & propterea quo decet honore proſequimur Excellentiſſ. Piſonis & Celeberrimi Bohnii autopſiam, quorum ille in puellâ, ipſo menſium tempore ſtrangulatâ, ſolum ſinum pudoris ſanguine menſtruo perfuſum tinctumque obſervavit, utero prorſus ſicco, talique quem ex puellarum ſectionibus modò deſcripſimus exiſtente: hic verò in diſſecto infanticidæ corpore, pudenda cum vaginâ uteri ſanguine menſtruo conſpurcata reperit, ipsâ uteri cavitate mundâ ac nitidâ.

Observ. LXXXV.

Venæ cruralis ſpontanea apertio.

Ruſtica quadrata triginta & quot excurrit annorum, plurium liberorum mater, cùm denuò concepiſſet, ſub ultimum circiter geſtationis menſem An. 1685. quotidiano labori vacans, in femore ſiniſtro, non procul ab inguine, è venâ crurali turgeſcente, ſed ſpontè apertâ, hæmorrhagiam inſignem patitur, cui ligaturis aliisque vulgaribus, album ov. cum aceto roſaceo applicatis, vicini occurrerunt: quatuordecim abhinc diebus, cùm pratis verrendis ſola incumberet, vulnuſculum nuperum enormiter recruduit, cui miſella aquâ frigidâ, quâ corpus tantiſper perluit, medelam quæſivit, poſtquam binis hiſce vicibus, ultra quatuor libras ſanguinis perdidiſſet: quartâ ſeptimanâ ægra mirum quantum intumeſcere cepit, inprimis collum verſus, quod inſtar aquæ limpidæ pellucebat, D. 2. Aug. cùm nos convenirent, actaque narrarent, ſiniſtrum eventum prædiximus, inprimis ſi dolores partus ipſam non corriperent, huncque ob finem miſturam convenientem præſcripſimus, quâ ex parte hauſtâ, eo ipſo manè infantulum feliciter enixa eſt: ſub veſper. cùm ipſam viſeremus cum D.D. Schorkopff, de partu gratulati fuimus, juxta verò ægram pallere deprehendimus, tumore colli quamvis remittente, & circa præcordia per intervalla opprimi: exhibitâ hinc unâ alterâve doſ. Diaph. Jov. cum mixtur. cordial. additis blandis volatilib. perreximus, commendatis juxta juſculis & prohibito vino: quibus cùm ipſa ſedulò obtemperaſſet, licèt paroxyſmi graviores quandoque intercurrerint, attamen Deo benedicente, priſtinam ſanitatem feliciter recuperavit.

Scholium.

Naturam per varia excretionis loca, nimij quo gravatur nonnunquam excretionem ſoiennem moliri, hæmorrhagiæ narium uterique

riqúe itemque hæmorrhoides teſtantur: quandoque alias ſibi vias quærit,& ex locis de quibus non cogitaremus,ſanguinem proſilire facit: utq; de profluvio ex trunco membri unius alteriusvè amputati per intervalla ſuccedente, aliisque nobiscum viſo verba jam non faciamus, illuſtria ſunt exempla, quorum ὁ πάνυ Wepferus tract. de loc. aff. in apoplexiâ p. 230. meminit: primũ conſtituit Matrona nobilis,cui è manus ſiniſtræ pollicis extremi parte externâ, macula atrorubeſcens exorta eſt, è cujus medio ſingulis annis ter quatervé ſanguis cum ſaltu, aliquot cubitorum altitudine, ſuâ ſponte erupit, & quidem non parvâ quantitate, vaſe conſuetâ portione emiſſa citra opem medicam coaleſcente: ſecundum verò famula, cui effœtæ, menſibus ſuppreſſis, poplitæa in pede dextro ſuâ ſponte aperta fuit, magnamque ſanguinis vim effudit. Nobis quoque haud ita pridem ſimile quid videre licuit in Viro ultra quinquagenario, qui cùm ob vertiginem, quâ per intervalla corripiebatur aliquot diebus domi ſe noſtro conſilio contineret,in maxillæ dextræ parte ſuperiore aures verſus, ejusmodi maculam, ſive mavis apiculam rubeſcentem percepit, è quâ poſtridie ſponte aperta, ſanguinis ʒ. aliquot ſaltu proruperunt, oſculo ſe ſponte claudente, & paucis diebus pòſt redeunte maculâ, cruorem pari modo profundente, perſuaſumque habuit, cum ſui emolumento iſtud accidiſſe, ſecuit hinc noſtro juſſu venam, ſtatimque convaluit: in gravidâ præſente, non ex arteriarum oſculis apertis, ſed venâ crurali ſanguis copiosè effluxit, videturque quantũ ruminando quidem aſſequimur,ſanguinem in trunco iſthoc uberrimè collectum & fortè craſſiorem, tunicam vaſis adeò laxaſſe, fibrasque diſtendiſſe, ut illa quidem aliquantiſper lacerata, hæ verò graviter à tono ſuo dejectæ fuerint, unde ſanguis factâ rimulâ copiosè manavit, fibris valvulisque ab ejus copiâ labefactatis, obicem uſque non ponentibus, quô acceſsit à fœtus pondere vaſorum ilíacorum, hincque rami hujus ceu proximæ ſobolis compreſſio, à quâ utique ſanguis cumulatus fuit, libero refluxu impedito, ſimulque ceu ligatura injecta fuiſſet, uberiùs effluxit, inde quamvis ex medicamenti vulgaris applicatione ligaturisvé oſculum obturatum fuerit, fluxusque tantiſper ſubſtiterit, paulo tamen pòſt rediit, muſculorum artuumque inferiorum motu, ab operâ quotidiana cui vacavit haud dubiè ſuum hinc contribuente, neque manus dedit prius, quàm inſigni vacuata copiâ vaſa hæc usque fuerint depleta: Ejusmodi autem jacturam ipſam peſſimè tuliſſe, intumeſcentia collum versùs præprimis, abſcedentibus & ſubſiſtentibus particulis ſeroſis ilicò invadens comprobavit, partium balſamicarum magno numero cum cruore deperditarum certiſſimum indicium, unde etiam infracta totius M. H. craſi, quam ſuperſtites conſervare tenacius non poterant ſubſidiariis hisce deſtitutæ, motus ejusdem imminui,

particulæ aliquæ ſubſiſtere & coagulari, gravesque circa præcordia oppreſſiones & anxietates accedere ceperunt; quibus tamen etiam poſt partum redeuntibus, medicamentorum volatilium balſamicorumque ope, pro viribus occurrimus, Ægramque benedicente Deo reſtituimus.

OBSERV. LXXXVI.

Infauſta aneuriſmatis curatio.

Infelicibus auſpiciis aneuriſmatis curam ſuſtinere cupiit juvenis triginta & quot excurrit annorum, cui in ſiniſtrâ colli parte arteriæ carotidis tunica ex gladii ictu rupta fuit tantiſper: diu hic in Noſodochio la Charité dicto, ob vulnera, quæ abdomini etiam profundiùs inflicta fuerunt, decumbebat, antequam malum illud innotuit, primùm à Dn. Morello, ægrum fortè fortunâ viſitante conſpectum: Coacto Chirurgorum conſilio anceps tandem operatio decreta fuit: locus hinc arteriæ vulneratæ notatus, ejusque inferiore parte arctiſsimè compreſsâ, facta lancettâ inciſio, grumique ſanguinis exempti fuerunt; inde ſanguini arteriâ aliquantum denudatâ cum impetu proſilienti, nodulis vitriolo coopertis, & aquâ ſtypticâ madidis proſpectum, ſuperimpoſitis plumaceolis compluribus, eâdem aquâ irroratis: aſt cùm ad ligaturas deveniretur, quæ laxiores inefficaces fuiſſent, æger inter Chirurgorum manus expiravit.

SCHOLIUM.

Felicem aneuriſmatis exitum pauci viderunt, adeò ægrè ferunt arteriæ habenas ſibi injici: Ubi diſciſſa ferè vel rupta prorſus eſt arteria exitialem eventum mirari non oportet, cùm quòd ex copiosâ ſanguinis effuſione ſpiritus viresque ilico deperduntur, ac putreſcentia vel gangrænoſis partibus facilè inducitur, tum quòd nec ligaturis nec cauterio omnimoda oſculorum diſruptorum conſolidatio commodùm impetrari poteſt, quin decidente eſcharâ in arteriis majoribus læſis, novum ſanguinis profluvium confeſtim excitatur, id quod Ann. 1682. in ruſtico vegeto ac robuſto, ex infelici V. S. (quâ arteriam brachiæam imperitus Miniſter per medium diſciderat, ut quod autopſia poſt mortem ſubitaneam docuit, nonniſi de tenui filamento fibrillæ ſuperſtites amplius penderent) contigiſſe vidimus: Arcta alias ligatura miraculi inſtar hiantem pulſantemque arteriam ſubinde conſtringit, quod ipſum etiam

etiam fausto eventu feciſſe novimus, arteriæ compreſſionem digitis factam & per biduum ſtrenuè continuatam in brachio dextro militis 36. annorum, qui inter ferocientis Bacchi ſtrepitus, à Commilitone gladio graviter vulneratus fuit: Arteriolarum capillarium oſcula diſciſſa, cùm partium profundius ſitarum abſceſſus aperirentur, ſolius Vitrioli particulis applicatis conſtricta fuiſſe, Pariſiis itidem ſæpè numero vidimus: in majorum verò ramorum læſione, illas ſolas unicè non ſufficere experientia viciſſim docuit: Auſpicatiſſimum tamen ſucceſſum expertus eſt filiolus ſeptennis, qui ex baculo ad ſiniſtram capitis partem, quâ carotidum tranſitus eſt percuſſus, aneuriſma periculoſum incurrit, cujus hiſtoriam Illuſtr. Academ. noſtr. Præſes Fehrius Celeb. Th. Bartholino exhibuit, ceu videre eſt Epiſt. Med. Cent. 3.

Observ. LXXXVII,

Hydrops ovarii muliebris &c.

Ruſtica quadraginta & quot excurrit annorum, paupercula & ponderoſo oneri ferendo aſſueta, ante triennium circiter dolorem perſentiſcere cepit, ponè articulationem femoris ſiniſtri cum Iſchio, gravidamq; juxta ſe eſſe arbitrata fuit: deficientibus menſtruis dolores hi increbuerunt, cum femoris pedisque ſiniſtri atrophiâ: Ab iſto tempore difficulter incedere potuit, & nonniſi baculo ſuffulta, quin imo, cùm ob pauperiem mali rationem ſegnius haberet, dorſo amplius incumbere nequiit: An. 1683. cùm à Paſtore loci rogaremur, ut miſellam hanc inviſeremus, vidimus pedem ſiniſtrum citra ſenſum ferè motumvé graviter intumuiſſe, manentibus undique digitorum veſtigiis, ægrâque de dolore enormi circiter lumborum vertebras & oſsis innominati regionem, eoque lancinante conquerente, quibus acceſsit urinandi difficultas, ut non abſque dolore mingeret. Varia tum quà externè ad lymphæ viſcidæ lancinantis ſolutionem, quà internè ad ejusdem ſerique ſubſiſtentis attenuationem & vacuationem præſcripta remedia, ſed absque feliciore ſucceſſu: tandem ad ſcarificationem in pede imò devenimus, quâ multa aquarum copia educta fuit, pesque totus detumuit: diu tamen hoc in ſtatu non perſtitit, quin factâ novâ ſtagnatione, ex ſeri cum ſanguine accedētis extravaſatione, lymphæq; in ſuis vaſis ſubſiſtētiâ, imane quantum intumeſceret, cui ſcarificatione profundiore non ſaltem hic ſed parte etiam ſuperiore iteratâ occurrimus, aquę-

que copioſiſsimè iterum eductæ, non neglectis interim mediis internis & externis: Fonticulus quoque pedi dicto inuſtus, ceu ex quo aquæ continuo manare poſsint: Ann. 1684. intra muſculos femoris vaſtos, tumor conſpiciebatur digitis cedens, & folliculo quaſi incluſus, è quo inciſo manu Chirurgi materia primùm viridis acerrima, inde piſcium ovis ſimilis, tandem ichoroſa fœtens profluxit: ſpecillo immiſſo ad inguen uſque pervenit Chirurgus, ut de ſinu profundiore in cavum abdominis pergente non dubitaverimus: interea injectionibus certatum ex vulnerar. balſam. detergentib. ac putredini reſiſtentibus: Parte inferiore, femori magis adversâ, tumor alius deinceps prodiit inſignis, ut priore tantiſper relicto, ad hujus apertionem neceſſariò progrediendum fuerit, qui apertus ichorem acerrimum fudit, ſimulque ſinum oſtendit, pone os Iſchium verſus ſacrum & lumborum vertebras pergentem, cui itidem convenientibus obviam ivimus, quibus tamen nihil magnopere effecimus, quin in deterius labente corpuſculo, viribus exhauſtis placidè expiraret d. 7. Jun. 1684.

Hiſtoria Anatomica.

Cadaver luſtravimus poſtridie præſentibus Vir, Nobiliſſ. D.D. Schorkopf. Hildeſ. D. D. Näbelio Heidelb. & D. Cand. Kartſchero Brig. Sileſ. Chirurgisque aliquot è viciniâ: Antequam abdomen incideremus, in hypogaſtrio tumorem renitentem animadvertimus, ad cujus examen ilico perrectum, ſeparatis undique integumentis & peritonæo reſciſſo: Tum verò in pelvi ovum prominuit, aquâ limpidiſſimâ ſubſalsâ, parum fœtente ad ℥xviij. prorſus diſtentum, quod totam illam regionem opplebat, vaſis elegantibus donatum, à quo aliquantum remoto uterus inferius pendebat, denſus craſſusque, & ad latus dextrum ovarium marcidum, ſuperius autem abſcondita prodiit veſica urinæ receptaculum: Inde cùm ovum iſtud accuratius perveſtigaremus, vidimus ſecundum ipſius medium expandi oviductum cum extremitate ſuâ foliaceâ, nullo alio ovarii comparente veſtigio, ceu curioſis etiamnum demonſtrare poſſumus: Epiploon penè conſumptum erat: Hepar & lien ſemiputrida: Meſenterii glandulæ duriuſculæ fuerunt, & pancreatis facilè atteri poterant: Renes flaccidi & in ſiniſtro conſpicuæ protuberantiæ aliquot, cujusmodi glanduloſæ in inteſtinis quandoque obſervari ſolent, quæ cultello inciſæ, glandulas corticales cum fibræ ductibus egregiè

giè oſtenderunt: Thorax apertus pulmones non quidem adnatos ſed putridos exhibuit, punctulis nigricantibus innumerè maculatos: Pericardii liquor modicus, ſed cor quoad externam ſuperficiem quaſi eroſum, in cujus auriculâ & ventriculo dextris ſanguis grumoſus cum polypis multus hæſit: Interna verò ſubſtantia tota corrupta fuit & flaccida: Os ilium parte anteriore perforatum fuit & nigricabat, effluente ichore, à quo ſtylus argenteus in abdominis cavum immiſſus mox arroſus fuit, quod à ſanie à lumborum vertebris & oſſe innominato verſus inferiorem femoris partem ſecundum muſculorum ductum diminante, pariter evenit.

SCHOLIUM.

De atrophiâ quædam propalandi nobis heic occaſio ſubnaſcitur, quam in univerſalem maraſmum dictam & particularem Practici diſtinguunt, hancque ipsâ rariorem uno ferè ore pronuntiant, cujusmodi exemplum illuſtre, aliquando prolixius ſiſtemus, atrophiæ viz. oſſis coccygis, ex violentâ Venere contractæ, factâ profuſione & jacturâ ſpirituum animalium, ſimulque accedente nervulorum compreſſione in fiſtulâ oſſis ſacri, à lymphâ extravaſatâ & in mucum concretâ, quam fortè ſuccum nervoſum alii interpretabuntur, de quo autem fuſius heic dicere non conſtituimus; ſufficit atrophiam ut plurimum morbum vel organicum agnoſcere, nervorum compreſſionem, aut etiam coanguſtationem vel obſtructionem, vel intemperei, M. H. nempe talem vitiationem, quâ particulis ad nutriendum aptis illa deſtituitur, ſive jam victus vitio illæ ſuppeditari nequeant, ſive partium chylificationi ejusdemque diſtributioni deſtinatarum labe non accedant: ferè autem ſpiritus animalis in cauſa eſſe ſolet variè deficiens: enim verò cùm alimentarium particularum ſeeretionem, tum earundem agglutinationem ſuâ præſentiâ egregiè promovet elatere ſuo, vel tubulorum in partibus nutriendis tonum conſervando ac fovendo, imò ipſiſsimas Maſſæ particulas in blandâ dulcedine ſuſtentando, quâ diſpereunte ſibi relictæ acriores fiunt, fibrillasque nerveas vellicando atrociſsimo dolori, qui in atrophiâ perſentiſcitur, occaſionem dant: Quod nervos obſtruit, vel comprimit ſerum eſt vel lympha, aut etiam ſanguinis grumeſcentis portio, perreptant ſiquidem minutæ arteriolæ vertebralium propagines ſpinalem medullam, è quarum oſcillis, caſu potiſsimum vel ab aliâ causâ externâ vehementiore ſanguis quandoque excutitur, ibidemque ſubſiſtendo grumeſcit, ceu ſuperius in artuum inferiorum διαθηκία innuere cepimus, lympham verò lenteſcentem ſive in vaſis, compreſsione ipſius motu impedito, ſive extra vaſa, uno alterove ipſorum

rupto,

rupto, nobis perſuadet autopſia, quâ in fœtibus vitulinis abortivis in fine ſpinalis medullæ interdum veſiculam lymphâ plenam invenimus, obſervavitque idem in fœtibus ovillis Excellentiſſ. Wepferus: ſæpè numero autem nervi coanguſtari videntur, inprimis in iis qui incurvati incedunt, ponderoſæque moli ferendæ aſſuetæ ſunt, & interdum diſtorqueri, ſicque ſpirituum influxui via præcludi: Id heic decidendum videtur, quî ſpiritus animalis abſentia ex compreſsione nervi hic accuſari poſsit, cùm tamen ſenſu omni pars non careat, id quod etiam in paralyſi notamus, in quâ pars quidem motu ſed non ſenſu deſtituitur: ſunt qui hoc expediunt diſtinctione inter nervos ſenſorios & motorios, illos in paralyſi ſalvos volunt, hos non item. Nobis diſtinctione hâc non rejectâ, cum multò major copia ſpirituum requiratur pro motu, quàm verò pro ſenſu in animâ ciendo, videtur ſive unicâ fibrillâ nerveâ ſuperſtite rationem facilè dari poſſe, cur ſenſu pars adhuc gaudeat, cùm è contrà nec una nec duæ pro motu conſervando ſufficiant, id eſt, quod fibrillæ in membranas tenuiſsimas abeuntes, uſque ſalvæ ſuperſint, principio etiam à quo ortæ ſunt, gravius non læſo: Quicquid ſit in Ruſticâ noſtrâ & coanguſtari è lumborum vertebris, vicinisque oſsibus ad muſculos cùm his tum femori pedique incumbentes tranſeuntes nervi potuerunt, & comprimi à coagulatâ & ſubſiſtente lympha, quod malum haud dubiè cauſa externa, gravis viz. ponderis ſub quo incurvata inceſsit geſtatio frequens produxit, acceſsit dehinc mala victus ratio, ob quam ſanguis torpidior viſcidiorque generatus, menſtrua ſubſiſtere fecit, ſenſimque reliquorum ſymptomatum proventum adjuvit, nempe ab hærente lymphâ acredine ſua vellicante, dolores circa iſchium & in lumbis primi pullularunt, maloque ſenſim radicato, deficiente ſpirituum influxu, partes vicinæ, femur præprimis cum pede nutrimento defraudari ceperunt: acceſsit motus impotentia, unde ſanguinis lymphæque circulus magis ſufflaminatus fuit, ſerumque à cruore uſque non volatili & balſamico abſcedere & unà cum illa ſubſiſtendo, tam gravem intumeſcentiam parere cepit, particulis ejusdem aculeatis, (de quarum corroſivo genio maculæ in pulmonibus, cordisque ſuperficies in hiſtor. deſcriptæ teſtimonium perhibent) cùm ſubinde membranas fibrasque vellicarent, dolorem non exiguum inferentibus: acceſsit primum obnervorum confinitatem, dolore circa lumbos urgente, mingendi difficultas quâ cum dolore lotium excrevit: Medicamentis variis malo ſuccurrere anniſi ſumus, ſed in caſſum, quod cùm lympha incor-rigibilem lentorem tum nervi graviorem labem contraxerant: & quamvis ſcarificatione aquæ copioſiſsimè eductæ ſint, primariâ tamen causâ non ablatâ, diluvium idem ilico incruduit, imò femur ipſum petiit, collectis particulis ſeri etiam in abdomine acerrimis virideſcentibus:

tibus, ossaque ipsa erodentibus, de cujus aciditate summâ stylus argenteus immissus ilicoque arrosus testari potest, particulis ramosis ac ad motum minus aptis, invicem cohærentibus, sibique ita complicitis ovula illa piscium, particulis magis ramosis ad latera protrusis constituentibus, è cujusmodi etiam particularum similium congerie materiam lacti coagulato similem profluxisse vidimus: scilicet è poris arteriarum distortis ac ampliatis, quandoq; etiam exesis, cruor serosus aliisq; particulis variis prægnans profluit, quæ deinceps sive folliculo includuntur, particulis dictis ad latera secedentibus, ibidemq; invicem conglobatis reliquas involventibus, aut liberè stagnat inter musculorum interstitia, reliquâ sui parte per venas utcunque remeante. De hydrope ovarii muliebris, quem primum in hac fœminâ contuiti sumus, Clariss. D. D. Schorkopf, in Dissertat. Inaugural. hac ipsâ occasione eruditè scripsit, eandemque exemplis à Celeberrimo Wepfero communicatis illustravit, ut necesse non sit pluribus super istum commentari: Confirmavit nobis ille ovarii structuram à Malpighio, Graëfio, Vir Celeberr. aliisque studiosè sub cultrum vocatam & detectam, quam in animantibus Brutis sæpiusculè rimati fuimus: Elegantes sanè sunt vasorum plexus, qui ovarium undique investiunt, & notatu digniſſima vasculorum minimorum expansio, quibus ipsa ovula, perreptari deprehendimus, unà cum fibrillarum, seu mavis, tubulorum subtiliſſimorum serie, quorum ope ex iis materia congrua, pro ovi maturatione jugiter secernitur, quibusvè vel obstructis aut compressis aliterque læsis, ut viam liquori secernendo negent, sterilitas subsequitur, ruptis verò laceratisvé à seri extravasantis vel lymphæ stagnantis, aut è vasculis suis ruptis, exundantis copiâ, hydropi dicto via sternitur, de quo *ille* prolixius: Id modò heic addimus vasorum copiam atque implicationem, quâ in ovario quâ oviductu & tuba conspicuam, unà cum aquarum undis considerantibus ac perpendentibus, verisimile fieri, serum ex vasorum sanguiferorum osculis copiosè abscedens & collectum pari frequentia affectum hunc producere, ac lympham è suis canaliculis extillantem.

Observ. LXXXVIII.

Historia Anatomica memorabilis.

Communicata ab Excell. Sponio.

Die 20. Martii, anni 1681. horâ primâ pomerid. denata est Lugd. Gallor. honestissima matrona, Mauricii Avinan

Sartoris Vxor, annos nata LX. quæ valetudine ſatis commodâ uſa fuerat ad annum uſque ætatis unde quinquageſimum, quo toto temporis tractu ſedecim omnino liberorum, totidem diverſis puerperiis mater evaſit, quanquam ex iſto fœtuum numero duo fuerint abortivi: poſtremum tamen puerperium laudabile admodum fuit. Anno itaque unde quinquageſimo ætatis, tertio aut quarto menſe poſtquàm καταμηνία periodica κατὰ λόγον exulaſſent, tumor quidam internus puſillus cepit in regione hypogaſtricâ ſuboriri, qui paulatim ad extremum uſque vitæ diem ultra modum increſcens, omnes rei conſcios varia in ratiocinia meritò pertraxit, etiamſi ipſarum nullus verum ſcopum viſus ſit attigiſſe, ſuíſve conjecturis aſſequi potuerit tam prodigialem Naturæ molitionem. Tumor porrò iſte ſenſim augeſcens, intoleratilis demum evaſit, tam ratione molis quàm ponderis inſolentis, adeò ut etſi non priùs lectulo planè affixa fuerit muliercula, quàm per tres ante mortem ſeptimanas, ædibus tamen pedem efferre aut in publicum prodire, toto ferè poſtremi quem vixit anni ſpatio nequiverit, donec Parca tandem ægrotanti finem ærumnarum fecit, eo ipſo quod ſtatim ab initio indicavimus tempore. Tunc itaque Chirurgus familiaris de Cadaveris apertione conſilium cepit, ut cauſæ morbificæ morbiſque natura palàm oculis uſurpari poſſet. Cadaver ergo menſæ impoſitum, ſpectaculum adſtantibus exhibuit planè portentoſum, propter miram ac enormem totius ventris inferioris ſtruicem ac elationem, quam filo dimetiri primò viſum fuit, antequàm cultro tentaretur aperitio, dimenſionum quibus conſtabat explorandarum gratiâ. Quare producto à cartilagine xiphoide ad os uſque pubis ſupra umbilici regionem filo, eodemque ſimiliter à tranſverſis apophyſibus ſpondylorum lumbarium unius lateris uſque ad apophyſes tranſverſas prædictor. ſpondyl. alterius lateris, itidem ſuprà umbilici regionem protracto, eandem menſuram dari innotuit, puta quinque pedum utrobique: unde Geometra peritus non difficulter capacitatis ſubditæ amplitudinem collegerit. Ut autem partium interiorum κατάστασις liquidò pateſceret, oportuiſſet cautiùs procedere, quàm factum eſt à præcipiti chirurgo, qui citra ullam προδιηγησιν derepente ſcalpellum in partem inferiorem hypo-

hypochondrii dextri altè impegit: quâ pertusione factâ extemplò incredibili quodam impetu liquor inde prorumpere cepit, nullo penitus fœtore præditus, colore subcruento, qualis ferè esse solet vini vappescentis,& quidem tantâ copiâ, ut sex urceos ad minus repleverit universos: quæ quantitas collectim sumta ad libras præterpropter centum & quadraginta adscenderet, habitâ consistentiæ materiei ratione, quæ tum lotio, tum sero hydropum ascitarum aliquanto spissior erat. Hoc pacto ubi detumuisset venter inferior, mox apertio ipsius instituta fuit à Medico præsente, nimirum ab cartilagine xiphoide ad os pubis tendendo, nec non altera sectio transversalis etiam adhibita. Quo facto, atque ipsâ cavitate sic abundè reseratâ, nihil protinus in conspectum se exhibuit quàm membrana validissima utriformis, quæ visceribus universis in abdomine sitis superstrata, ipsa obumbrabat, & quæ hinc inde ipsis adhærescebat, videl. ad cartilaginem xiphoiden, costas spurias, epiploon, ventriculum, ac peritoneum ferè totum, parte saltem superiore, unde fibræ innumeræ huic membranæ suppeditabantur, quæ fibræ totidem erant minuta vascula succi nutritii vectricia, unde robustior, durior & spissior reddebatur quàm peritonæum vel etiam duplicatum. Nec difficile admodum fuit, membranam istam utriformem ab omnibus vicinis partibus sine ulla laceratione liberare: præterquàm à Tuba uteri sinistra, cum qua continuitatem habere manifestè constitit; adde quòd specillo subtilissimo ductum satis evidentem deprehendere licuit, ab ista imi sacci cavitate in ipsum usque uteri corpus pervium, qui ipse uterus solito crassior erat, ac nonnihil scirrhosus: unde conjectari fas est, κύστιν adeò vastam nil aliud fuisse, quàm Tubæ illius sinistræ dilatationem, cujus Tubæ extremitas fimbriata testiculum vel si mavis, ovarium sinistrum amplexans ac obvelans, initio quidem hydatidum quarundam iis in partibus non infrequentium κυστιώσιας excepit, quas ipsas hydatidas nihil aliud esse quàm vasorum lymphaticorum dilatationes, credibile est. Observandum autem heic venit, I. Tumorem hunc pedetentim, sine sensu doloris, ac citra omnem inflammationem pullulasse ac incrementa sortitum esse. II. Quùm auctior evaderet tumor, ægram suæ

Evexiæ partem demum amiſiſſe, neque tamen vel crurum vel femorum ullo turgore affectam fuiſſe, qualis in hyderis ſubnaſcentibus aliàs notari ſolet. III. Quòd ſtatim à prima mali geneſi ſerum quoddam per aſsiduam quaſi exudationem (nequaquam verò per fluxum periodicum) ἐκ τ γυναικείων exſtillarit, & quidem ſerum ejusdem planè coloris, ac in cavitate illa longè ampliſsima ſtagnabundum. IV. Quòd nullo pravo odore prædita erat materia illa ſtagnans. Teſticulus porrò ſiniſter, ſive ovarium, mole ſuâ æquabat majuſculum gallinæ ovum, in quo hydatides numeroſæ, ſatis inſignes probè diſtinctæ apparebant, in unum veluti globum coactæ, ſed variâ materiâ refertæ, aliæ quidem liquore lymphatico limpido & glutinoſo, aliæ magis concocto & albidiore. Teſticulus verò totus Tubæ uterinæ tunicâ veſtiebatur, quæ ipſum ſuperiùs planè amiciebat, & continebat, imò etiam per ſemipedis ſpatium altiùs quàm ſitus ipſius naturalis poſtulabat. Dextra uteri tuba, ut & teſticulus ejusdem lateris naturali planè modo viſebantur conſtituta Sacco illo ingente undique remoto, partes omnes abdominis comparuerunt ſatis bene conſtitutæ, ſed ſurſum à prædicto utre propulſæ. Pancreas tamen perfectè ſcirrhoſum erat. In exteriori abdominis regione obſervatum quoque hypogaſtrii dextri partem versùs os pubis inguen item dextrum, & pudendi totius dextram partem, gangrænoſi affectas eſſe. Crus quoque dextrum, poſtquàm per viij. aut x. dies ante mortem quaſi ἐφθὸν intumuiſſet, gangrænâ correptum fuerat per quinque duntaxat aut ſex ante obitum horulas. Quæ partium dextrarum gangrænoſis non aliunde profecta fuiſſe videtur, quàm à pondere immani prædicti utris tantopere infarti, quod partes dextras fortè magis comprimens, quàm ſiniſtras, liberum nectaris vivifici appulſum ad partes illas intercipiebat, ut proinde præ hujus ipſius defectu corruptionem ſentire coactæ fuerint. Aperto thorace, pulmones toti nigri, propter prægreſſam phlogoſin, animadverſi fuere, quin & ad latus ſiniſtrum pleuræ pertinaciter agglutinati & adhærentes erant, ut ſine laceratione inde avelli minimè potuerint. Nec mirum, cùm Diaphragma ab utris ſupra memorati inuſitatâ magnitudine ac fœturâ tam violenter ſurſum versùs protruderetur, ut præ anguſtiâ thoraci conciliatâ, liberatis perquàm

parum

parum motui pulmonum relinqueretur. Cor, aliæque partes circumvicinæ nullâ ἀξιολόγῳ noxæ vestigia præferebant.

S. P. D.

Vir Excellentiss. ac Amiciss. Dom. Doctor HARDERE,

De summa tua Philomusia valdè te amo, quam ex postremis tuis a. d. Nonar. currentis mensis, S. N. probè acceptis, abundè perspicere licuit. Quandoquidem ergo Historiam Anatomicam superioribus meis ὡς ἐν τύπῳ tibi communicatam pleniùs cognoscendi cupidine te incendi innuisti, totam ipsam ab Amantiss. Collega nostro Dom. de Ville, Anatomico non incelebri, Gallicè perscribi curavi, quam Latino idiomate heic exaratam Tibi denuò libens impertio. Quanquam autem ingens illa materiæ in utre prægrandi repertæ fœtura te quodammodo terrere, aut suspecta esse possit cave tamen dubites, quin res verè sic habuerit, nihil enim heic ὑπερβολικώτερον in medium prolatum fuisse, quotquot τῶν φιλοθεαμόνων dissectioni isti interfuerunt, unâ voce seriò nobis affirmarunt. Quapropter quæ præcedente epistola à me super hac historia dicta fuerunt, meliora nunc monitus, candidè retracto, planeque indicta volo. Habeo præterea aliam quoque Historiam Anatomicam penes me, adhuc mirabiliorem, de duplici utre, ex utraque Tubarum uterinarum prognato, ac per dissectionem reperto, in cadavere uxoris Dom. Jo. Claudii Marcellini, unius ex meis quondam Collegis, cujus quidem si talibus delectari te sensero, participem quoque te facere nullatenus tergiversabor. De observatis nuper in Gallinæ dissectione, magnam habeo gratiam. Vale, Vir Eximie. Datum Lugduni die 3. 13. April. 1681.

Tuus ὁλοκλήρως,

CAR. SPONIUS, D. M.

Observ. LXXXIX.

Dystocia ex integumentis cranium fœtus involventibus, sanguine extravasato anteriùs refertis &c.

Suavis est rustica vita, suique commendationem ab Eruditis abunde retulit, utpote tranquilla, tuta & à tot invidiæ & æmulationum procellis librea:

Libera simplicibus curis, suâ contenta requie
Et quam non vario traxit fortuna tumultu.

Quin concludere liceat cum Claudiano:

Erret & extremos alia ſcrutetur Iberos
Plus habet hæc vitæ, plus habet illa viæ.

Eſt tamen & ſuis obnoxia incommodis, quæ ejus amatores, eo æquiori ferunt animo, quo voluptates tranſitorias minus curant, vel ignorant, ſuâ potiſsimùm manu ἀναγκάζεσ ἀγωνίζεσ περὶ τ βίȣ καθ' ἑκάστην τὴν ἡμέραν, de quotidiano victu parando, ſollicitari eſſe edocti: optimè hinc monuit vetus ille

Ἐν τοῖς πολεμίοις ὑπερέχειν τὸν ἄνδρα δεῖ
Τὸ γὰρ γεωργεῖν ἔργον ἐστὶ οἰκέτȣ.
Πῶς ἔχεις, ὡς ἴσχανο· εἰ κάπόλλυμαι
Τρέφω γὰρ ἐν ἀγρῷ χωλόν.

In bellis præſtare aliis laus magna Virorum,
Servilis multum ruſtica vita ſed eſt.
Anne vales? macilentus ades? mens diſperit heu
Quotidie Domini prædia namq; colo.

Veritatem horum ex aliqua parte experta eſt fœmina ruſtica; 8. annorum, quæ cùm per biennium marito uſa eſſet, læta tandem concepit, & propediem enixura erat: Paucis ante terminum ſeptimanis, ἔ βέλτιον ζῆν ἕνεκα, hæc ipſa, Maritum qui Vulcani filius erat in opere audacter adjutura, ſeu uti Apoll. Rhodius loqui amat l. 4. Argonaut.

- - - αὖτὰρ ἔπειτα
Ἐλθεῖν εἰς ἀκτὰς, ὅθι τ' ἄκμονες ἠφαίστοιο
Χάλκειοι σιβαρῆσιν ἀερσήσονται τυπίδεσσιν.
- - - *rurſus aditura*
Littora, ubi reſonant percuſſæ pondere vaſto
Vulcani incudes, fumiq; exæſtuat unda.

Hypogaſtrium maximopere protuberans, incautè malleo feriit, atque iſtud, quod minus periculi portendere credebat, omnibus reticuit, & quidem d. 5. Maji 1681. exacto geſtationis tempore, dolores partus ingruere ceperunt, aquæ d. 6. ſub veſp. profluxerunt, & mater omni vi eniti conabatur, aſt irrito planè ſucceſſu, licèt medicamenta ab obſtetricibus ad hæc munia deſtinatis, varia fuerint propinata: D. 8. ſub veſp. vocamur, & hactenus actorum ſeriem poſtulamus, quam adſtantes fideliter enarrarunt, inpri-

inprimis tum de enitendi necessitate deficiente, orificiique uterini exactissimâ constrictione conquestæ: Nos qui fœtum jam à multis horis emortuum suspicabamur, cùm ex diutina, quæ præcesserat mora, tum ex dolorum omnimodâ cessatione &c. matri viribus adhuc pollenti mixtur. ex aq. puleg. ment. borac. Venet. croc. essent. succin. cum syrup. de artemis. suasimus, injecto juxta clysmate stimulante, hinc ad enitendum matrem incitavimus & manuum operâ extrinsecâ, quantum licuit juvimus, propinando subinde cochl. aq. cardiac. Sed incassum fuit hæc nostra opera, nullis subsecuturi partus, quamvis suis cum adstantibus partibus strenuè mater fungeretur apparentibus vestigiis, quin ingeminaret obstetrix sæpius, se ne gry quidem de fœtu percipere, in quo tamen hallucinata fuit graviter, & fortè aliæ cum ipsa, artis obstetricandi minus peritæ: Rogati proin ab adstantibus, præprimis Reverend. illius loci D. Pastore, ut matri admodum periclitanti succurreremus, manum operi applicuimus, quâ potuimus industria & dexteritate: mox autem uteri orificium adapertum deprehendimus, fœtumque capite exitum quodammodo molitum esse deprehendimus. Quod verò obstetricem dceepit, fuerunt cranii integumenta, ob sanguinem extravasatum, instar vesicæ aquâ refertæ propendentia, unde leviori attactu, non corpus aliquod duriusculum, quale fœtus caput est, sed molleculum misella percepit: quum itaque digitis orificium uteri circumspectè dilatari, atque de fœtus situ & statu evidentiora indicia capessere studeremus, prædiximus facile, omnes ad quos matrem fatigatam, adhucdum instigare volebant conatus si impenderentur, incassum fore, corpore illo propendente vias ita præcludente, ut quoties eniti misera volebat, hoc orificium uteri totum unicè replerit: ægram inde debitè collocatam quietè decumbere, subindeque jusculà confort. cum aq. card. exhibere jussimus: Accepto interim forfice corpus præfatum incidimus, sanguiniique viam aperuimus, qui etiam copiosè omnium cum stupore prorupit: hinc cum à dehiscentibus cranii ossibus dolorosè sæpiùs mater læderetur, eadem cum cerebro (factâ prius decenti incisione) maximâ ex parte liberavimus & exemimus, digitisque sub ale jugali immissis, fœtum prægrandem

citra

citra graviorem parturientis moleſtiam, integrum ℔. ℈. extraximus: placentam quin etiam, quæ paulò adnata erat, funiculo umbilicali reſecto, digitorum ope abſcedere fecimus. Puerperæ lecto reſtitutæ roborantibus, aliisque quæ genitalia concernunt, medicamentis proſpeximus, imperatâ diætâ exactiſsimâ. Altero mane bene habuit utcunque, lochiis fluentibus, nec multo circa partes uterinas dolore vexante: Pulſus tamen concitatior & frequentior, ob cauſas prægreſſas ſatis evidentes, & ſitis quæ ingraveſcere cepit, ſui rationem aliquam haberi voluerunt, unde uſum commendavimus mixt. bland. diaphor. & cordial. D. 11. cum lochiis non ritè fluentibus, febris aliquomodo ingraveſceret & hypogaſtrium intumeſceret, teneſmi verò vel urinandi difficultatis aut ardoris, vel etiam fœtoris nulla adeſſent indicia, ad fluidi attemperationem, ſordium eluitionem & humorum acrimoniam in viis uterinis demulcendam Emulſion. cum injection. uterinis commendavimus, addito decoct. ordin. lapide prunell. D. 18. ejusd. cum ipſam accederemus bene habuit, venter detumuit, appetitus vigebat, neque ſitis urgebat amplius: προφυλάξεως ergo juſsimus iisdem inſiſtere, addendo pulv. ex diaph. Iovial. oc. canc. ebor. corall. parat. Atque his ritè ita uſurpatis Deo annuente priſtinam ſanitatem recuperavit, inque hunc uſq; diem vegeta, aurâ hâc vitali fruitur, aute annum & quod excurrit, filiolo feliciter beata.

Observ. XC.

Fœtus ſemiputridi ſecundinis 9. diebus ante excretis, ex utero extractio.

Fœmina 40. A. ex ditione Solodur. aliquot liberorum mater, A. 1683. poſt quam menſes ordinarios feliciter emenſa eſſet, doloribus partus, d. 18. Jul. obruitur, aquæ erumpunt cum ſonitu, & poſtridie ſecundinæ ſequuntur, citra autem fœtus, quem anxiè præſtolabantur, egreſſuri ulla indicia: Variarum muliercularum medicamenta experiuntur, ſed non advotum: d. 20. fœtus emori incipit, quod mater ex pondere, & omni calcitratione deficiente cognovit. Miſeri adſtantes quid facto opus ignorant: Partam

tum ſingulis quidem diebus avidi expectant, ſed in nonum uſque diem, (qui erat 28. Iulii) voto ſuo fruſtrantur: Accedit hinc ad nos maritus, conſilium poſtulat & operam: Redarguimus moram intempeſtivam, & periculum à putredine matri imminens ſignificavimus, præſcriptis nihilominus convenientibus remediis uterinis & cordialibus: Aliquot horis pòſt parturientem cum Clariſſ. D. Doct. Scherbio Epiſcopicell. inviſimus, remque omnem, uti Maritus enarravit, deprehendimus: hypogaſtrium ſupra modum erat diſtentum, ſitis vehemens, pulſus paulo frequentior, nec dolores enitendi ampliùs invadebant: Dum nobiſcum mater ſe accingit excluſioni, fœtor inſignis nares ferit ilicò, putredinis in inferioribus uti evidens πυμήεον, ita operationis accelerandæ calcar: Poſtquam orificii interni, quod ferè occluſum erat penitus, aperturam ac dilatationem digitis blandè impetravimus, fæces fluidæ olentiſsimæ proruperunt, quibus cùm viam dediſſemus, fœtus in internis uteri latebris etiamnum hærentis ſitum commodiùs exploravimus: obtulit ſe hinc capitis integumentum ilicò, propendens mirum in modum cum cranii oſsibus ab invicem planè ſolutis ac dehiſcentibus: brachia pedesque miſeré erant intorta. Fœtu pro viribus liberato & anteriora verſus tracto, forfice cranii integumenta incidimus, vulnusque digito deinceps dilatavimus, è quo ichor purulentus graviſsimi fœtoris mox erupit, quem ſequebatur cerebrum flaccidum & putrilaginoſum: exemptis hinc cranii lamellis aliquot, fœtum ipſum è cavernis ſuis tandem eduximus, qui tamen ob inverſum artuum ſitum intra ipſa oſtia conſtitutus, valdè renitebatur, donec ibidem liberatus, totus extractus fuit: Educti trunci facies livida fuit & omnimodæ corruptelæ proxima: Puerperam jam omnes ſalutarunt hilares, nosque exactâ diætâ præſcriptâ, injection. uterinarum ad modum Mauricæi uſum ſummè neceſſarium inculcavimus, præſcripto juxta pulv. blandè diaphoret. Undecimo à partu die conveniens nos maritus uxorem bene ſe habere nuntiavit, parum ab illo tempore ſitiiſſe, appetere, & ſine ullâ difficultate obambulare: nullum percipi fœtorem vel dolorem, ab injectione primis vicibus adhibitâ, plurimam ſanguinis grumoſi & putreſcentis copiam excreviſſe cum

fruſtis ſanguinolentis duos pugnos magnitudine æquantibus, nunc lochia legitime citra incommodum profluere, & pro opera præſtita magnas gratias exolvit.

SCHOLIUM.

Fœtus domicilium, commodumque habitaculum uterum eſſe, alibi diximus: Comoratur ſanè in hoc, uſque dum decreta curricula compleantur, ipſeque maturitatem legitimam adeptus, non alieno ampliùs ſed proprio ore ſpirare deſideret: Inde aliqui fœtum fructui matureſcenti uterum verò arbori comparaverunt, inſtarque ejus de petiolo ſponte decidentis deciduum fieri exiſtimârunt, in quo equidem difficultas haud levis obſtat, de ſucci nutritii affluxu ceſſante, uteroque parilem cùm petiolo ariditatem contrahente: aſt largiamur diſſimilitudinem iſtam, propterea tamen comparatio iſta prorſus rejicienda non eſt, locumque ſibi vendicat præprimis in abortibus à causâ vehementi, ſaltu, curſu aliové graviore exercitio oriundis, à quibus, uti pomum immaturum à vento impetuoſiore, fœtus de ponte ſuo dejicitur: Aliàs ſolenne pariendi ſtatumque tempus novem menſibus abſolvitur, quibus exactis uteri latebras ille relinquere, liberioremque auram haurire deſiderat: De cauſis partus Authores variè ſenſerunt, quorum aliqui alimenti penuriam, fœtus aquarumque molem alii, alii denique harum acrimoniam ſtimulantem accuſant: Neutri tamen cauſam genuinam uſque indagârunt: Enimverò ſucci nutritii jugem præſentiam & abundantiam contra Aquapendentem, autopſia probat, ipſius verò acrimonia adeò ſuffulta nondum eſt, ut fœtum inde irritari, adque calcitrationes quibus involucra ſua diſrumpat inſtigari, certò conſtare poſsit, accedit, quòd dicta involucrorum laceratio ſæpenumero à conatibus matris, uterique motricibus fibris ad excernendum ſe componentibus deducenda, utpote à quibus humores cum membranis involventibus in anguſtum coguntur, fundoque uteri ſeſe coarctante, cum impetu propulſi exitum quærunt, de quo ſonitus non rarò perceptibilis, ſufficienter teſtatur: fœtus verò moli reſpondet Excell. Harvéus ex autopſiâ, quâ edoctus fuit, fœtum novimeſtrem octimeſtri aliquando minorem eſſe, mirumque eſt, ſi pondus fœtus tantum valet, fœminâ femellos geſtante, partum non accelerari: alia hinc invenienda eſt ratio excluſionis ſtato tempore fieri ſolitæ, quam fœtus mole ceu ſtimulante non prorſus rejecta, in reſpirationis neceſsitate quærendam eſſe ab initio innuimus, quâ in parte præeuntem nobis habemus Aquapendentem, apertè autem conſentientem Celeberr. Bohnium Progymnaſm. 3. de partu: non equidem quaſi per appetitum elicitum, (verba ſunt ipſius) ſqualoris uterini novimeſtris

vimeſtris pertæſus, fœtus auram liberiorem expoſcat ac anhelet, ſed quod fluidum ejus intrinſecum ſine motore externo machinæ magis grandeſcenti impar evadat: Equidem in uteri clauſtro quamdiu occultatur, unà cum ſanguine materno illud haurit, quod pulmonum miniſterio in adultis in ſanguinem ſecernitur, pabulum æthereum intelligimus, ſanguinis inteſtinum motum, ſuſcitãs ſupervenientibus materię ſubtilis ſubſidiis, à quo ipſummet jugiter actuatur, ut non abs re Hippocrates l. ſ. citat. fœtum τὸ πνεῦμα ἔσω ἕλκειν aſſeruerit: cùm verò grandeſcente corpore auctâque humorum copiâ eorundem motus, qui lentior primùm ſufficiebat, intendi neceſſariò debeat, particulæ elaſticæ à matre ſuppeditatæ ſine ſuperſidiariis aliis ſufficere impoſſibile poſſunt, unde plenioris acceſſum exigens, abſolutâ hac ſolenni morâ, partu excluditur, eodemque quo editur momento, reſpirare incipit: Naturaliſſimus iſte eſt, ubi capite edi incipit, humeris ad latus utrumque inclinatis, in quo ipſo tamen obſtacula graviſſima accidunt, quandoque enim fœtu grandiore exiſtente, viisque anguſtioribus, maximè in primiparis, aut viribus jam attritis, lamellæ cranii teneræ adhuc, ſatisque laxè invicem unitæ, comprimi, elongari, aliterque vitiari in ſitu aſſolent, ut nonniſi ſummo cum labore fœmina enitatur, ſæpius verò ex vehementi niſu moraque quam circa orificium internum fœtus nectit, inter integumenta capitis ſanguis ſtagnat & in veſiculam quaſi colligitur, quâ deinceps propulsâ & ab orificii dicti fibris coarctatâ, parturitio difficillima ſubſequitur, ceu prior hiſtoria docet, cui ſimiles aliquot jungere poſſemus: ſunt tandem perverſæ fœtus ſituationes aliæ complurimæ, matri fœtuique exitium non rarò accerſentes, ni peritæ obſtetricis, Chirurgi & aliquando Medici manualis induſtria acceſſerit, de quibus videſis elegantem Mauricæi laudati de art. obſtetric. librum, Medicorum ſanè in iſthoc negotio opem, uti neceſſariam laudamus, ita talem eſſe cupimus, ne quid contra dignitatem gravitatemque moliatur ſæpius, quod Miniſtris prudenter præcepiſſe ſatiùs foret: Id magè mirum, potuiſſe fœtum in uteri latebris hærere ad putreſcentiam uſque, absque gravioribus incommodis ſymptomatibusvé matri illatis, quæ ſanè haud dubiè citiùs ſubſecuta fuiſſent, ni ſecundinæ primùm excluſæ eſſent, in Ruſtica altera, quam præter hominum ſpem atque expectationem ab onere ſuo per Dei gratiam liberavimus: ubique certè Medici Chirurgive prudentia requiritur, ut adhibita manuali opera, inflammationi uteri periculoſæ ſubveniatur, ſanguisque vel in vaſis tantiſper ſubſiſtens, vel uteri cavo collectus ſolvatur, in motum ſuſcitetur, èque latebris eliciatur educaturvé, cui operi præſtando injectiones neceſſariæ maximique uſus ſunt, non neglectis internis humorum blando motui, viriumque conſervationi inſervientibus; Genitalium quoque habenda ra-

tio, ceu partium teneriorum,& in difficili partu multum labis sustinentium, de quibus cum in histor.diximus tum Authorum monumenta amplius videri poterunt.

Observ. XCI.

Perversæ Gravidarum imaginationis vitiosi effectus.

Certum est, quòd à multis quæsitum est sæpiùs,prægnantium affectus, fœtus qui in utero sunt, posse vitiare, unde tot maculæ infantibus vini, suillæ cutis, punicorum malorum ac talium. Sed & illud experientiâ constat, gravidas vel terrore concussas, vel ex objecti monstrosi attentiori speculatione, fœtum similiter vitiatum, non rarò peperisse. In Moguntino accidisse refert Sebastianus Münsterus, ut duæ mulieres, quarum altera prægnans esset, invicem colloquerentur: currens alia supervenit, quæ loquentium capita collisit: quæ gravida erat,dum pareret signa timoris in infantibus expressit, siquidem duas puellas peperit, à summa fronte usque ad nasum è facie junctas, sic ut nonnisi obliquè spectare possent: Hujuscemodi historiam quoq; videre licet Exerc. XXII. ad Pythag. An. 1672. in nosodochio nostro fœmina quædam infantulum peperit, quem cum Chirurgo ordinario vidimus aliquoties: huic labium utrumque firmiter coaluerat, & superius adeò excreverat, ut bilinguem primo intuitu crediderimus, juxta in utroque existentibus fissuris leporinis, &c. Mater rogata, culpam omnem terrificæ imaginationi, ex contemplatione hominis pari fissurâ laborantis, & labio superiore prætumido, attribuit: nec minus curiosis auribus digna historia infantuli, de qua Clariss. D. D. Theodorus Zuingerus, Amicus honorandus,cùm An. 1680. in illustri Tigurinorum Athenæo versaretur, nostram scisciatus est sententiam: Præteritâ, inquit, septimanâ infantem secuit 5. septimanarum Cl. Dn. D. Lavaterus me præsente, cui ab ortu tumor quidam œdematosus lumborum vertebras occupârat, sero limpido, acri, subflavo plenus,qui octo ante obitum diebus sponte rupit & subsedit: post ulteriorem hujus apertionem, statim occurrit spinalis medulla, sepimento os-

seo

seo denudata, quumque singula accuratius examinaremus, vertebras lumborum divisas vel potius discissas deprehendimus, reliquis colli ac thoracis ad has usque naturaliter habentibus, ut hinc spinalis medulla vertebrarum basin interiorem opplens, nuda prorsus ad usque os sacrum, (quod rectè constitutum erat) apparuerit: Dictæ vertebræ lumbares cùm eximerentur, omnes processibus rectis caruerunt, transversis & obliquis naturalem magnitudinem contrà excedentibus: Retulit mater puerpera sexto ingravidationis mense, ob glirem pectori insilientem, subitaneo terrore se fuisse concussam, atque hinc mali omnis originem derivasse. Et quidem tumor externus, subtus velut caudâ donabatur, lineâ pilosâ, digiti longitudine, aspectu horridâ ad nates usque pertingente. Quid jam circa ætiologiam hujus affectus dicendum? Accusabimus ne imaginationis virtutes?

SCHOLIUM.

Siquidem rariorum ejusmodi symptomatum ex terrore aliisque gravioribus matrum pathematibus, in fœtibus suboriri atque accidere solitorum causam aliquam pro viribus exponere conabimur in subseq. historiæ Scholio, præprimis autem responsione ad intempestivas Lamsvveerdii querelas, eadem prolixius heic repetere opus esse non censemus.

OBSERV. XCII.

De molarum generatione & differentiis.

Ad Illustr. S. R. J. Acad. Nat. Cur. HERCULEM.

Miraberis Amicissime Vir, quòd silentii diuturnioris culpam fœtu isthoc confusaneo expungere tentem; Verùm ubi & hunc pro sui maturitate, otii non parùm postulasse videris, veniam largieris facilè, si non encomium, ubi de naturæ defectu, perfecti ac distincti quid differuero: Causæ equidem, quæ ad tale quid audendum me coëgerunt, variæ sunt: Præterquam enim, quòd muliercularum nonnullarum sortem dolui, quas dum almæ sobolis aliquando excludendæ spe lactabantur, ante tempus deformem ejusmodi partum edidisse conspexi, sæpius non citra vitæ periculum, vel illud potissimum cordi fuit, quòd de Molis varia blaterarent aniculæ, imo etiam quibus diva Pallas videbatur esse

faventior, neque de dubiis hic illic obrepentibus, in Veterum vel aliorum monumentis sufficiens invenirem responsum.

Animalia bruta, quibus nil sublime dedit D.O.M. præter terram tueri in isto uno cum homine conveniunt, quod sibi simile ex ovo æq; progignunt, paribus pro actione isthac animali obeundâ organis instructa; prærogativam tamen aliquam sibi juxtà vindicare videntur, quod fœtus suos plerumque legitimè edunt, neque ipsorum loco deformem ejusmodi massam excernunt, ad quod ipsum attendens Aristoteles, rationes sollicitè excogitavit, quare in muliercularum uteris potius, quàm cæterorum animalium molæ generentur, quæ quàm obscuræ sint, Tute haud difficulter intelliges, ubi tantisper attenderis, ita autem ille l. 4. de gen. animal. cap. VII. Περὶ δὲ τῆς καλυμένης μύλης. ἡ γίνεται μὲν ὀλιγάκις τῶν γυναικῶν, γίνεται δὲ πάσι τοῦτο πάθος κυήσαις πλείοσι δὲ ὁ καλοῦσι μύλην, ἤδη δὲ συνέβη τινὶ γυναικὶ συγγινομένη τῷ ἀνδρὶ, καὶ δοξάσαι συλλαβεῖν, τὸ μὲν πρῶτον, ὅτε ἔγκυος ἠυξάνετο τῆς μήτρας, καὶ τ' ἄλλα ἐγίγνετο κατὰ λόγον; ἐπεὶ δὲ ὁ χρόνος ἦν δὴ τίκτειν, οὐκ ἔτικτεν, ὅτε ὁ ἔγκυος ἐλάττων ἐγίγνετο· ἀλλὰ κινδυνόσασα ὑπὸ δυσεντερίας, ἔπεκε σάρκα, ἣν καλοῦσι μύλην. Περὶ μὲν δὴ πάθους τῆς αἰτίας, εἴρηται ἐν τοῖς προβλήμασι: πάσχει γὰρ ταὐτὸν τὸ κύημα ἐν τῇ μήτρᾳ, ὅπερ ἐν τοῖς ἐχομένοις τὰ μολυνόμενα, καὶ ὑπὸ θερμότητα ὥσπερ τίνες φασὶ ἀλλὰ μᾶλλον δι' ἀσθένειαν θερμότητος, ἔοικε γὰρ ἡ φύσις δυσθανατεῖν: καὶ ὑπὸ μύναδος πλειῶσαι, ὑπ' ὀπιθεῖναι τῇ γενέσει τὸ πέρας &c. Ἀπορίαν δ' ἔχει, διὰ τί ποτ' ἐν τοῖς ἄλλοις οὐκ γίνεται ζῴοις, εἰ μήτε πάμπαν λέληθεν, αἴτιον δὲ δεῖ νομίζειν, ὅτι μόνον ὑστερικόν ἐστι γυνὴ τῶν ἄλλων ζώων. καὶ πρὸς τὰς καθάρσεις πλεοναζει· καὶ ὑ δύνατται πέπειν αὐτὰς, ὅτε δὲν ἐκ δυσπέψιος ἰκμάδος συστῇ τὸ κύημα τότε γίνεται ἡ καλουμένη μύλη: Tres sunt quibus Philosophus potissimùm innititur, columnæ, quarum tamen nulla satis firma est.

Primam constituunt affectiones hystericæ ex Galenicorum intemperie frigidâ & humidâ utplurimùm scaturientes: Secundam menstruorum abundantia, unde materiæ satis pro ejusmodi fœtu suppetit. Et Tertiam caloris debilitas, unde concoctio legitima deficit: Illam quod concernit, cùm conceptui ipsi, quò minùs fiat moram non pariat, quis est, qui non futilem agnoscet? Neque etiam uteri vitio (qui nonnisi commodum habitaculum tempore gestationis fœtui pullulanti præbet) mola frequenter progignitur, uti quidem alii ipso cum arbitrati sunt, vel ex hujus intemperie, quæ Veterum figmentum est, ut taceam quicquid ex utero mali sequiori sexui accidit, non tam huic, quàm materiæ heterogeneæ in massâ humor: abundanti, vel eò delatæ imputandum esse: Istam rejici facit commune nutrimentum, quo tam brutorum, quàm humani fœtus fruuntur, quod pariter ex sanguine per vasa uterina ad glandulas vel cotylas delatum in vasa fœtuum placentas plerumq; perreptantia recipitur: sin autem menstrua materno sanguini cum Fernelianis

lianis contradiſtinguat, molę generationem ineptè plane cõcepit: Illę quoniã ſanguinis grumeſcentię, variæq; ex ejusſubſiſtentia prodire ſolitę carnoſitates, quibus (quod à fluxu iſthoc ſolenni libera ſunt) bruta deſtitui novimus, pro molâ genuina nunquam habendæ ſunt: Hanc verò quod ſpectat, ridiculam itidem credimus, ſiquidem nec uterus menſtruorum coctioni ſit emancipatus, neque molæ ſuccretio maſſæ humoralis dyſcraſiam aliquam neceſſariò arguat; aliam proinde ubi de modo generationis molæ diſſeruero, rei hujus rationem producere neceſſe erit, quam Ariſtoteli aliisque non potuiſſe innoteſcere mox patebit: nempe fundamenta quæ ille adduxit, falsâ hypotheſi nituntur, ac ſi ex humore crudo & concoctu difficili mola progigneretur, cujus loco Hippocr. l. περὶ ἀφόρων ſubſtituit γονὴν ὀλίγην καὶ νοσώδεα ſemen modicum & morboſum, & libr. 2. περὶ γυναικείων; παχέα γονὴν ἐνεχομένην, craſſam genituram intus retentam: Neque iſthoc melius Galenus l. XIV. de uſu part. & cum eo Veterani plures; ſeminis maſculini vel exiguitati, vel calori in illo deficienti, indeque utriusque illegitimæ mixtioni culpam imputant, cum inquit: Jam ipſum fœmineum ſemen gignere per ſe fœtum non poteſt, ſed maris ſemen omninò flagitat, cum quo oportet miſceatur, ita ut utrumque ſemen in unum motum conſpiret: Nam tametſi gallinæ citra galli operam ova ſubventanea concipiant, ex illis tamen animalia excludere nequeunt, quandoquidem ut ea perficerentur maſculi caliditatem deſiderabant: At mulierem vidit nemo unquam, ſine viro vel molam vel ejusmodi quippiam concepiſſe. Licèt enim non errarit, cùm ovum ſubventaneum à molâ diſtingui contendit, contra quam aliqui faciebant, qui ex ſolo ſemine fœmellæ cum ſanguinis complemento molæ primordia derivabant, ſeminis tamen maſculi, à quo motus principium ille deducit, vel in ſe labem, minus in fictitiâ cum fœmineo commixtione adeò facilè non evincet, perinde ut alii diu adhuc laborabunt circa facultatis formatricis, ob ſanguinis affluentis copiam, errorem detegendum: Audacter forſitan mentiri videbor Medicis ſpermaticis, dum iſthæc aſſero: Aſt ex mendacio quod illi dixerunt prius, quare cœco impetu in aliorum ſententias jurarent, veritatem me dicere, omnibus ut reor fiet manifeſtum: Seminis utriusque Parentis σύμμιξις exploſa eſt hodie, utpote experientiæ & ſanæ rationi adverſa: Harvei viri celebris ſufficiat authoritas, qui quamvis ſtudioſè in damis ab ipſo coitu indagarit, illam tamen pari, quo Veteres ſibi imaginati ſunt, ſucceſſu nunquam reperit, ut aliorum vel meam nunc ſeponam, altoque, quod ajunt ſilentio præteream tot abſurda, quibus excogitandis anſam ſuggeſſit, de ſeminis fœminei frigiditate, de facultate formatrice, ſpiritu plaſtico, aliisq; pluribus: Propterea tamen generatio non interta vel dubia, quam ex ovo fœmellæ ſuccedere Medici illuſtres dehinc comperunt,

runt, ſucceſſu laudatiſſimo æque ac feliciſſimo : Prolixius heic non ediſſeram, quod alibi pluribus commonſtratum eſt; ſatis eſt inde & genituram craſſam cum caloris imbecillitate, & ſeminis utriusque malam κύμμιξιν &c. everti, ſicque molæ natales tantiſper illuſtrari : Citra Viri congreſſum molam pullulare poſſe, non tam Galeni authoritate, quàm firmâ ratione negatur, cùm Mola nil aliud ſit, quàm conceptus falſus à poſteriori, cui Virgines, nî labem ſibimet intulerint, utique obnoxiæ non ſunt, ſùpraque jam monſtraverim, aliud planè eſſe à molâ, quod ex morbosâ menſtruorum reſtitatione prodit, cùm vel ipſorum Vett. effato membranas, vaſaque varia, quæ Natura modò exſtruxerat, inibi notare liceat; Verùm quidem eſt, in ovariis fœmellarum pariter ac gallinarum ovula plurima recondi, maturationem & fæcundationem neceſſariam expectantia, falſum autem, quòd perinde ut iſtæ temporis tractu ova excludere poſſint, ſubventanea vulgò dicta; neq; his accenſendum primordium illud eſt, è quo vitiato aut deſtructo mola plerumque ſuccreſcit : Nimirum ad molæ generationem ovum non maturum modo ſed fœcundatum inſuper requiritur, quod primariâ naturæ intentione in uterum per oviductum devehitur, ut ex ipſo fœtus naturalis, ceu ex conceptu legitimo progignatur: Hæc ipſa autem naturæ actio cùm à violento quopiam pervertitur, molæ generatio in procinctu eſt; ejusmodi quid à perversâ matris imaginatione, vel vehementioribus animi pathematibus frequenter accidit : Imò cùm ipſæ partes in ovo, earumque fibrillæ tenellæ admodum ſint, quin ab humorum (quibus aliàs nutriuntur) acrimonia, vel vehementiori impetu rumpi vel erodi, indeque in unam Maſſam rudem ac indigeſtam coaleſcere queant, extra aleam ponendum autumo : Nec temerè cum molâ confundendum ὠὸν ὠμόν Hippocr. quale nupero demum anno à juvenculâ à duobus circiter menſibus gravidâ, placentulæ adhuc adhærens excretum vidi, illud ſiquidem abortum efficit qui fœtus decenter configurati præmatura eſt excluſio : Ut autem quæ modo delibavi, evidentius ſe omnium animis ſiſtant, ſciendum eſt maximam eſſe fœmellarum cum fœtibus, quas in utero detinent conſenſionem, adeò quidem ut hi illis intimè compatiantur, eoque faciliùs noxam accipiant, quo cùm cerebri ipſorum, tum ſingularum partium fibrillæ teneriores ſunt, neque ejusmodi illimpetus, de quibus modò, pariter ſufferre vel iis reſiſtere poſſint; Abſurditatis heic iterum, ſed temerè accuſabor à Galeni filiis, ſi infantes matrum intelligere ſuſpiria, audire ejulatus, videre afflictiones, vel vulnera perpeti dixero, cùm tamen inficias ire nequeant, iisdem, quibus illæ animi pathematibus affici, & unionem hanc quàm maximè neceſſariam eſſe, pro tenerâ ipſorum vitâ ſuſtentanda; Unde etiam admiranda Naturæ atq; hujus Authoris providentia eſt, quâ utrique horum cum

ſangui-

ſanguinis pro aurâ vitali, tum ſpirituum pro ſenſu & motu influxum communem eſſe juſſit, ita quidem, ut ex eodem liquore vitali, quem vaſa matris placentæ ſuppeditarunt, & particulæ nutritiæ partibus ſingulis apponerentur, & ſpiritus nitro-aëreus, per delicatulos cerebri poros ſecerneretur : qui deinceps ex filamentis exiguis in nervos per ſui propagines versùs ſingulas corpuſculi partes protenſas pergeret, munia hic illic legitima obiturus: Quòd ſi ergo ex matris vitiosâ imaginatione, quæ variè utcunque ſuccreſcit, nunc ab externis motum vehementiorem plerumque concitantibus, nunc ab internis, recordatione pertinaci eorum quæ aliquando vidimus, ſpiritus impetuosè motitentur, ob recitatam partium teneritudinem generationis negotium facillimè confunditur, ut fœtus monſtroſus, vel maſſa omnino deformis poſtmodum procudantur : Illuſtre eſt exemplum, cujus author Scrutinii veritatis l. 2. cap. 7. meminit de fœminâ quâdam, quæ cùm aſſiſteret ſupplicio, quod rotâ in hominem flagitioſum ſtatuebatur, adeò à ſingulis ictibus facilè conſtrata fuit, ut filium pepererit à primâ nativitate fatuum, cujus ſingula oſſa diſtracta erant pariter ac illius, qui ob flagitia commiſſa dictam pœnam ſuſtinuit : Monſtrorum quoque, aliarumvé deformitatum productiones, quæ ex intuitione rei ſimilis vel vehementiori deſiderio non rarò ſcaturiunt, hanc ſpirituum arctiſſimam unionem ſatis probant : Veriſſima tamen ſunt, quæ Nobiliſſ. Pythagoras noſter erudite hâc de re ad me ſcripſit : Fermè, inquit, molarum cauſæ reales magis ſunt, quàm imaginariæ & permanentes, & diuturnæ potiùs quàm ſubitaneæ aut tranſitoriæ, (addo quæ primis menſibus imo ſeptimanis maximè contingunt, ubi partes nondum penitus evolutæ ſunt, & ſummè teneræ exiſtunt, cùm ubi ad qualemcunque molem fœtus jam pervenit, fibræ robuſtiores redditæ, omni ſpirituum impetui non ſtatim cedant.) ærumnoſa vita, triſtitia, iracundia quoque & præcipitati animi furores, ſi crebrò, multumque iterentur, ad generandas molas plurimum contribuunt : Namque hi affectus omnes, cùm violenti ſint, ad deſtructionem tendunt, eò libentiùs, quò ſubtilia corpuſculi ſtamina, inſtar tenellarum arbuſcularum ab impetuoſiore vento facilè diffringuntur : ita experientia me docuit, fœminam fœcundam aliàs ac multiparam, binis vicibus, cùm gravidam ſe exiſtimaret, molam ovo anſerino majorem, nunc ſub tertii, nunc quarti menſis initium, fœtus immaturi loco excluſiſſe nullam aliam ob rationem, quàm quod utrâque vice, ut quidem confiteri neceſſe habuit, animo volvebat creberrimè, quàm infeliciter aliquot retrò annis periſſet fœtus binos, quorum alter ante tempus proruperat, alter maturus intra ipſa uteri oſtia interierat : Et quid opus eſt verbis? ſi animi pathema gravius potis eſt de fonte quandoque conceptum præcipitare,

quid ni eundem uteri parietibus adhærentem aliter pervertere possit? Sunt autem fœminæ, qui infortunatos ejusmodi fœtus vident, non rarò nolentes, ob organorum præcipuè vitium, quæ mollecula & tenera ab humorum acredine eroduntur, unde postmodum loco membrorum sejunctorum probeque configuratorum, deformis quædam massa in immensum excrescit, uti quidē cum aliorum Medicorum, tum propria rursus me id docuit experientia: atque isthoc in casu in massâ humor, magis, quàm ovario, seu semine matris culpa quærenda est: Inde propterea argumentum infallibile non depromitur, quascunque, siquidem humoribus intemperatis videantur esse refertæ, molas potius quàm fœtus legitimos progenituras, cùm indubiæ sit veritatis, naturam ad perfectiorem finem omnibus modis collimare, & ob id ipsum embryoni in utero existenti, alimento laudabilissimo tenero & blando pro viribus prospicere: Unde sæpissimè jam animadverti, in nimiâ istiusmodi cacochymiâ, æque facilè in matrem noxam redundare ac in fœtum: Difficilius fortè esset Galenico clarè & distinctè exponere, quî in tali corporis ἀνωμαλίᾳ, fœmina semen fœcundum possit ad legitimam σύμμιξιν conferre; Quicquid sit, eluceſcere ex dictis reor, genuinas molæ causas, quæ Vet. de generatione aliter planè judicantibus, non potuerunt non esse obscuræ: Operæ pretium jam erit, inquirere, eccur animalia bruta vitiati hujus fœtus pariter cum mulierculis non sint feracia? Id quod Philosophus attigit quidē, sed nō explicuit: Si causas denuò ruminare libet, difficile erit utcunq; illa penitus hinc vindicare: Imaginationis etenim vitia in his perinde observātur, atq; in illis, & machinalis hæc actio, admirando artificio ad stuporem usque in iis absolvitur: Nolim autem Æstimativam quempiam iis tribuere, cujus ope (uti Peripatetici ogganniunt) ex speciebus sensatis non sensatas colligant, indeque objecto simplici oblato, de hujus bonitate aut malitiâ compositiones tacitè efforment, ita quidem ut conspectâ re horribili vicissim exhorrescant, & sicubi femella utero gesserit, fœtum similem hinc excludat; Egregia certè brutorum actio & horum Virorum ratiocinio dignissima, quæ propediem rationalium choro illa inseri efficiet: Dolendum sanè quòd homo, qui rationis lumine solus instructus, præ quibuscunque mundi creaturis triumphat, Creatorem suum dignius non veneretur, & quæ ceu prærogativæ insignis loco, ipsi unicè concessit ad effigiem suam formato, animantibus aliis attribuere contendat, ceu in quibus pariles motus quandoque deprehendit, non cogitans superesse sibi nobilissimam ejusmodi motuū ducem, quâ destituta illa, talis æstimationis vel compositionis aut divisionis actus impossibile edere possint: Falsissima est hypothesis imaginari bruta non posse, nî hosce actus vicissim exerceant; ac si res tantæ difficultatis foret animæ, quam vocant sensitivæ, & mentis

tis operationes ab invicem distinguere: ad ipsorum intentionem loquor, non sanioris Philosophiæ regulas; propriè enim nonnisi spirituum ab exterioribus ad interiora cerebri motus, idemque si ita loqui fas sit, circularis (quo vestigia aliquando impressa repetuntur, & filamenta interiora pariter, uti tum agitantur) illis competunt, qui actus in homine, ceu animâ rationali prædito, quæ de utroque diversimodè dijudicat, nunc sensus nunc imaginationis nomine veniunt, atque abhinc ille vel sentire vel imaginari dicitur: Sufficit autem quòd nudus iste spirituum motus, si violentus evadat, ex objecti monstrosi intuitione, vel graviori impressione, aut aliâ quâvis causâ concitante, etiam in brutorum fœtibus eâdem ratione deformitates varias, vel monstrositates producere valeat, uti quidem exempla ab authoribus recitata evidentissimè evincunt, neque enim generatio animæ rationalis negotium est, ceu cujus bene esse ab istâ dependeat, nunquam certè monstrosi, vel alii deformes partus ita ederentur, utpote quas anima quovis modo præpediret, licèt mulieres temperando sibi ab intempestivis animi commotionibus, ex sanæ rationis imperio, ad partum naturalem multùm utique conferre non eamus inficias, compescendo vel subtrahendo id, quod spirituum enormitatibus primariam aliàs ansam subministravit: Ex his autem nondùm liquere existimo, molam in uteris fœmellarum brutarum, vel non vel rarenter productum iri, quin imò cùm monstra pariant frequenter, molas pariter concipere posse, pluribus absonum non videbitur, utpote ex iisdem ferè, quibus illa, causis resultantes, ovi tenerrimis fibrillis non reluctantibus. Fateor ejusmodi quicquam ex bruti utero excretum hactenus me non conspexisse, rogitoque studiosè quoscunque rerum naturalium, veritatis præprimis avidos, ut si quid de his compertum habeant, vel olim experiantur, publico mihique non invideant: Id verò dicere ausim, oblatum mihi fuisse nuperâ æstate ovum majusculum, quod cum aliis gallina incubarat, cujus putamine rejecto, non pulli stamina, sed materia rudis sanguinolenta oculis se objecerunt, manifesto, ut auguror, generationis interruptæ indicio; campus heic aperiretur amplus satis, de ovo à gallinâ incubato disquirendi, modò illud instituti ratio pateretur: Mihi hac vice satis erit, vel exhinc communicationem spirituum matris incumbentis, cùm spiritibus pulli in ovo delitescentis aliquo modo probari posse; licèt enim concedam, partes singulas pulli cum materiâ nutritiâ inibi jam contineri id tamen statuere ἄποπν planè non videtur: Illius ope partium accretionem & conformationem legitimam quasi determinari, uti quidem in animantibus, quæ intra se generant, manifestius observare est: sed fortè nimis subtilis sum, qui novi incubationem gallinæ pro pullis excludendis necessariam semper non esse, aft excludantur hi

ope furni interdum, hæcque, quam modò innui communio tantisper exulet, saltem ille nodus primùm erit solvendus, si recitatæ observationi respondere non libeat, quî fiat ut medio incubationis tempore, ubi tempestas tonitruosa ingruit, aut etiam ligna prope locum quem incubans elegit, scinduntur, pulli non rarò intereant? Spero vel isthinc peritiores excitatum iri, ut philosophemata aliorum melius examinent: Potissima quæ pro Aristotelis sententia militare potest causa molarum infrequentiæ in brutis, animi pathemata videntur esse, quæ non violenta modo, sed persistentia ac iterata superius accusavi, quorum pervicaciam in mulierculis haud dubiè creberrimæ cogitationes de rebus præteritis seu tristibus seu exosis aliisvé causantur: In brutis etiamsi spirituum fervidiorem motum, qui in omnibus pari celeritate non evanescit, non negem, talem tamen concipere difficillimum, cum objectis irritantibus remotis spiritus sensim placari incipiant, motus quoque violenti, si quibus tentantur, abortum maturasse magis, quàm deformem ejusmodi massam produxisse, experientia testetur: hinc equæ utero gestantes parcius calcaribus exercentur, ne tenello pullo detrimenti aliquid accedat, qui tamen uti & vaccinus uteri glandulis plurimarum placentularum ope optimè connectitur: Hæ primis gestationis septimanis, ceu totidem in ovo conspicui poruli, animum mirè reficiunt: Causæ isti alteram adjungo itidem rariorem, humorum scil. acredinem, seu isti in brutis oppositam bonitatem; vasorum enim staminumque teneritudo utrobique obtinet, neque succo, qui alimenti loco advehitur & sequestratur, si naturam erodentem pariter indueret, humanis magis resisterent; sed de his plura satis pro virium mearum modulo, quibus si meliora attulerint alii, non modo libenter obtemperabo, verùm gratias agam insuper quàm maximas; ratum quoniam apud me est, nullâ re ad veritatem nos magis erudiri, quàm contrarias opiniones probè expendendo, & genuinum, si fieri potest, nucleum deinceps eruendo. Ad molarum differentias, ut pergam, promissi hortatur ratio, quarum si plures alii recensent, ego potissimas saltem exponam: Molæ aliæ sunt annuæ, aliæ non: Illæ dicuntur tales, quòd per annum unum aut plures in uteri cavo commorentur, magis magisq; accrescentes & indurescentes, non sine maximo mulierc̃ularum incommodo & detrimento, utpote quibus non tam ponderositate suâ, ceu vitâ & motu legitimo destitutæ, quàm subtractione pabuli nutritii molestissimæ sunt, utpote quæ pariter acsi fœtus adesset, nutriuntur: Hæ contra brevius in utero hospitantur, & vel primis mensibus, laudabili ipsius naturæ stimulo, vel artis ope expelluntur: Illarum exemplum rarissimum refert cùm Excellentiss. Jænisius Observ. 79. Ann. 2. Ephemerid. de molâ quinquenni, prolapsum uteri mentiente; tum Clariss. Schenk.

de

de molâ ſeptendecenni,aliiqúe:Ego quoq;fœminam novi quæ cùm gravidam primum ſe arbitraretur, anno circiter ætatis 40. molam geſtare comperta fuit, poſtquam tempus partus diu multumque expectaſſet,Medicusque in conſilium accerſitus, abdomini intumeſcenti hydragogis, ſed ſæpiùs incaſſum proſpicere contendiſſet. Chirurgus, qui malum iſthoc funeſtum, quod per biennium ferè delituerat, in uteri latebris detexit, manuali operâ ægræ aſſiſtere utcunque detrectavit, cùm magnitudinem capitis infantis mole exſuperaret, utero pertinaciter adhæreſcens, hydropisque ſuborientis haud obſcura videret indicia: Mortua eſt inde anno circiter poſt, verè hydropica corpusque iſtud globiforme & ſcirrhoſum valdè, poſt mortem demum Chirurgi manu exectum fuit, cujus vaſa utique erant elegantiſsima, quibus imprudenter reſectis, præſentaneum vitæ periculam imminuiſſet: Porrò mola alia eſt ſolitaria, alia cum fœtu conjuncta, & quidem ita, ut vel iſti adhæreſcat, non citra grave,quod in partu inde inſtat periculum,vel ab eodem ſeparata ſit: cœterùm mola talis vel ante conceptum legitimum ſua poteſt ſumere primordia, ex cauſis ſæpius dictis, vel paulò poſt hunc, cujusmodi quid in ſuperfœtatione (de quâ inferius) contingere exiſtimamus:molam tamen fuiſſe dubito, quam fœtui accretam refert Franciſcus Mauriceau, Chirurgus Pariſinus peritiſſimus, & libro de Arte obſtetricandi edito celebris: Verba ejus libr. 1. c. 9. ſunt ſequentia: En l'anneé 1665. eſtant chez Monſieur Bourdelot, Docteur en Medicine de la Facultè de Paris, chez qui on fait publiquement, tous les Lundis des conferences Academiques; Comme on fut tombé ſur le diſcurs de la circulation du ſang, que j'expliquay pour lors ſelon mon ſentiment, on y apporta l'enfent d'une femme nouvellement accoucheé à terme, auquel manquoit toute la partie ſuperieure de la teſte, n'ayant aucune crane,ny cerveau,ny meſme cuir chevelu: mais il avoit ſeulement, au lieu de toutes ces parties, une mole, ou maſſe charnuë platte, & fort rouge, de l'epaiſſeur & largeur d'une arrierefais, recouverte d'une ſimple membrane aſſez forte: Cet enfant non obſtant cela avoit toutes les autres parties du corps &c. Cranii certè, cerebri, partiumque caput ſuperius integentium defectus, vitium aliquod formationis ex perverſa fortè imaginatione aut impreſſione, quâ mater prius laboravit, oriundum indigitant magis,quàm molam quæ inſtar maſſæ cujusdam latiuſculæ & rotundæ reliquum caput obtegebat, quinimò hoc ipſum naturæ providentiam arguit, quæ in opere ſuo abſterrita vel impedita, munimento carneo mentis domicilium obmunire ſategit: videſis Celeberrimi Wepferi hiſtoriam de Puella ſine cerebro nata Anno 3. Ephemerid. Supperiiſſent haud dubiè obſervationes aliæ, cujusmodi legere eſt apud Thomam Bartholin. cent. III. Epiſtol. quibus felicius veritatem illuſtrare potuiſſet: Pa-

riter omni obscuritate non caret exemplum quod attulit cap. præced. de fœminâ, quæ elapsis graviditatis mensibus gemellos peperit, è quibus filiola justam magnitudinem erat adepta, filiolo parvo existente, & si hinc augurari licuisset, nonnisi quinque mensium; etenim superfœtationem (quam ex minoritate aliqui optimè concluderent, cùm in gemellorum gestatione, licèt unus altero succi nutritii sibi plus assimilet, tanta tamen disparitas nisi ob causas evidentes rarò appareat) heic non adfuisse, ex placentæ unitate evincere annititur, utpote quâ manifestum sit, ex uno coitu conceptum utrumque pullulasse: Ego v. salvâ hujus Viri experientiâ, quam maximè æstimo, signum hoc infallibile esse non crediderim, siquidem contrarium sub ipsa ferè labentis hujus anni auspicia comperi apud fœminam, cui gemellos parienti adstiti, quorum uterque propria gaudebat placenta, nec etiam scio, quî generationi ex ovo, quam quidem negasse ipsum sed præter rationem novi, assertum hoc conforme sit, ceu in quo placentulæ vestigia jam agnoscimus: Excellentiss. Borrichius Volum. 5. Act. Hafn. superfœtationum exempla tria refert, in quibus omnibus ea fuit fœtuum diversitas, ut duo circiter menses inter primam secundamvé conceptionem intercesisse viderentur, nulla vel placentarum pluralitatis, vel unitatis facta mentione! & quidem si de superfœtationis tempore loqui ausim, commodissimum illud primi menses esse videntur, non quod Veterum heic adstipuler commento, superfœtationem irritam facientibus nî prius semen utriusque parentis probè fuerit commixtum & membranis investitum, quò effluere amplius non possit; Superfœtatio nusquam sanè ita contingeret, sed quia tum fœtus nondum ita accrevit, secundùm omnes parietes uteri, ut ovulo denuò delabenti, ob nimiam ipsorum extensionem idoneus adhæresendi locus adimi posset: Quòd si tamen quocunque tempore ovum adsit maturum, isque à liquore genitali spiritibus, & massæ humorali matris motus semper imprimatur, quem pro conceptu, uti necessarium ita determinatum hactenus existimavi, conceptionem iterari posse, quis inficiari auderet? neque enim me moratur quod Hippocr. libr. περὶ ἀποκυήσιος, inquit, ἀποκυήσαντος ἢ τῆς γυναικῶν, ὧν ἄν ὁ στόμαχος μετὰ τὸ πρῶτον κύημα μὴ ξυμμεμύκη, συμμεμύκει ἢ μετὰ τὰ ἀποκυήματα τὰ ἀποπεπτόμενα ὕστερον· Conceptu quoniam facto, licèt non negem os uteri claudi atque angustari, ea tamen asserti hujus infallibilis sequela non est: ubicunque post congressum maris cum fœminâ uteri orificium non illicò clauditur, ibi conceptus fieri nequit; siquidem clausura hæc, non tam pro seminis injecti, (uti supponit) quàm fœtus augescentis ad legitimum tempus commodâ retentione à Natura instituta sit, sed de his ὡς ἐν παρόδῳ.

Ad

Ad tertiam molæ differentiam tranſeo, quam conſtituunt molæ vivaces ac volatiles, iis de quibus ſuprà, mortuis exiſtentibus: De his aniculæ & mulierculæ plurima, uti communis ipſarum genius ferre ſolet, utrum autem fabellam merè referant, tute judica, qui experientia & judicii dexteritate emines! eſſe iſtas gravidarum carnifices, ceu quæ liquorem vitalem hiante ore exugant, & ubi ſemel excluſæ fuerint, in conclavi variè circumcurſitare, dum priſtinum, quem modò reliquerant, locum nî promptè occidantur repetant, ſæpiùs inaudivi, quandoquidem cum riſu & joco, quo iſtam ſexûs Philoſophiam digniſſimam videbam, vitam & motum corpori utriusque horum fontibus deſtituto tribuentem: Interdum cum admiratione, ubi narrationi fidem exempla fecerunt, præprimis verò cùm in Virorum eruditiſſimorum monumentis harum non levia veſtigia animadverterem: Celeberr. Bartholinus Volum. I. Act. Haffn. Familiaris eſt (inquit) illa mola in Belgio, ubi vulgò Suygers vocatur, quaſi ſanguiſuga, fœtui infeſta fugillando, ſimilis illi quam Levinus Lemnius deſcribit l. 1. de occult. nat. mirac. In urbe noſtra nonnullæ ſunt Matronæ, ſedulò caventes ne facilè innoteſcat: Poſt fœtum in partu prodit, & cubiculi angulos pervolitando inquietat mulieres, quæ omni ſtudio perſequuntur, ut enecatam comburant, credentes, niſi comprehenſa comburatur, laborare aviculam in eo, ut iterum uteri latebras intret, quas ſi repetierit, mori puerperam. hæc ille. Quibus plura addidit Excellentiſſ. Sachs p. m. An. 3. Ephem. notatu longè digniſſ. Quid mihi ſuper iſtâ re contigerit paucis enarrabo: Anno 1681. matrona honeſta, cùm ſe à 4. circiter menſibus gravidam exiſtimaret, d. 24. Octobr. ſub veſperam ingentibus torminibus & doloribus ac ſi fœtum perfectum enixura eſſet corripitur, lochiorum fluxu aliquot ante ſeptimanas jam comparente: Vocor ſub mediam noctem à marito de uxore valdè ſollicito: Accedenti ægrota corpus deforme monſtrat, quod intereà per uterum excreverat, talpæ figurâ & longitudine, pedes ſubtus quaſi reconditos habens, ac parte anteriore proboſcidem: Inde conſpicua erant duo foramina, quæ nares & duo alia, quæ oculos referre dicebat obſtetrix: dorſum ex infinitis conſtabat papillulis, cujus medium linea cingebat ſubatra, latiuſcula, intus verò præter maſſam fibroſam ſanguinolentam quicquam aliud animadvertere non licuit: Hanc ex dictis molis ſeu ſanguiſugis unam eſſe, quam noſtrates Fraaß vocant, adſtantes uno ore omnes profitebantur, quæ ubi diutiùs delituiſſet in antro ſuo, vitam utique & motum adepta eſſet: His autem ego parum attribui fidei vel aſſenſus, cùm papillæ illæ placentæ figuram æmulatæ ſint, reliquaque maſſa fibroſa quid fœtus tandem corpus iſthoc deveniſſet, ſatis edocuerit: Similem ferè hiſtoriam video recenſeri à Celeberr. Wepfero Ann. 3. Ephemerid. noſt.

Obſerv.

Obſerv. 129. & Clariſſ. Salmuth de Matronâ, quæ d. 5. Aprilis 1621 maſſam excluſit carneam, palmam longam & latam viventem, os latum inſtar tineæ vel cyprini, ſed non cavum, & duo puncta nigra oculos referentia, habentem: In terram hæc prolapſa non palpitavit modò ſed variè ſe movit, ac piſcis inſtar ſe convolvit: Quid de hiſce judicandum ſit, ancipiti feror animo: difficile enim mihi, ſi probè philoſopharі velim, molæ ſeu maſſæ carneæ indigeſtæ, in qua nec cerebri, vel nervorum vel cordis ulla reperiuntur veſtigia, imò quæ ex ſanguinis confuſaneo quaquaverſum affluxu ſuccreſcit, motum genuinum vel pulſum tribuere, quo vivat, circumvolet, imò unum alterumque membrum fœtui quandoque demordeat: Aliorum nihilominus fidem irritam non faciam, vel experientiæ quicquam detraham, quin ſi optare fas eſt, vellem iſtiusmodi ſpectaculo præſentem eſſe poſſe, reapſe enim, ſi quid iſtorum contingit, ſpiritus ſaltem ætherei præſentia requiritur, qui ubi locorum in tali maſſa ſecernatur, vel commodè ſtabuletur, verſuſque partes motrices influat, multæ adhuc meditationi anſam ſuggeret; Videnturque mihi ejusmodi fœtus, quorum ſupra ex Bartholino aliisque memini, monſtroſi magis quàm mola dicendi, utpote in quibus producendis, natura ab opere ſuo deſciſcit, vel totius vel aliquarum ſaltem partium ratione, nec opus heic repetere, quæ de variis animantium formis, quas ex accidenti quandoque producit, alii diſſeruerunt, ſufficit ſupra laudatum Bartholinum, monſtris illos accenſere, mirariſque potiſſimum, qui ſemina Parentum in eam materiam in utero transmutari poſſint; Quòd ſi verò molas etiam vocitare velint alii, per me liberum eſto, modò non confundantur quæ ab invicem vel diverſiſſima exiſtunt. Molæ multiplices ſicubi in uteri cavernis offenduntur, curioſam mentem identidem reficiunt, cujusmodi ſeptem diverſæ magnitudinis in virginis Epiſcopicellenſis matrice repertos, etiamnum ſe ſervare Clariſſ. D. D. Anhornius Phyſicus Sangallenſis meritiſſ. Decur. II. Ann. I. Ephem. meminit: dixerim tamen ejus cum venia, veras iſtas molas non fuiſſe, ſi quidem virgo illa perſtitit: impoſſibile quoniam fœminam in cœlibatu viventem concipere vel ova parere, heu! quod non, ſi iſthoc obtineret, quotannis excluderent? Inde etiam Excellentiſſ. noſter Pythagoras, parerg. 6. quod honoratiſſ. Aretæo inſcripſit, tuberum vel globoſorum corporum nomine illas convenientiſſimè exprimit.

Apologia adverſus invectivam Jo. Bapt. de Lampſvveerde Med. Colonienſ.

Quum in edendis Obſervationibus iſtis verſaremur, luſtrantibus Catalogum Francofurtenſem, inter libros recèns editos occcurrit Hiſtoria

ria Naturalis Molarum uteri Joh. Bapt. de Lampſweerde, liber titulo inſignis & cujus deſiderium ilicò nos cepit, quòd, cùm de ſimili materiâ Curioſis noſtris aliquid tradiderimus, non pauca illinc ad noſtrorum vel dilucidationem vel confirmationem nos deprompturos exiſtimavimus. Indicem inde fortè fortunâ percurrentes, mox iſta offendimus: *Harderus injurius in Hippocratem*: Grande nefas Artis noſtræ tam illuſtri Heroi injuriam inferre, quem hactenus coluimus ſtrenuè & in partes noſtras pro viribus traximus, ſiqúe ſenſit aliter, non niſi cum modeſtia dimiſimus vel emendare ſtuduimus: ad caput hinc libri tranſeuntes, in cap. Elench. XX. ſeqq. legimus. *In quo cauſæ, quare bruta molis minus obnoxia ſunt examinantur, & diſſertatio de Molis Harderi, Naturæ Curioſorum Collegii membri in Obſervatione CLXXXV. Dec. 2. ann. ſecund. tradita expenditur.* Gaudio non levi affecti fuimus, cùm Virum tam perſpicacem, examine ſcriptum noſtrum dignatum eſſe videremus, ſicque votis noſtris annuiſſe, p. 407. contentis: *ſed de his plus ſatis pro virium modulo, quibus ſi meliora alii attulerint, non modo libenter obtemperabo &c.* at in dicto capite ne gry quidem, quod nos ferire poſſet, ſed demum c. XXIV. horridis telis Authorem nos petere, & non in Hippocratem ſed Ariſtotelem, quem ſe maſculè defendiſſe, ſordidæ gloriolæ cupidus jactat in indice, injurios dicere comperimus, craſſo omnino errore, nec ſine omni injuria, majoris ſiquidem æſtimandus Hippocrates longè eſt, quàm *Ariſtoteles*, cujus meritis laudibusque hactenus nihil detractum ivimus, ceu Orationib. ſolennib. habitis de verâ philoſophandi libertate, Fato Carteſii & Ariſtot. &c. comprobare poſſemus: at quid opus eſt verbis, rem ipſam aggrediemur, & attentius ſingula, quorum nos accuſat & in quibus refellere ſententiam noſtram ſatagit, ruminabimus: revomet fortè ipſe, quod contra nos Lectoribus pharmacum malè propinavit. Priùs autem ab unoquoque æquo verum æſtimatore enixè petimus, ut Diſſertationem noſtram cujus conſcribendæ anſam initialia exhibent, univerſam heic evolvat, ſcopumq; qui alius non fuit, quam ſuccinctè (non integro quopiam tractatu) cauſas præcipuas molæ generationis indigitare diligenter perpendat, quàm de utriusque noſtrum ſcripto judicet: Patebit ut ſperamus, non modò occaſionem malè nobiſcum agendi Virum hunc, cujus ne umbram quidem noveramus, non habuiſſe, ſed ſcapham ſcapham nos appellâſſe, nec licuiſſe aliter, generationis negotium diverſo prorſus, quàm Archi-Philoſophus modo concipientibus & probantibus, imò intentare nobis varia perperàm, nec niſi contradicendi ſtudio Authorem iſta propalaſſe, quod vel non ad mentem ipſius, vel quod ante ipſum de molâ ſcripſimus. Ab initio d. cap. hæc habentur: *Majorem lucem dictis noſtris afferendi gratia, quædam prælibabimus ad Obſerv. &c. per Jac. Harderum ad Acad. Nat. Cur. Herculem transmiſſam, in quâ dicta quæſtionis*

cauſas ab Ariſtotele enumeratas examinando alias ſubſtituit; ſed dolendum quod quædam Acad. Nat. Cur. membra non recta utantur methodo ad veritatem inquirendam & quod Chriſtianæ charitatis erga proximum immemores ab Ethnicis hac virtute ſuperentur, qui cum Pindaro ſemper de mortuis bene loquuntur, nam condonandum foret Ariſtot. &c. in quibus non contentus eſt ἀμεθοδίας nos accuſare, alios in ſcenam vocat inſuper quaſi eodem vitio laborantes, quos autem mutos eſſe cupit, fortè quod reſponſi nimium ipſi daturos prævidet. At quæ methodus eſt Clariſſ. hujus Viri, qui aliis regulas dictitat, quas ipſe non obſervat, qui in veritatem inquirere ſatagit, præjudiciis plenus & Chriſtianæ charitatis, quam an Ariſtoteles erga Democritum exercuerit, ipſe cogitet, & quæ præ aliis erga hominem Chriſtianum, etiamſi pro Ariſtotele non ſteterit, eluceſcere deberet, valdè immemor. Monſtrandus prius erat error, ex methodi lege, cujus reos nos facit, quam ita debaccharetur, & expendendæ rationes noſtræ, antequam imprudenter Philoſophi ratiocinia ceu ridicula vel futilia nos traduxiſſe diceret: Jaſt olfacimus quid ſubſit, *propria laus*, qua ſibi blanditur, cùm ita: *attamen primus glaciem fregit, & in multis nobis præluxit, & ſanior modernorum philoſophandi methodus ſatis manifeſtè in ipſius horis exprimitur, ut patet ex noſtra utriusq; Philoſophiæ clavi*: Magni fiat hæc ipſius clavis, nec gloriam quam inde mereri poteſt, invidemus, laudamus potius inſtitutum, inde tamen non videmus, quare vel corrigere vel rejicere Ariſtotelis opinionem non licuerit, ſi erronea ſit, cùm ejusdem effata, ubi cum Recentiorum inventis conciliari poſſunt, extollamus pariter ac reverenter habeamus: atq; hæc demum genuina in veritatem inquirendi via eſt, *nullius jurare in verba Magiſtri*, nec prę conceptis hypotheſibus pertinaciter iñiti, quod ipſum facere palam eſt, dum ejus verba omnia ad veritatis lancem reduci, & evidentiori ſenſu illuſtrari poſſe arbitratur: Illuſtris ſanè & Herculeus ſi feliciter ſuccederet, conatus: quem autem irritum fore haud pauci nobiscum credent, caveatque Vir Clariſſ. ne Ariſtotelis ſcriptis ſenſum ubivis affingat, de quo vel non cogitavit, vel quem ſtudiò ſubticuit, ut ab aliis non carperetur, ceu Doctiſſ. Ludov. Vives de ipſo eruditè judicat, hocque ipſo, alios non ſine paſſione aggredi ſe monſtret: Quicquid ſit, conſtitueramus in materiâ molæ occupatis Ariſtot. mentem, quam ſcripto reliquit, aliorumque primùm expendere, atque hinc demum noſtram cenſuræ publicæ exponere, ſi illâ acquieſcere non poſſemus, vel erroneam deprehenderemus, quod ipſum Viro præfato incumbebat, firmare nempe prius *illius* rationes, & noſtras dehinc ſolidè explodere citra convitia vel nugacia verba: quod quî factum ſit, ulterius videbimus: Pergit p. 261. *Primo mirum videtur, quare textum Græcum Ariſtot. ſine Latina interpretatione obſervationi ſuæ inſeri curaverit, cùm procul dubio noverit, æquè ac ego hoc ſæculo viros literatos non tantoperè Græcis delectari, ut ſine interprete ſenſum tam citò percipiant*: Egregiam verò hinc laudem & ſpolia ampla

reportat

reportat, qui toti Literatorum choro ignorantiæ notam inurere non erubeſcit, ceu Græca neſcirent, imò ne his quidem oblectarentur: grande nefas de Eruditis ita ſentire, ne dicam Medicis, quorum præcipui anteceſſores Hippocrates, Galenus, Dioſcorides, Ariſtotel. idiomate Græco ſcripſerunt: & in quorum ſenſa ipſocum penetrare difficile eſt Græcæ literaturæ imperitis: annon potiori jure redarguiſſet, ſi latinam interpretationem junxiſſemus, utpote cùm iis ſcribamus potiſſimùm, de quorum in his linguis ἀπειρία dubitare religio eſſe debet, & mirari deſiiſſet, ſi ad *columnas*, quas latinis verbis mox exhibemus, quarumve præcipuè causâ Ariſtot. textum adduximus, diligentiùs attendiſſet, ceu docent verba: *Ad quod ipſum attendens Ariſtot. rationes ſollicitè excogitavit* &c.] Potius mirari ſubit, eccur nos imprudenter accuſet, quòd multa & præcipua in textu græco omiſerimus, quæ nobis examinanda propoſuerimus, præterquam enim, quòd in manuſcripto noſtro appoſitæ fuerint liter. &c. quibus Lectorem ad Ariſtot. textum ulteriorem ſicubi velit, remiſimus, etiam non videmus, cui bono illa inſerere debuiſſemus, utpote cùm de morâ quam molæ in uteris mulierum nectere ſolent, ejuſque & duritiei cauſa inibi agat, nobis verò potiſsimus ſcopus fuerit, rationes cùm exhibere tum expendere, quas ille affert, quare infrequentius in uteris brutorum animantium fœtus iſte ſuccreſcat: finalia verò quid opus addere, niſi paginam implendi gratiâ, cùm ſaltem concluſio ſint, ex prioribus ſuppoſitis: ἀπορίαν δ' ἔχει &c. αὔπνον ἢ δεῖ νομίζειν fluens, quam expreſſimus ibidem, quum ita: *ad quod ipſum attendens Ariſtot. rationes ſollicitè excogitavit*: ut taceamus, ulteriorem hinc ſaltem occaſionem nobis natam fuiſſe, de Ariſtotelis obſcuritate conquerendi, quam ipſemet Vir φιλοσοφώτατος inficiari nequit, ceu in ſeqq. pateſcet, ut in *eâdem* prorſus nobiſcum *verſetur navi*, & nonniſi convitiandi causâ, quæ hactenus memoravimus ſcripſerit: unde etenim tam certa habet indicia: nos doctiores aliis videri cupere, quòd ſecuti Viror. Clariſſ. exempla interpretationem latinam non addidimus, ut rationes modò cit. jam ſeponamus. Et qui Scoptica iſta meruimus? *ut autem Curioſo Lectori conſtet, qualis ſit curioſitas hujus naturæ Curioſi, textum latinum adjiciemus*, anne *curioſitas*, quam hactenus ſalsè non affectavimus, ex latinâ interpretatione adjectâ æſtimanda? Benevolus Lector examinet ſingula quæ cùm pag. 262. tum ſeq. 263. Author propalat & non quæ curioſitas, ſed quanta ſit *Viri* hujus *eruditio* & ἀγχίνοια, haud gravatim videbit. Pergit: *Dum Harderus Archiphiloſophi rationes &c. operæ pretium duximus ejus columnas in hac materiâ audacter, ſed non concinne delineatas, conferre ad bilancem rectæ & non præoccupatæ rationis*: utinam verò facta verbis reſpondiſſent, multam ſanè apud nos iniiſſet gratiam, ſed contrarium potius eluceſcet: quî enim ejus ratio præoccupata non fuit, dum mox adjicit: *annon pro com-*

muni Rei literariæ & proximi bono præstitisset, suos conceptus ad sensum, qui in verbis Aristotelis delitescit accommodasse, quàm ejus textum orbi literario ut futilem & ridiculum traduxisse: Acsi *Aristoteles* veritatis norma esset, ad cujus dictamen omnia animi nostri sensa, possint, nequeant, accommodanda sint: *ipsemet* quoque *Imperatoris* authoritatem sibi arrogat, de aliorum scriptis non sentiendi modò & judicandi, sed pro lubitu ipsorum sensum torquendi, *spiritus Esavitici* manifesto indicio: textum *Arist.* non culpavimus sed rationes rejecimus, quas neque pro eo, quod contendebat probare, neque pro generatione molæ claras satis ac sufficientes esse deprehendimus: vel *Authoris* exemplo, qui præcipuam earum cap. præced. (quo fato nescimus) ipse explodit, quæ verò ex *problematibus* adducit, studiò omisimus, partim quòd animus præcisè non fuit evolvere causas, quas pro generatione dictâ obtrudit ceu supra dictum, partim quod novimus erroneam de generationis naturalis negotio ipsum fovere hypothesin, cui innixus impossibile erat, ut de molæ natalibus benè sentiret, inde etiam subjunximus, *alias nos daturos causas, quæ Aristoteli diversè planè à nobis sentienti, non potuerint innotescere*, negavit enim quàm maximè *semen* muliebri sexui, & de *ovariis* ipsius nihil nôsse cupiit. videsis Prodr. Physiol. cap. VIII. Examinemus nihilominus ex superabundanti verba, quæ in problematibus habentur, & patebit ad nostrum institutum illa vel nihil vel parum faciisse, imò pariter ac priora obscuritatis plena esse: Ἀλλ' εἰ μὲν ἐκ τοῦ ἀρρενικοῦ τοῦ ἡμετέρου γέννημα ζῶον, τοῦ τὸ ἡμέτερον ἔκγονόν ἐστιν· εἰ δὲ ἐξ ἄλλου τινὸς, ἢ μέρους, ἢ ἀποκρίσεως, οὐχ' ἡμέτερον: γίνεται δὲ σηπομένων πολλὰ ἐκ τοῦ σπέρματος: è quibus verbis palam est, dictam de *semine genitali maris* sententiam fovere ipsum, & ex eodem putrescente fœtus alios deducere (hactenus haud distincte satis explicato, *illo alio aliquo nostro, ex excremento vel parte prodeunte*) inde etiam excrementa illa & putredines, non nostra esse asserere, ceu inferius explicat, quæ verba à *Censore* omissa heic addere consultum est: αἱ δὲ ἐκκρίσεις καὶ σήψεις οὐχ ἡμέτεραι ἀλλ' ἕτερά τις ἀλλότρια τῆς φύσεως ἡμῶν εἰσιν, οὐ γὰρ ὅσα ἐν τῷ σώματι γίνεται, τοῦ σώματος ἴδιόν &c. Et paulò inferiùs: εἰ δὲν ἐκ μόνου τούτου τῶν ἡμετέρων γίνεται ζῶον, ὀρθῶς ἂν τὸ ἐκ τούτου γινόμενον, ἔκγονον ἡμέτερον εἴη μόνον: καὶ ἐκ τοῦ σπέρματος δ' ἄντι ἄλλο γέννημα, οἷον σκώληξ σαπέντος, ἢ καὶ ἐν τῇ μήτρᾳ διαφθαρέντος, οἷον ἃ λέγει τέρατα. οὐκ ἔκγονα λεκτέον, ὅλως γὰρ ἐκ διεφθαρμένου γινόμενα, οὐκ ἔστιν ἐξ ἡμετέρου ὄντος γίνεται &c. Non multum heic litigabimus, an ex *semine corrupto* vermis prodeat, cùm hujus falsitas à nobis demonstrata sit alibi, neque an veritati congruum sit, ex *isto* secundum mentem *Archiphilosophi corrupto* monstra generari posse, multò minus an omnia *perspicuè* dicta sint, cùm ipse Vir Clariss. hæc verba generalia satis esse fateatur, & terminos obscuriores, qui Recentiorum experimentorum luce illustrari opus habeant. Quid verò opus obscurum servare, si illustrius habere possimus? vel cui bono, sensu sæpius extorto, illustre cum

obscuro

obſcuro obſcurum reddere? Homo fuit Ariſtoteles æq; ac alii, nec labi neſcius, quî, ſi peccavimus ex mente *Cenſoris*, anſam peccandi uberem nobis exhibuit: Præcipuè autem ignorantiam ſuam prodit Author dum ἀπροσδιονύσως, verba noſtra mutilatim allegat: *Hæc ipſa autem naturæ actio, quum à violento quopiam pervertitur, molæ generatio in procinctu eſt*: nunquid *violentum noſtrum*, quod in ſeqq. magis explicuimus, cauſæ materialis ex quâ generatur mola, & quam præcipuè Ariſtot. in verbis allatis ſpectaſſe perhibetur, vices ſuſtinere dicimus, vel ſibi perſuadet illeq; minimè gentium, ut necdum videamus quî in causâ generationis molæ, ſi problema dictum inſpexiſſemus centies, tam facilè convenire potuiſſemus: Ipſe quoque Cenſor agnoſcit, efficientis cauſæ violentum noſtrum naturam induere, & hinc malè ſe Ariſtot. effato liminaria noſtra ſubjunxiſſe, ceu eadem forent, vel in eundem ſenſum commodè trahi poſſent, confiteri opus habet. Qui verò impudentiam ſuam excuſabit, quod commodius vocabulum in locum humoris concoctu difficilis nos non apoſuiſſe, audacter effutit, cùm tamen ovi non maturi modo ſed fœcundati, è quo, ſingulis ritè & naturaliter ſuccedentibus fœtus aliâs prodit, mentionem ſæpiùs fecerimus, illudq; p. naturale, quod in molæ generatione ipſi accidit, deinceps illuſtrare tentaverimus, licèt non ad ipſius palatum: nec minus deteſtanda eſt *Obſervatoris* perfidia, dum ob errorem Typographicum, qui in voce conceptu pro concoctu, non nobis, Baſileæ enim Ephemerides Curioſ. non imprimuntur, ſed aliis Viris occupatiſsimis irrepſit, infidelitatis crimen imputat, ignarus ſe in eodem luto & gravius multo hærere cùm in finalibus illius paragr. ita: *An verò ipſius cauſæ firmioris imitantur columnis &c.* ut jam *humorem acrem* fibrillas ovi erodentem quem *humori incocto & crudo* ſubſtituit, & è quo ceu *Materiali* & principio immediato *Ariſtot. molam* deducit linquamus: Sufficit enim vel tyronibus in Chymiâ notum eſſe, *acredinem*, cruditatem & ἀνεπψίαν Philoſophi non neceſſariò involvere. Atque hactenus verbis quibus potiſſimum nos impetiit Vir Clariſſ ſatisfacere ſtuduimus, poſtulat jam inſtituti ratio ut ad rationes noſtras quas aggreditur, & (quâ bonâ methodo *ipſe* viderit) cum Ariſtotelis connectit, tantiſper attendamus: Præ omnibus verò ſatius fuiſſet, *Ariſtotelis fundamenta* primùm confirmare, ethinc noſtra quæ ſubſequuntur, fortiter convellere, ut ſic clarè & diſtinctè veritas pateret, quamvis termini de clarâ & diſtinctâ perceptione Ariſtotelico Galenicis perinde accepti non ſint? *Primò inquit Ariſtotelico Galenicus clarius & diſtinctius exponere poterit, quomodo ex concuſſione corporis, quæ ſæpè tam vehementer concitatur à paſſionibus hyſtericis, tenellæ genituræ vel ovi ut ipſe vult, fibræ & partes citius & certius rumpi poſſint, quàm à ſubtiliſsimis & inviſibilibus ideis à matre imaginante ad illas tranſmiſſis*, contrà quem hic pugnet non videmus, cùm enim ſpirituum humorumque concitatio-

nem, pro causâ efficiente abortuum æque ac molæ agnoscamus, quî possemus negare passiones hystericas eosdem effectus producere: videantur modo, quæ de humoralis massæ ἀνωμαλία in quibusdam fœminis molæ ratione adstruximus, in quibus ipsis passionum hystericarum aliarumvé formalem rationem, fortè distinctius attigimus, quam *Censor*, utpote quî ab *heterogeneo* irritante, sive circa uterum collecto, sive aliis in locis, aut spiritibus accrescente, motus ejusmodi spasmodicos deducimus commodius; ut taceamus acres ipsius vapores ex uteri inflammatione exhalantes, quos fibrillas ovi erodere & disrumpere author est, egregio experientiæ suæ fundamento; *futilis* sanè *ille* magis est, qui utero inflammato vel conceptum contingere, vel si contigit ante, ab utero facilè retineri ait: nec scimus quod pravæ conformationis uteri vitium *ille* intelligat, vel enim coangustatus est uterus prorsus, & ne conceptus quidem fiet, vel si recipi ovum potest, ejus expansioni resistere pariter non potest, ac molæ, quam ejus fibris compressis succrescere autumat: Ea quoque quæ in dissertat. de uteri vitio diximus, ab antecedentibus separanda facilè non sunt: injurius verò in *nos* est quam maximè, dum subtilissimis & invisibilibus ideis, quas satis intellexisse non videtur, à matre imaginante ad fibrillas ovi transmitti solitis nos deludere satagit, nec metuit dicere negare nos passiones hystericas conceptui moram injicere posse: Intemperiem frigidam & humidam, cui dictæ passiones sec. Vett. potissimum innituntur, respeximus, quæ utique conceptum impedire nequit, nec tam absurdi sumus, ut dum passionibus hystericis actu fœmina vexatur ipsam concepturam statuamus: quot verò sunt, viduæ, virginesvé quæ affectionibus hystericis, ex causâ satis notâ vexatæ, ubi maritantur liberantur & promptè concipiunt. *Secundum* quod regerit nos magnopere non ferit, nec multis respondere opus est, cum in dissertatione satis qui singula intelligamus, explicuerimus: id modo *Censorem* rogamus, ut rationes nostras & Aristot. mentem prudentius alias examinet: Prætexit *ille* menstrua, ceu causam infrequentiæ molarum in uteris brutorum, nos eandem copiam sanguinis ad *horum* uterum devehi, quæ ad fœminarum tempore conceptus solet, monstravimus, indeq; hanc rationem prorsus non sufficere, nî aliud lædens accedat: malè quoque crepat iterum *insensiles ideas*, quas per aëra volitantes, ipsius cerebrum vehementer turbâsse haud difficilè est conjicere: In *tertio* verò, quem in nos transverberat *Hercule*, dum circa finem sapere incipit, agnoscendo perfectionem rei non solùm in externâ figurâ, colore aut sapore definiendam esse, sed ad intimarum & minimarum particularum figuras, ordinem & situm, in humoribus esse ampliandam, desipit quam maximè ab initio: *Compertum habebit, quomodo certius ratione debilitati caloris menstrui sanguinis particulæ minus legitimè*

disponi

disponi possint, ad exiguos tenellarum fibrillarum poros subeundos, quam ex inertium idearum transverberatione &c. Etenim non negamus ob debilitatum calorem, (cujus speciale subjectum *Censor* non indigitavit) sanguinis menstrui quoque particulas minus legitimè disponi posse: ast *uteri calorem* constanter excludimus, & menstruorum suppositam concoctionem adhuc dum ridiculam credimus, imò risu dignum Vir. Clariss. si ad molæ generationem vel *hujus* vel etiam *sanguinis* calorem debilem absolutè requiri dicat, aut persuasum habeat adhuc *acrimoniam* semper imminuti caloris effectum esse, & tenellis ovi fibris molæ formam conferre: ut malè omninò non fecerimus, nec *Authori* in nos invehendi ansam præbuerimus, *scapham* scapham appellando. Cæterùm de rationibus nostris quas aggreditur, scire oportet; illas non unâ serie, sed per totam ferè dissertationem explicatas & illustratas esse, volumusque paucis, à violento spirituum humorumvé motu, variè utcunque succrescente & horum quandoque acrimoniâ, teneras ovi fibrillas primis præcipuè mensibus, facilè succuti, rumpi & rodi, sicque generationis negotium infringi, & monstroso vel indigesto chao sensim ansam suppeditari: *Numquid* inquit *Censor si rerum substantiam spectemus eodem redit: nam si motus caloris & effervescentiæ vitalis in ovo vel in genituræ est fortior, quàm motus ab idearum translatione impressus repercutitur, & consequenter ingenitus ille calor ovi, vel ejus effervescentia vitalis necessariò debet esse debilior, antequam illa violenta animi passio, vel perversa matris imaginatio, teneras concepta genituræ, vel embryonis fibrillas confundat, consequenter illud violentum imaginationis, affectuum, vel erosionis debet esse efficacius, quàm interna vis activa in ovo, sive illa vocetur calor naturalis, innatum calidum, facultas conformatrix, vel virtus plastica, equidem vera manet Artstotelica propositio, quòd ratione debilitati caloris fiat confusio in embryone teneriori.* Imò verò falsam esse *hanc ipsam*, nî meliùs explicetur, aut nos saltem non ferire, modò ostendimus: nec opus fuisset tot obscura nomina adducere, quibus Mens solidæ scientiæ cupida confunditur magis quàm eruditur, & in quibus illustrandis operam sæpenumerò perdimus, præprimis ubi *Galeno* vel *Aristoteli* sententiam affingimus de quâ ne per somnium quidem cogitârunt: Ejusmodi sanè homines, pro sui magis gloriâ quàm veritate certant: Nec est Viri docti aut prudentis, *Aristotelis Galeni* aliorumque præcepta ita venerari, ut ubi à vero deflexerint, falsa illa esse, aut fictitio vel futili inniti fundamento, dicere non ausit: Ecquæ libertas nostra foret, quam certis cancellis aliiscum includimus, si quod res est, profiteri non liceret? Num cæcam obedientiam Ethnicis his juravimus, quam tamen nec Christianis, quicunque demum fuerint, deberi firmiter credimus. Mox *Principium internum specificum* crepat, (quod, secus quàm ille arbitratur, in cit. verb. & seqq. explicuimus) vel potiùs *causam efficientem*, cujus ratione tam confusa massa procudatur,

cudatur. *Primò*, inquit, *nos præſupponere erroneum principium, quòd femellarum cum fœtibus, quos in utero detinent, conſenſio fiat per filamenta exigua in nervos verſus ſingulas corpuſculi partes protenſa. Secundo non tam clarè perceptibilem eſſe humorum acrimoniam, quibus tenella illa nutriuntur ſtamina, cùm in ipſis primordiis lacteo alimento in genitura concluſo tamdiu alantur, donec placenta ejusq; vaſa præparata ſunt, in quibus vitalis liquor à matre transfuſus de novo corrigitur*: Aſt præterquam quòd verba iſta ſenſu carent, cujus rationem nos noſſe ſeqq. monſtrabunt, craſſiſſimi erroris *Vir* accuſandus venit, qui fœtum, nec primis partium ſtaminibus conſpicuis, colliquamento primùm nutriri, poſtque demum per vaſa umbilicalia liquorem vitalem haurire confidenter ſtatuit, contra omnem Medicorum benè ſenſatorum mentem: Enimverò quî colliquamentum iſtud digerit, partibusque agglutinat, ſpiritu omni deſtitutus embryo? Novo quoque vocabulo *genituram* ſive *ovum* ſive *conceptum* appellat, cujus auctoritatem ex *Archiphiloſopho* non probabit: nec minus contradictionis accuſari poteſt, quòd *humorum acrimoniam*, quam in antecedentibus *Ariſtotelis* cauſa vehementer defenderat, jam dubiam faciat, præter rationem & experientiam: Sunt denique alia plura ſuperiùs interſerta, quæ prolixè heic repetere animus non eſt, ne Lectori faſtidium pariamus: Id addimus, videri nobis Authorem ſententiam de *imaginatione* & *ſpirituum motu*, *animique pathematibus*, quæ non tam noſtra eſt, quàm aliorum Virorum Clariſſimorum, non benè intelligere, aliàs cauſarum realitatem, quam Nobiliſſimus Pythagoras noſter eruditè adumbravit, in affluxu humorum ſolo non quæſiviſſet: nec ſcimus quid per *fortuitum ſpirituum motum*, & *illum qui dependet à nervis*, certò velit: poſſunt ſanè citra nervorum læſionem, ſpiritus ita concitari & ipſis cum humores, ut ſatis efficaces ſint pro partium in ovo confuſione pariendâ, quem effectum, nec *pellicula durior* impedire, neque *aquæ fœtus* obtundere poſſunt: Infantes ſanè in utero materno tantâ ſunt debilitate, tamque indigi, ut arctiſſimâ unione cum matribus illos conjungi voluerit Creator ſapientiſſimus: Et licèt ipſorum Mens à Mente Matris ſit ſeparata, cùm tamen ipſorum corpus ab ipſius Matris corpore non ſejungatur, utrumq; iisdem prorſus ſenſationibus, iisdemque paſſionibus affici poſſe cenſemus: imò eædem cogitationes, quæ in mente matris motuum corporeorum occaſione excitantur, in ipſis excitari poſſunt; ſuſpicamur tamen, ſtudio horum illuſtrationem præteriiſſe, quod difficile omninò eſt, ad exempla quæ in Diſſertat. attulimus, quorumque rationem pro viribus explicuimus, ex malâ hypotheſi reſpondere: Femellarum cum fœtibus conſenſum per continuationem *utriusq; nervorum*, quis unquam attigit? Certiora ex Anatome repetitâ, quam obſervat, iſtæ comprobant, edocti ſumus; ſufficitque ratione probè utenti, per indicibilem ſpiritus ætherei agilitatem ac pernicitatem

citatem, isthæc explicavi: Adversario verò nostro φαινόμενα in histor. allata exponenda sunt evidentius, si hanc spirituum consensionem exterminare cupit, possemusque vel hâc unicâ retorsione contenti esse: plura autem dicimus, & quidem 1. si sanguis matris per vasa appropriata ad cerebrum matris pariter advehitur, atque fœtus, (ut nemo inficiabitur) statuimus utrobique æthereum quod per vesiculas pulmonales accessit, à sanguine reliquo ibi secerni, spiritumque animalem potissimum constituere, id quod pro *communitate influxus* requirebatur. 2. Spirituum eam invicem esse affinitatem & nexum in gravidis, idque ex sacrâ lege quam Deus animantium bono sanxit, ut, si vel maximè per humorum concitationem consensum istum inficiaremur, ex determinatione tamen hac, spiritibus matris in vehementi contentione existentibus, similem spiritus fœtus inire, vel si mavis ab animâ, *illorum* occasione motâ, imprimi *hisce* possit, ceu supra attigimus: sufficitque ista spirituum per vasa ad uterum accursio, à quibus unà ferè sanguis exagitatur, cùm simili ritu ad fœtus interiora tendat, pro cerebro hujusque incolis, partiumque aliarum fibrillis miserè succutiendis: Motus autem isti oculis mentis intuendi potius sunt quàm corporis. Concludit tandem, *nos* non addidisse *quasnam præcipuè partes matris imaginatio pervertat, & acris humor erodat*: At ex cujuscunque graviori labe, magis adhuc principis malum pullulare posse, ex iis quæ diximus, unicuique ratione suâ utenti constabit: Explicat quoque ista fusius *Malbranchius* cap. 7. l. 2. Scrutin. Veritat. in quo generationem monstrorum accuratè excutit, & ad hunc evolvendum *Censorem* remittimus, ne prolixâ allegatione tædiosi fiamus. Nec vero, ceu jam innuimus, animus fuit integrum de *Molâ* &c. tum temporis tractatum conscribere, neque nunc ista pluribus excussissemus, nî monstrandum fuisset, insultus hujus Viri verbosos fuisse magis quàm Herculeos, nostræque causæ labis nihil intulisse, nedum honoris quidquam detraxisse apud æquos Veri Æstimatores: Quia autem difficultatem omnem *illius* ratione sustulisse se credit, simulque causas reddidisse evidentiores, quare bruta (quæ à molarum generatione nunquam nos liberasse, attente Dissertat. nostr. legenti patescit) infrequentius molam pariant, Examini perinde ut *ille* nostra, sed amico singula ipsius suo tempore subjiciemus: Non injuriosis Verbis ipsocum acturi, si in uno alterové hallucinatum fuisse deprehenderimus, sed sanæ rationis argumentorumque pondere, id quod *ipsum* pariter deinceps facturum confidimus; secus enim agenti respondere amplius jure detrectabimus.

Observ. XCIII.

Uteri pertinax inflatio post partum.

Anno 1683. d. 19. Junii Fœmina juvenis & robusta, cui gemellos parienti adstitimus, cùm pridie sub vesperam filiolam feliciter enixa esset, persistente abdomine prætumido, cessantibusque ferè enitendi doloribus, nostram efflagitavit operam, quam pro viribus præstitimus, fœtumque alterum, ruptis quibus adhuc involvebatur, membranis, divinâ freti gratiâ, pedibus prehensum eduximus, vivum adhuc, licèt dudum vitæ signa in utero non ediderit: Liberata ita ab onere misella, ni secundinæ totidem vicissim excretæ fuissent, nihilque in uteri cavernis reliquum deprehendissemus ipsi, gravidam se jurâsset adhuc, ob hypogastrii, uteri præprimis in hoc contenti, tumorem ac inflationem globosam, similem ut ante partum, quæ per plusculos dies imò septimanas pertinaciter substitit, non citra matris adstantium vé gravem metum: Meliora interim sperare jussimus, & cum ligaturâ tum aliis internis externisvé medicamentis convenienter prospeximus istiusmodi uteri distensioni, in usum hinc vocavimus fomenta, sacculos ex carminativis & discutientibus, unà cum injectionibus uterinis, internè verò Diaph. Martiale præcipuè exhibuimus, sicque malo sensim medelam paravimus.

Scholium.

Admirandam & æterno præconio dignissimam hominis in uteri inrioribus generationem, variis in locis jam explicuimus; satis tamen eandem speculari, minus laudare Naturæ providentiam nequimus, quæ ovulo delabenti angustum primum domicilium præbuit, ne fluctuaret miserè inter illius latebras, mox verò embryonis succrescentis regiam amplissimam constitueret: sanè ad stuporem usque rimati fuimus, ecqui tam pusilla tam angusta pars facto conceptu in tantam molem extendi ac dilatari possit, istamque difficultatem commodùm non expediissemus, ni fibrosa ipsius compages, plicæque in Virginibus, aliisque non gravidis, in quas etiam post partum redit, succurrisset; enimverò ejusmodi structuræ partes extendi queunt usque, fibrarumque motricium ope, expandentis excretionem promovent, ut sensim ad pristinam

aliiscum

aliiscum eamque arctiorem unionem redeant, primamque figuram recipiant: Interdum autem moles corporis contenti tanta est, ut fibræ supra modum extendantur, talesque aliquandiu subsistant, tantum non enervatæ, atque hinc etiam uteri in excludendo functio impeditur: tale quid cum vesicæ à lotii nimietate & diuturniore suppressione, imò etiam in cordis ab aëris vehementi inflatione contingere superius monuimus: Idem apud fœminam hanc accidit, cujus uterus à mole gemellorum ita secundùm omnem sui periphæriam expansus fuit, ut quamvis ab utrâque sarcinâ feliciter liberata fuerit, fibris tamen ejus admodum tensis ac labefactatis, cadente quasi potentiâ contractoriâ, aliquandiu inflatus distentusque permanserit, donec cum fasciatione, ceu adjutorio quodam, simulque medicamentis emollientibus & blandientibus nervinis externis & internis, sensim ad pristinæ figuræ recuperationem fuerit dispositus ac deductus: Interdum distensionis ejusmodi durantis causa aliqua in utero stabulari solet, viz. secundinæ integræ non rejectæ, ceu jam sæpius animadvertimus, vidimusque iisdem, sive sponte, sive medicamentorum emollientium, injectionum præcipuè ope, exclusis atque eliminatis, istud incommodum cessisse: in puellis ejusmodi hypogastrii prominentia paulatim vires acquirens, mali plerumque est ominis, quod Virginitatis amissæ suspectas reddit: Sunt tamen quæ istam hominum injuriam insontes incurrunt, hancque sexus sui miseram sortem vitæ dispendio non rarò luunt, dum causa ventris tumidi, totam machinam sensim destruit: Exemplum istius ex Celeberr. Baumgarteri, Archiatri & Senatoris Sangallens. Gravist. literis heic addemus: Rem miram, inquit, quam hic 14. mens. August. An. 1676. vidimus, addere operæ pretium est: Puellæ 30. annorum, à quatuor annis in magnam molem excreverat venter, gravida primis mensibus, molâ post nonnullis, hydrope uterino aliis laborare videbatur, tandem suffocata periit: Cadaver aperiendi mihi copiâ factâ, in utero aut saltem abdominis cavitate, causam tumoris esse nemo dubitabat: sed quid fit? dum musculos abdominis à peritonæo separare conor, integerrimo adhuc peritonæo, erumpit maximo cum impetu aqua turbida & cœnosa, quinquaginta mensuras excessisse, ii qui viderunt Medici & Chirurgi unanimi consensu affirmant: hæc inter musculos abdominis & peritonæum collecta erat, & peculiari membranæ, rugosæ intus instar tunicæ interioris ventriculi, & multis fibris carneis intertextæ inclusa. In fundo illius sacci, alius tumor erat, similis illis, quos steatomata vocamus, caput infantis superans, multa in illo pinguedo, nonnihil aquæ illius turbidæ, & aliquot vesicæ plenæ aquâ limpidissimâ: uterus planè naturalis, nihilq; p.n. situ tantum viscerum ob compressionem ab aquâ mutatus: hæc ille, quæ oppidò cum historiis de hydrope ovarii tubarumque muliebrium conferri merentur.

Observ. XCIV.

Umbilici inflatio & pervietas.

Ann. 1683. Infantulus νεογμός, tribus post partum septimanis, cruciatibus circa umbilicum atrocibus affici cepit, cõparente tantillo rubore, & hypogastrii tensione insigni citra ulterius mali indicia: suasimus hinc ut regio hypogastrii ol. rosar. chamom. hyperic. &c. inungeretur, & calidiusculè applicaretur sacculus ex fl. sambuc. chamom. sem. lin. & croc. lacti incoctus, bis tervé de die, quibus ita usurpatis, brevi post per umbilicum materia purulenta & cruenta effluxit, cui transitum præcludi noluimus, usque dum dolor & tensio illic loci penitus remitterent, huncq; ob finem unguentum rosatum cum diapomphol. mixtum in usum vocavimus, quibus reliquum materiæ detersum, viæque deinceps consolidatæ fuére.

SCHOLIUM.

Verissima esse quæ Cous l. 3. Aphor. 24. asseverat: ἐν ᾗ τῇσιν ἡλικίῃσι τοῖαδε συμβαίνῃ, τοῖσι μὲν σμικροῖσι καὶ νεογνοῖσι παιδίοισιν ἄφθαι, ἔμετοι βῆχες ἀγρυπνίαι, φόβοι, ὀμφαλὸς φλεγμοναί, ὧτων ὑγρότητες, experientia certissima rerum magistra docet, utque de prioribus nihil dicamus, symptomatibus longè frequentissimis, umbilici inflammati elegans heic sistimus exemplum, cujus causam Galenus comment. in cit. aphor. umbilici præcisioni attribuit, quam licèt inficiari omninò nolimus, pars tamen funiculi umbilicalis sensilis adeò non videtur, quæ ob sui in recens natis præcisionem, inflammationem ilico concipiat: aliam eamque satis crebram mali hujus causam in scenam producimus, sanguinis viz, in fœtu edito intempestivam versus interiora vasis umbilicalis propulsionem, ne quid, uti imperitæ obstetrices ogganniunt, liquoris vitalis ipsis surripiatur: Fit hinc ut funiculo à placentâ jam liberato, sanguis jam grumescens, aut ad grumescendum dispositus, inter vasorum interstitia hæreat, ibidemque moram nectendo putrescat, & symptomata non levia infantulis inducat, usque dum per vias adapertas denuò excernatur, quas aliàs provida natura statim occludere solet, utpote à functione suâ vasis jam liberatis, & cum in hepatis tum vesicæ ligamenta facessentibus: Recludit tamen illas eadem non rarò, ceu testantur abscessus per ipsum umbilicum vacuati, ex musculorum abdominis rectorum inflam-

inflammatione: pariter etiam per urachum aliquando arenulæ excretæ fuerunt, non exiguo pervietatis ejus fundamento, quàm in humano fœtu Viri Eruditiſſimi in dubium vocare auſi ſunt: Notatu ſanè digniſſimum eſt, quod hiſtoriæ hujus ratione nobis Venerandus p. m. Senex Sponius impertiit XI. Maji An. ſupr. cit. Viæ, *inquit*, mentio à te facta, propter affinitatem in memoriam mihi revocat, rem olim Pariſiis factam, atque à me obſervatam, in cadavere publicè diſſecto Viri cujusdam prærobuſti patibulati, cui diſſectioni præerat tunc Mag. Helias Beda, Doct. Med. Pariſ. Cùm vaſa umbilicalia perluſtrarentur, & inter alia urachus ab umbilico ad veſicam uſque per longitudinem diffinderetur, non paucæ arenulæ in ipſius urachi interiori receſſu nidulantes deprehenſæ fuerunt &c. Mirum ſanè negotium, arduumque dictu utrum ætate demum adoleſcenti particulæ iſtæ illuc depoſitæ fuerint, an verò à matre calculoſa ejuſmodi cum ſucco nutritio hauſerit, quas per urachum cum lotio eliminare ſtudioſa natura ſategerit, hærentibus poſt partum reliquiis quibusdam in ejus anguſtiis, quod ultimum fortè probabilius eſt, cùm poſt partum demum generatis aggeſtisque patentior per urethram illas excernendi via naturæ patuiſſet.

Observ. XCV.

Spaſmus flatulentus inſolitus.

Puella 14. circiter annorum, ſub finem menſis Febr. 1682. cùm ægrorum curæ in orphanotrophio intenti eſſemus nos convenit, remedium efflagitans pro ſpaſmo ſatis doloroſo, quo nudius tertius manus ejus dextra prehenſa fuit, & etiamnum affligebatur: malum contemplantes, digitos omnes rigidos reapſe & difficulter flexiles, ceu tetano correpti eſſent, non ſine ſtupore invenimus: præſcripſimus hinc fotus ex herbis nervinis & emollientibus, ſalv. origan. fl. ſamb. chamom. hyper. camphor. croc. aliisque in vino decoq. quibus ter quatervé de die uſurpatis hoſpes hic rurſum exulavit.

SCHOLIUM.

De motibus convulſivis ſuperius dictum eſt, monſtratumque quid muſculis illorum ratione accidat: Ad convulſionem Tonicam, ſpaſmum flatulentum Practici referunt, cujus pertinacioris exemplum heic proponimus, ab irritante, muſculis digitorum motoribus haud dubiè

biè penitius infixo oriundum, unde etiam ſpirituum contentio continuata fuit, quibus perpetim elatere ſuo fibras diſtorquentibus, rigidæ illæ perſtiterunt, etiam præter animæ voluntatem, contigitque heic τετανώδης in manu affectio, qualis in catalepſi univerſas ferè corporis partes affligere ſolet, de quâ alibi dictum eſt: Patet ſanè in ejuſmodi muſculoſarum partium ſymptomatibus, ſpiritus animalis ætherea natura, quâ in momento, pernicitate ſtupendâ, in ipſarum fibras poroſas ſe expandit ac aliquandiu detinet, nî irritans materia tollatur, cujusmodi particulas rigidas aliterque aculeatas frequenter obtinet, quæ ubi tenuiores ſunt, promptiusque diſſipari aptæ, ſpaſmo leviori, contra ubi condenſantur, profundiusque impinguntur, graviori ac diuturniori anſam præbent, cui dehinc medicamentis diſcutientibus ac emollientibus, balſamicis ac nervinis medelam parare neceſſe habemus: Alias affectio iſta Ebrioſis, aliisq; ad Arthritidem inclinantibus familiaris eſſe ſolet, in quibus dictæ particulæ irritantes uſque cumulantur & præſtò ſunt: Virum novimus Illuſtrem huic malo adeo obnoxium, ut nuſquam ferè ab illius inſultu tutus fuerit, affligebatque maximè muſculos colli & thoraci incumbentes, in quo irritantis fomitem aliunde quàm à malâ victus ratione, quâ ſalſa adamat gelidæque potum, deducere non valuimus: Huic proficuæ fuerunt Thermæ Badenſes noſtræ, ad quas aliis de cauſis ipſum remiſeramus: commendavit quoque anulos ferreos ex circulis catenæ patibulatorum confectos, quos ceu ſpecificum ad ſpaſmum flatulentum remedium plurimi laudant, quarum occultam vim, forte vel inanis ſuperſtitio aut compreſſio ſubſequens efficit magis quàm certa effluvia ex ipſorum poris emanantia, quæ nondum ſatis capimus: aliàs incipienti in muſculis motui voluntario deſtinatis ſpaſmo extenſione partis validâ contranitentes, ſpiritus animalis motum aliter determinamus, utq; ab elaſi ſuâ in fibris primi deſiſtât efficimus.

Obſerv. XCVI.

Pleuritis à febri verminoſa.

Filiolus quatuor & quot excurrit annorum, benè coloratus, vegetus & alacris, d. 22. Mart. Ann. 1686. præter rationem ſubtriſtior incedit, pulſus paulò frequentior eſt, color faciei pallescit, cùm multâ in ſomnum propenſione: rogatus ubi malè habeat, nullibi reſpondit: Exhibemus ſub veſp. C.C. philoſ. ppt. gr. 15. à quo parùm ſudavit, juxtà paramus julep. alterantem: Noctu febris valdè ingraveſcit cum multâ trenſatione & oppreſsione, inquietudine & reſpiratione crebrâ, ſiti item & tuſsiendi frequentiâ, quam comitabatur dolor circa coſtas inferiores nothas lateris

ris dextri punctorius, atrox: injectus fuit clyſter ſed citra ſucceſſum: d. ſeq. manè, perſiſtente calore exquiſito cœterisque ſymptomatibus, præcautionis ergo ſanguinem in brachio dextro ad ℥iv. mittimus, eductus hic laudabilis quidem fuit coloris, ſed ſpiſſus & tenax: paratur mixtur. ex bland. diaphor. per cochlear. ſumenda, & decoct. ordinar. ex raſur. C.C. nitrum ſaccharatum miſcetur: circa meridiem angi incipit, febrisque exacerbari, quæ ſuperveniente ſudore remittit: circa noctem eadem redit cum trenſatione moleſtiſsimâ, pulſus celer admodum & frequens, ſitis intenſa, genæ igneæ: ſiquidem alvus non reſpondit, injicitur clyſma addit. Elect. lenitiv. & mell. mercur. dejicit hinc binis vicibus copiam materiæ fœtidiſsimæ, exhibetur pulv. ex reſolventib. & diaphor. inquietus fit, trenſat & incaleſcit, ſingultit cum dolore quem circa ſcrobiculum cordis & coſtas nothas inferiores monſtrabat. Ventriculi regio tenſa fuit: circa mediam noctem denuò dejicit maximè flatulenta: poſt melius habere incipit & febris remittere. Nares admodum pruriunt: offertur hordeatum quod ſumit: ſomnus blandior obrepit: circa nonam matutinam diei ſeq. calor deinceps exacerbatur, ſed citra tantam trenſationem, idemque circa primam pomeridian. ceſſare cepit: Urinæ ſaturatæ ſunt, pergitur in mixtur. diaphor. quam potui ordinario (quod ad medicamenta difficilis jam fuit) miſcuimus: circa ſextam veſpertin. nova phlogoſis ſed remiſsior ingruit, hordeat. jam comedit, nec tantopere ſitiit, d. poſtero melius habuit, nocte ſatis quietâ exiſtente, pulſus tamen adhuc frequentior: urinæ hâc die turbari ceperunt cum ſedimento viſcido copioſo: perrectum in iisdem, offam petiit hâc die ſæpiuſculè: ſub noctem inquietudo aliqua acceſsit, cum calore, ſed non acri, quæ circa medium noctis deſiit: alvum ſollicitavimus ſuppoſitor. commun. ſed fruſtra: altero manè injicitur clyſt. ex lacte, à quo dejecit fæces cum materiâ viſcidiſsimâ: exhibetur bis de die ℈j & ultra Raſur. C.C. cum butyro: pulſus ſenſim ad ἀποῤῥεξίαν devenit, ſitis imminuitur, appetitus redit, urgente tamen narium pruritu: d. ſeq. benè habuit, lumbricum adſtantes in ægroti lectulo reperiunt: exonerat hinc alvum cum lumbricis copioſis: pergitur cum Raſ. C.C. triduoque abhinc ſyrup. fl. perſic. aqu.

ſic. aqu. cinnam. dilut. purgatur, à quo lumbricos rurſum dejecit, indeque ſenſim convaluit.

Observ. XCVII.

De Lumbrico, Faſcia lata dicto.

Petrus Ritter duodecim & quot excurrit annorum Ann. 1681. ſub initium Maji, cùm antè ſatis bene haberet, victuque parili cum cæteris in orphanotrophio uteretur, citra evidentem cauſam, inſignia ventris tormina ilico perſentiſcere cepit, cum vehementi hypochondriorum diſtenſione, quæ nunc remittebant, nunc fortiùs ingruebant: Biduo poſt per alvum excrevit corpus albicans, teres, ulnarum trium longitudine, non ſine animi conſternatione & ſodalium qui adſtabant admiratione, unà cum miſello inteſtinum excretum eſſe arbitrantium, uſque dum examine à nobis inſtituto faſciam latam eſſe audirent: Noſtrates vocant ein Bändelwurm.

Observ. XCVIII.

Lumbrici per urinam & nares excreti.

Puer undecennis An. 1681. Menſ. Novembr. graviſsimis in hypogaſtrio doloribus divexari incepit, quibus Excellentiſſ. D.D. Burcardus Prof. heic Celeberr, vario medicamentorum genere occurrere ſtuduit, illos tamen prorſus compeſcere non potuit, quin miſellus animalculum vivum, corpuſculo ſummopere infeſtum, deliteſcere (ob ingentiſsima tormina) aliquoties ingeminaret, nec ineptè, licet fortè minus ex arte, ſiquidem poſteà vermem cum lotio excrevit, antennis pedibusq; horridum.

Aliter figurati fuerunt illi, quos malè feriata quædam per nares excrevit, quorumque mentionem aliquam injecit Excell. Celſus noſter An. 1. Decur. 2. Ephemer. Rem omnem uti ad Nobiliſſ. Pythagoram d. 7. Jan. 1682. perſcripſimus, heic enarrabimus: Nuperâ ſeptimanâ, (ita ferè orſi ſumus) Mulier impudica, quæ pridem lue Venereâ laboravit, ab eâdem feliciter liberata, Vermes aliquot præcedentibus atrociſsimis doloribus capitis & fœtore

fœtore narium insigni, per nares citra sternutationem, vel præviam nauseam aut vomitum excrevit, albos, oblongos, pedibusque asperis minus horribiles: ubi isti delituerint, & an à capite prodierint, certò divinare non possumus, cùm longiores videantur: & aliquando similes vomitu ejecerit: Id tamen adstantes confirmârunt, vidisse se in narium cavernis vermes fluctuantes, sensimque ex iis prorepentes, quos dehinc facili negotio ipsa extraxerit, &c. unde de antro ipsorum super narium cavernas magis suspicari aliqua incipimus, facilè tamen meliora docenti obtemperabimus.

SCHOLIUM.

De lumbricorum ovis, & in corpore nostro generatione, unà cum Excellentiss. CELSO aliquando prolixius egimus, possuntque hac de re videri Epistolæ, Dissertat. de partib. genitalib. cochlear. annexæ: semina sanè vegetabilium Cerealia, & in specie secalina & triticea, vel immediatè in pulte farinaceâ, vel mediatè cum pane comesto ingesta, imò & alia edulia multa, seminali horum insectorum contagio imprægnata sunt, quæ dehinc non subacta à fermentis ventriculi & intestinorum, & unà particulis chyli crassioribus immista, nunc in intestinis hærent, mucoque horum viscidiore, quem illæ fovent augentque, ceu nido proportionato fruuntur, nunc cum iis, quod tamen infrequentius esse arbitramur, vasa lactea, sanguinisq; oceanum subeunt, & ad partes varias vehuntur, ubique accedente calore loci motuque congruo, exclusionem sui datâ occasione expectantia: Et de *illo* quidem febres verminosæ ac lumbrici ab infantibus puerisvé, diætâ non usque ordinatâ utentibus, sed pane sicco fructibusque horariis gulam multam oblectantibus, quibus digerendis & secundum omnes suis particulas subigendis, menstrua dictarum partium, quamvis pro ratione ætatis satis activa, usque non sufficiunt, quin cumulatis particulis viscidioribus, de quarum copiâ pituitosa ac mucosa fœtida, in historiâ priore nominata unà cum lumbricis, ut & tænia in histor. 2. testari potuerunt: de *hoc verò* testantur vermes in visceribus internis generati ac Anatomicorum industriâ deprehensi, præprimis autem, iidem per urinam excreti: nec enim veri simile est animalcula ejusmodi in intestinis generata, oscula lacteorum ingredi, hincque continuato itinere ad renes pervenire èq; his post prævios atrocissimos dolores eliminari: Fuit sanè vermis iste similis illi, quem *Plutarchus* Sympos. L. VIII. qu. IX. scribit ab hospite suo Athenis cum multo semine excretum fuisse: θηρίδιον λευκὸν, καὶ πολλοῖς ποσὶ ταχὺ βα-

ἕλμινθον: Ita quoque meminimus in Renibus caninis idem animalculi genus nos deprehendiſſe, & Clariſſ. *Rhaſes noſter* exemplum ſimile Ephemeridib. inſeruit, cujus apud nos mentionem ſæpius injecerat: Propius huc accedere videtur Res monſtroſa per urinam excreta, de quâ Diſſert. Philoſophico Medicam conſcripſit Dominicus de Marinis, Doct. Med. Roman. in 12. ubi corpus quoddam teres ac membranaceum, per urinam à Capuccino quodam excretum delineatur, longâ adjunctâ diſcuſsione, tale corpus neque grumum ſanguinis, neque polypum, neque ſerpentem, (quæ ſingula in microcoſmo non rarò reperiri fatetur,) quin imò lumbricum, eumque monſtroſum fuiſſe exiſtimat: Hæc ipſa autem Lumbricorum diverſitas in ſpecie, ovulorum à diverſis inſectis ſeminibus eduliisque vulnere inflicto aſperſorum varietatem arguere videtur: quam jam prolixius rimari conſultum non eſt, inprimis quod noſtram Hypotheſin Illuſtriſſ. D. Redi de generat. Inſector. tract. optimè confirmat: Equidem Lumbricorum ab infantulis communiter excerni ſolitorum, ſemina ferè cum pulte hauriri, ſeminibusque ſupra nominatis ineſſe, in confeſſo eſſe arbitramur: Tæniarum verò ovula, cujuſmodi unam longitudinis ulnarum Gallicarum novem, ab anu pauperculâ, ventre aſciticum in modum inde intumeſcente, excretam vidit ὁπάνυ καὶ νῦν ἐν ἁγίοις Carolus Sponius, à quo inſecto deponantur, cuiq; edulio præcisè aſpergantur, dicere certò jam non licet, quamvis in ejus ortum, ſive mavis, Parentes inquirere opus laude dignum cenſeamus, ipſiq; conſtituerimus illi horas ſubciſivas impendere: In canum moloſſorum maximè, inteſtinis ejuſmodi vermes cucurbitinos, capitello exiguo, reliquoque corpuſculo ex innumeris quaſi circinnis formato, ſæpenumerò reperimus, quibus cum anologiam habere faſcia lata videtur. De Vermibus per nares excretis lis major nobis ſuborta fuit, viis quibus ovulum illuc deveniat, non adeò patulis exiſtentibus: Nota ſunt, quæ cùm Nobiliſſ. Redi de Vermibus in capitibus vervecinis, cervinis &c. ubique peculiaribus reperiri ſolitis commemorat, tum experientia confirmat, quorum ovula aut per vulnus inflictum intra ſinus oſſis frontis ibi deponi, vel per alias vias eodem trahi aut devenire neceſſe habent: Inde certè nata nobis ſupicio fuit, in maleferiatâ hac feminâ idem contingere potuiſſe, placetque hinc eruditas Nobiliſsimi Pythagoræ noſtri Reſponſorias apponere: *Pro hiſtoriâ de vermibus per nares excretis, gratias Tibi ago maximas: Illos intra ſinus oſſis frontis ſupra oſſa ſpongioſa genitos fuiſſe judico. Profectò brutis hic loci vermes ſuccreviſſe aliquoties notavimus, canibus præcipuè & ovibus: Idem accidiſſe impuræ huic Mulieri teſtatur fœtor narium: Lumbricos autem vomuerit aliquando licèt, tamen quos naſo nunc edit vermes, è ventriculo non ſunt: Rectâ enim regiaq; viâ per os egrederentur potius, quàm per narium anguſtias; Nec facilè fieri poſſet, ſi per gulam aſcenderent, quin agra id ſentiret.*

ſentiret. Quibus demum frons verminat, ii à capitis dolore nunquam ſunt immunes, ſed ingraveſcit ille maximè cùm latens reptile molitur exitum, ſenſu enim pollent & abundant nervis naſi penetralia, ut non poßint non ægrè ferre violentiam: Legi denique merentur quæ togatorum doctiſſimus Varro ſcripſit l. 1. de Re Ruſt. c. 12. in locis paluſtribus ſæpicule animalia quædam minuta creſcere, quæ non poſſint oculi conſequi, & quæ per aëra intus in corpus per os ac nares perveniant, efficiantque difficiles morbos: Quid nî ex talium animalculorum ovulis tum in ovibus tum aliorum animantium capitibus depoſitis, tractu temporis varii vermiculi excludi poſſent? Verba ſunt Celeberr. *Sponii* Patris: De cœtero atrociſſima, eaque ſæpè funeſta ſymptomata inducere, fœtus hoſce, cum viſcido in quo ſtabulari amant, quotidie edocemur, & præſentes hiſtoriæ uſque confirmant: An. 1686. puer novennis ſubitò de cardialgiâ conqueri, capitisque dolore & vertigine cepit, cùm pridie bene habuiſſet; obambulat tamen, ut Parentes inde minus ſolliciti fuerint, poſt prandium ſimul & ſemel in deterius labitur, vertigo incrudeſcit, caput artusque ſuccutitur, oculisq; torvis Matrem aſpicit: Accerſimur confeſtim, ægrotulumque materiam viſcidam evomentem invenimus: Exhibetur ilico bolus ex Diaſcord. propinatur cochleare unum alterumvé mixtur. antepilept. & injicitur clyſter. à quo fœtidiſſima dejicit: remittentibus ſymptomatibus vermes ilico ſubolfacimus, inde pulverem noſtrum anthelminticum d. ſeq. exhibuimus, à quo ſubſequente vomitu binos per os excrevit cum Ἀφορίᾳ: Nec leviora mala pepererunt in filiolo noſtro, adeò ut pleuritide verâ ipſum prehenſum iri metueremus: enim verò à communicatis maſſæ humorali miaſmatibus putridis unà cum chylo ex inteſtinis per vaſcula lactea accedentibus febrilis motus ſuſtentatus auctusque fuit, ſpiritus autem animalis ab iisdem inteſtinorum ventriculorumque fibrillas aggredientibus, irritatus, unde ſpaſmodicè affectis iiſdem, anxietates, trenſationes & inquietudines ſubſecutæ ſunt, imò unà patientibus peritonæi & membranæ muſculos abdominis, transverſum præprimis & obliquum interiorem, inveſtientis fibris, quas ejusmodi effluvia comodùm vellicare ſolent, dolores circa coſtas nothas inferiores pungitivi ſuborti ſunt unà cum tuſſicula ſiccâ, à fibrillis œſophagi & tracheæ per confinitatem nervorum viciſſim ſtimulatis: Propenſio verò in ſomnum, ſi exhalationes ſulphure fœtido prægnantes, àque vermibus & materiâ verminosâ prodeuntes, ſpiritui animali nocivas, imò deleterias agnoſcit, ſanguini tamen tenaciori ac viſcidiori plerunque, licèt in vehementiorem motum agi incipiat, indeque vaſa opplendo comprimenti tantiſper corticem exteriorem cerebri, ſimul adſcribi poſſe videtur: Subſiterunt iſta aliiscum ſymptomatibus, donec medicamentorum ope diaphoreſin ſubinde promoventium, viſcidum verminoſum ex parte ſolu-

tum, particulæ maſſæ humorali impactæ ſubactæ & infractæ, tandemq; lumbrici ipſi unà per alvum eliminati fuére: Ven. Sect. verò ideò potiſsimùm inſtituimus, ut ſanguini ſtagnaturo obicem tolleremus, præcaveremusque veram Pleuritidem, quæ tum temporis plures cujuscunque ætatis invaſit, & frequenter à ſanguine tenaciore & ad hærendum apto produci conſuevit: de vermibus in carne emortuâ ſenſim pullulare incipientibus, quorum ſupra hiſtor. de ἀναθησίᾳ artuum inferiorum meminimus, negotium expeditu adeò difficile non eſt. expendentibus nos ipſorum ſeminia cum eduliis tam frequenter ingerere, & ſanguinis lymphæque motum in ejuſmodi, ſpirituum influxus penuriâ admodum torpeſcere & ſtagnare, eſſeque viſcidi talis intra muſculos ſubſiſtentis ac putredinem concipientis focum longè aptiſsimum, pro iisdem ſuſcitandis, quibus dehinc nullâ ferè induſtriâ obicem ponere poſſimus. Quæ inſuper ſymptomata alia lumbrici rodendo ac vellicando variis in locis partes ſenſiles parere ſoleant, cùm in hiſtoriis dictum eſt, tum è Practicorum libris Hollerio præprimis p. 420. colligi poterit: Nobis iſta delibaſſe ſatis eſt.

Observ. XCIX.

Hiſtoria Infantuli Epileptici, ex inteſtinorum tenuium eroſione & gangranoſi.

D. 5. April. vocati fuimus ad Infantulum trium ſeptimanarum, qui miris vexabatur ventris torminibus ab ipſo ortu: quibus ab initio mulierculæ ol. amygd. dulc. cum ſacchar. occurrerunt: poſteaquam verò malum magis ingraveſcere animadverterunt, noſtram implorârunt opem: Omnibus probè exploratis reperimus torminibus incipientibus, ſpaſmodici quid ſecundum fibras œſophagicas accidere, à quo deglutitio impediatur, & miſellus ſingultientis inſtar clamitet: dejiciebat viridia odoris acris, appetitus proſtratus fuit, ſitis intenſa. De iracundiâ Matris cum aliquâ ex parte nobis conſtiterit, magis de diætâ tempore graviditatis percontati fuimus, quæ ſatis inordinata fuit, dum carne ſuillâ & braſsica capitata ſalitâ (noſtrates vocant **Saurkraut**) admodum palato blandita fuit: Præſcripſimus antepileptica nervina, abſorbentia & præcipitantia, atque externè Balſ. de Peru & ol. nuciſt. ventricul. proſpeximus, matri quin etiam tragema ſuaſimus ex ſpec. diatrag. frig. gumm. arab. ocul. cancr.

cancr. ppt. raſur. ebor. corall. rubr. ppt. cum ſach. roſ. tab. Verum enim verò biduo poſt convulſiones evidentius comparuêrunt, dum emiſso prius flatu ſonoro, in faucibus difficultas major incruduit, & manus pedesque variè contremuerunt, injectum clyſma ex lact. vaccin. cui additur ol. rut. cum ſale tartari & ordinat. mixtur. antepil. aſt nequicquam his effectum, minus aliis à garrulis mulieribus hinc illinc allatis, quin imò convulſiones tanto impetu miſellum prehenderunt, ut mirari ſubierit maximè, qui tot armatis tamdiu reſiſtere miſellus potuerit, ſi quidem poſt decimum demum diem, corpuſculo verè enecto, fatis ceſsit.

Secuimus cadaverculum præſentibus Vir. Præſtantiſſ. D. Ritz. Affine noſtro Pharmacopolâ, & D. Paſſavant Chirurgo: Abdomine aperto inteſtina admodum erant diſtenta, craſſaque cum tenuibus materiam viridem, grumoſam, qualem invivis cum torminibus acerrimis ſæpius excrevit, monſtrârunt: Inteſtina tenuia heic illic qualemcunque ruborem conceperant, præprimis autem ſub finemilei ad aliquot ʒ manifeſtam gangrænoſin deprehendimus: Cæcum parvulum inane & vacuum, à labe immune fuit, hepar ſubpallidum: Veſicula fellis bile ſubviſcida & viridi plena, pancreas duriuſculum, eâ etiam parte, quâ duodeno nectitur: Meſenterium & renes, qui bubulis ſimiles erant, laudabiliter habuerunt, nec pulmonibus quidquam vitii inerat, quin tenerrimæ veſiculæ egregiè in his conſpicuæ: Cranii ſuturæ, anterior & poſterior, inſigniter ab invicem dehiſcebant: ſanguinem quoque extravaſatum cranium hic, illic monſtravit: cerebri meninges huic aliquo modo erant adnatæ, quibus diſruptis modicum ſerum promanavit, quale concretum in cortice quoque hinc inde notavimus, cum ſanguine grumoſo & extra vaſa ſtagnante, haud dubiè ab hujus motu, ita graviter infeſtantibus motibus ſpaſmodicis impedito.

Observatio C.

Convulſiones interpolatæ in infantulo teſticulus in ſcroto deſtituto.

D. 15. April. 1682. cultrum injecimus infantulo 7. menſium, matre hypochondriaca pronato, quæ tempore geſtationis præcipuè, animi pathematis vehementioribus ſæpius ſe vexari paſſa eſt: miſellus hic cum primis menſibus bene haberet, parentibus haud parvam ſollicitudinem creavit, quod ſigno maſculo in ſcroto caruit, inde deterius habere incipiens, reſpiratione anhelâ, voce clangosâ, & abdominis intumeſcentiâ ſubitâ, quam flatus ſonori erumpentes quandoque præceſſerunt, matri gravioris doloris cauſa extitit, uſque quaque tamen diu non iſthæc durabant, licet in die ſæpius interdum, interdum rarius redierint: Cauſa mali humori acri, irritanti per vices fuit attributa, ſtagnanti circa ventriculum præcipuè & inteſtina, atque ad hanc medicamenta præcipuè fuère directa: Ægrotulo ad ſe redeunte, alimentum porrectum gratum fuit, ad ultimos ferè dies uſque, quibus ſymptomatibus iſtis mirè reiterari incipientibus corpuſculum magis indies delaſſatum fuit, tandemq; penitus ſuccubuit. Abdomine quod faciem externam tumidam & lividam oſtendit aperto, ichor modicus fœtidus prorupit: Hepar grandiuſculum ſatis erat, in ſuperficie nigricans, reliquâque parte cavâ admodum corruptum. Veſicula fellis cum ductu hepatico, bile ex atro virideſcente plena fuit: Inteſtina tenuia variis in locis ab humorum acrimoniâ inflammationem paſſa fuerunt, citra gangrænoſin tamen: In cæco nihil delituit vel humoris acris, vel p. n. Meſenterium glandulas rutilas hic illic oſtendit, lieni itidem corrupto, adjacebat glandula ovalis minuta: pancreas laudabiliter habebat: Renes quaſi ex pluribus lobulis conflati, quorum alterum etiamnum in ſp. vin. cuſtodimus: Teſticuli inguina non egrediebantur, quin his adnati hærebant, unde etiam in ſcroto illos animadvertere nusquam licuit: Pulmonum lobus, ſiniſter, inferior à ſanguine ſtagnante corruptelam evidentem contraxerat: Corculum ſatis magnum pro ætate, auricula dextra ſanguine grumoſo turguit, & in ventriculo dextro polypus majuſculus hæſit.

SCHOLIUM.

Infantulorum affectus multiplices eruditè enuclearunt, cùm Celeberr. Sylvius, tum Excellentiſſ. Ettmüllerus, Valetud. infantil. Inter hos crebrior

crebrior ſanè nullus eſt quàm Sonticus, qui propterea παιδικὸν πάθος κατ' ἐξοχὴν ab Antiquis ſalutari meruit, cui occaſionem non ultimam improbior matercularum diæta, dum vel animi pathemati graviori, iræ præprimis, vel acidorum plurium eſui etiam cùm gravidæ ſunt, ſæpius indulgent, unde ſanguini ſuccoque nutritio hinc permiſto, vel lacti noxia qualitas abunde conciliatur, quâ aculeatis ſalſacidis particulis fibrillæ nerveæ ventriculi & inteſtinorum teneriorum, mucoque obmuniente nondum ſatis veſtitorum, indeque etiam ἡ ῥίζωσις nervoſi generis ætatulæ tam delicatæ vellicantur, inque ſpaſmodicas conſtrictiones ſenſim aguntur, præcedentibus tantiſper torminibus, flatibusque ſonoroſis, deglutitioneque ex conſtrictis œſophagi fibris impedita, quibus & nervi intercoſtalis, ob ramorum cum ſurculis vagi ſuperius citatâ in abdomine complicatione, affectio ſpaſmodica unà accedit: Quicquid ſit, perſpicuum ſanè evadit ſtudiosè affectus infantum rimantibus, ſuccum acidum, nunc viſcidum plicisq; dictarum partium impactum, nunc tenuiorem & aqueo-ſeroſum rodentem, vaſculorumque oſcula, vel denudantem, vel etiam fibrillas in motus ſpaſmodicos concitando, ſanguinis liberum refluxum cohibentem, ſicque gangrænoſin inducentem cauſam proximam eſſe & radicem quaſi, ex quâ tot infantiles morbi, convulſivi præcipuè motus propullulent: Atque hujus acidi viſcidi fomitem lac præcipuè conſtituimus, indeque pultes ex hoc cum farinâ confici ſolitas, viſcoſum gluten vel primo aſpectu ſiſtentes. Lac verò ſub ſui corruptelâ mille larvas induit, uti præclarè loquitur perpetuâ laude digniſſ. Ettmüllerus, mille hinc nocendi artes, in ſpecie quando in infantis ſtomacho corrumpitur, indeque in inteſtinis ab adventantibus bile & ſero pancreatico variè alteratur, & à reſtitantibus collectisvé excrementorum particulis variè coinquinatur: Acrimoniæ certè hujus, præter effectus in hiſtoriis nominatos, indicium evidens viridis color eſt, acidum acre potiſſimùm agnoſcens, cujus generationem in praxi ſuâ explicat præfatus Sylvius: Viſcidum autem ex acido ſalſoque ferè prodit, agglutinatumque interſtitiis hæret, & ſpicula ſua quandoque pertinaciùs infigit, ut excuti mox non poſſint, ceu iſtud in infantulis pluribus ab aliquo tempore notavimus, qui primùm trenſatione circa præcordia viſibili prehendebantur, mox ejulatu tormina ſignificantes fæcibusque alvi, nunc lacti coagulato ſimilibus, nunc virideſcentibus & graveolentibus, unà cum flatuum copiâ: deinde verò malo increſcente, fomite profundiùs impacto, moribus convulſivis affligi ceperunt per intervalla, iisque paulatim ingraveſcentibus, à quibus tamen exhibito ſulph. antimon. Ettmülleri liberati fuerunt, utpote quo viſcidum ejusmodi eradicatum, vomituque hinc copiosè & ad ſtuporem adſtantium ejectum fuit, ut meritò ejus uſum prudenti Medico tutum

& citum

& citum commendare poſſimus. De irâ quæ diximus, experientia comprobat & ratio confirmat, cumque in hâc ſpiritus animalis primariò concitetur, ecquantum inde alterationis lacti materno accidere poſſit, eodem per nervulorum infinitas propagines impetuoſo affluenti, & cum illo ab infante mox hauſto divinare difficile non eſt, inprimis ſi perpenderimus, arctiſſimam, quam inter cerebrum ſpiritusque matris & fœtus in utero. Omni Sapiens Rerum Conditor communicationem & quaſi connubium eſſe juſsit, hoc ipſo in lucem excluſo non ſtatim ceſſare, tenerrimasque infantulorum fibrillas ab iſtâ ſpirituum inopinatâ ἐλάσει graviter lædi, licet objectorum impreſsionibus illos jam aſſuefeciſſe parumper matres videantur: Eleganter certè Ingenioſiſsimus Malbranchius: Quum primum tenebris emergens infans, lumine potitur, aëris circumjacentis frigus ipſius artus extemplò invadit, mollibus mulieris ipſum ſuſcipientis amplexibus, delicatula ipſius membra læduntur. Cuncta objecta externa ipſi imbelli ac inerti, utpote inuſitata terrorem incutiunt. Lacrymæ & vagitus quos edit ipſius dolorum formidinumque argumenta ſunt. De cœtero quæ de meconio in inteſtino cœco aſſervari ſolito, torminum poſt partum non rarò atrocium matre plurimi è Veteribus aſſeruerunt, univerſalia non eſſe, inteſtinum vacuum in utroque infantulo probat, cum tamen motibus convulſivis ab eodem labem funeſtam inducente, uterque correptus perierit. Dubii quoque ſumus ec quem uſum in embryonibus præſtet: cùm fruſtra non adſit: ſi omninò amplius in his deprehenditur, veriſimile nobis videtur, mucaginis excrementitiæ, quam cum liquore amnii hauſit, portionem aliquam aſſervare dum meliorem conſiſtentiam acquirat: Edito verò fœtu uſus hic prorſus fatiſcit. De Renum etiam lobulosâ ſubſtantiâ, quæ Scholio hiſt. 75. ſuperius attingere cepimus utrinque confirmantur, miratiq; fuimus ſæpius cervorum hinnulorum & damarum eandem configurationem, cum vaccarum, vitulorumque renibus non obtinere: Coronidis loco, quæ priorum occaſione Excell. *Sponius* An. 1682. nobis ſignificavit heic addemus: De Renibus, *inquit* Infantium è pluribus quaſi lobulis compoſitis quod ſubjungis, planè quadrat cum ſpectaculo, quod olim mihi tum Juveni, magnæq; Philiatrorum coronæ demonſtrabatur Pariſ. à JO. RIOLANO τῷ πάνυ in publicâ fœtus Anatomâ, ubi ex ipſius loquentis ore ſequentia à me ſcripto mandata ſunt: *Renes ex multis veluti glandulis conglobati, nuci pineæ ſimiles ſunt, ſuis nucleis conſtanti.* Item *Appendix cœci in fœtu exilis eſt, nequaquam verò ut omnes paſſim crepant Anatomici, ampla ad fœcum alvinarum receptionem.*

SOLI DEO GLORIA.

INDEX

INDEX AUTHORUM.

Ab Aquapendente Fabritius. p. 18.22 30.37.69.72.73.338.
Acta Lipsiensia 150.151.309
Anglicana 309
ACosta Joseph 299
Ælianus 54.56
Ægidius Everhardus 6
Alcmæon 56
Albertus 55.57
Aldrovandus 53
de l'Ancre 104
Anhorn Sylvest. Sam. 352
Andrieu Joh. 211
Antiochen. Eustathius 55
Arcæus 198
Archelaus 56
Arnobius 104
Argus s. Francus 292
Artaud Joh. 303
Artemidorus 104
Aristoteles 4.9.11.12.25.26.29.31. 40.41.42.47.49.55.56.64.65.66. 69.71.72.74.75.76.77.78.79. 80.81.87.88.106.299.301.342.343 348. 353. 354. 355. 356. 357. 359. 360.
Asellius 46
Astorinus Anton. 28.47.110
Athenodorus 78.79
Athenæus 79

Barbette 197.198
Bartenschlag Leonh. 89
Bartholinus Casp. 9.72.193.274
Thomas 26.142.201.241.308. 325.349.351.357.
Baumgarterus 115.149.363
Bauhinus Casp.22.231.236.295.300. 301.
Joh. p. 2.
Bauhinus Casp. jun. 194.221
Beda Elias 365
Bellinus 296.301
Bernoulli Joh. 194
Blasius Gerh. 11.301
Bodinus 55
Bochartus 54.55.78
Bohnius 85.312.313.322.338
Bonetus Theop. 75.125.208.286.307
Christoph. 213
Borellus 146.167.168.172.175.176
Borrichius Olaus 64.66.93.216.350
van Bosche Guil. 104
Bourdelottus 99 349
Boyle Robert. 299
Brunnerus J. Conrad. 86 137.251
Burcardus J. Rodolph. 32.96.138
Burgovverus Joh. 114

Cardanus 95
Cartesius 81. 168. 182. 240. 353
Charavejus 250
Charavel 289
Charletonus 75
Charras Moyses 89.97.99.100.101
Claudianus 334
Clavius 299
Cicero 134
Cochaud Philipert 289
Cole Guil. 82.83.84.85
Cyprianus 234

Danger Cephas 234
Darneddeni Andr. 18.228
Democritus 354
Deusingius 241

Dioſcorides 355
Dú Fort Philipert 233
Du Verney Joſeph. 128.193
Ephem. Germ. An. 1. p. 91. An. 2. p. 163. An. 1. dec. 2. 292.
Eglingerus Profeſſ. 188
- - Pharmacopæus 97
Ettmüllerus 145, 146. 150. 176, 177. 186, 187. 190. 192. 275. 280. 307. 374 375.
Falconet Andr. 288
Fatio 26.110
Felina 242
Feret 211
Feſor 325
Fernelius 342
de la Foreſt Anton. 234.289
Franc. Dan. 234
Freitagius 198
Frey 98
Galenus 22. 43. 106. 112. 260. 279. 294, 295. 343, 344.
Garmannus 303
Garnier Petr. 289
à Gemmingen 26.156
Geſnerus 53. 57. 78, 79. 93. 165
Glaſerus 214. 216. 218. 243, 244, 266, 316.
Gliſſonius 41, 42, 43, 44, 45, 46. 49. 50. 73. 80, 81, 82, 83, 84. 239.
de Graëf. Regn. 25. 34. 90. 156, 157, 158, 329.
Graſſius 185
Guerin Joh. Anton. 209
Haesbaert Mart. Joh. 14. 32. 199. 229. 259. 266. 370.
Hanemannus 125
Hanhard Huldr. 28. 47. 82, 83
Harderus Matth. 217. 266
- - Jac. 278
Harveus 18. 22. 30. 37, 69. 72. 73, 74, 75, 76, 77. 94. 338. 343.
Helmontius 112. 127. 190, 191. 228. 275. 281. 303.
Helbigius Otto 88
Helwigius 127
Hertodt 150
Heſychius 105
Hildanus Fabritius 91. 149, 150. 188. 221. 261.
Hippocrates 35. 37, 38. 94. 116, 120. 131. 133. 135. 138. 141. 145. 149. 151. 172. 174. 185. 196. 210, 211. 213, 214. 220. 222. 227. 235. 242. 257. 261. 265. 272. 278. 281. 295. 305, 306. 316. 320. 339. 343, 344. 351. 353. 355. 364.
Hobokenus 18. 20, 21
Hochreutner Jac. 18. 68. 77. 159. 199. 238. 245.
Hoffmannus 101
Hoffman Caſp. 213. 235
Hoferus 194
Hollerius 146. 214. 216. 372
Homerus 167
Horſtius 79. 221
Hottingerus Salom. 101. 267. 291
Hugonet Petr. 242
Huſerus 194

I,

Jacobæus Oligerus 7, 8, 9
Jalon 224
Jæniſius 348
Jones 172
Iſiodorus 57
Juſtinus 105
Kartſcher Dan. 28. 47. 82. 110. 326.
Kerkringius 151. 161
Kircherus Ath. 299
Köhlius Andr. 6. 14. 153. 199. 259
König Sigiſm. 309
- - Emanuel 18. 39. 68. 153. 199. 228, 268, 276.

Lampſvverdius Joh. Bapt. 150. 183.352.353,354,355,356,357,358, 359,360.
Lavaterus 181.184
Lavater D. 340
Ledelius 221
Lehenherr Dan. 110.156
Lemnius Levinus 351
Liebotius 214
Loſelius 301
Lovverus 286
de Lucques 242
Ludovicus 127.145.198
Lycophron 104
Magnenus 5,6
Magnus Albert. 150
Maiſterus Iſaacus 114
Majovius 117.175,176.239
Malpighius Marcell. 7,8.20.52.76. 83.166.208,209.231.296.311.329
Malebranchius 345.361.376
Martialis 57
Martianus Proſp. 183
de Marinis Dominic 370
Marcellinus Claud. 286.333
Maſſa Nic. 198
Maſsias Carol. 233
Matthæus 121
Matthiolus 88
Mauriceau 337.339.349
Mejerus J. J. 114.193,194.251
Merclinus 181
Mercurialis 203
Metzgerus ibid.
Mezeray 303
Mindius 79
Mitalerius Claud. 214
Morellus 241.253.256.309.324
Morus 99
Moutot Joh. 234
Mullerus 86
Mullerus Joh. Carol. 293
Munſterus Sebaſt. 340
Muraltus Joh. 58.64.66.101.103,104. 106.352.
Näbelius 26.28.108.110.326
Neander 5,6
Needham 18,19.21,22.24,25.29.31
Neretius 234
Nicander vide Screta H.
Nuken Anton. 193
Oppianus 53,54,55,56
Oſualdus 194
Paracelſus 120
Pariz de Papâ 217
Paſſavant Claud. 263.373
Patinus Carol. 266
Patavinus Domin. Sim. ibid.
Pauli Michaël 18.228
Pechlinus 93.269.311
Pejerus J. Conr. 2,3.18 19.23.26,27. 31,32.45.47.52.55,56.65.68,69.72 75.77 79.82,83.90.113.146.159.163 203. 207. 216. 269. 282.298.302. 340.345.352.360.370.
Pfiſterus 217
Philippe Joh. Dav. 28
Piſo 190.217,218.274.279.322
Pigræus 256
Platerus 136
Plutarchus 369
Plinius 12.56.78,79.103.105,106
Pons Claud. 233,234
Protoſpatharius Theoph. 214
Redi Franciſc. 5.8.12.95.98,99. 100,101,370.
de Rhodes Joh. 289
Rhodius Joh. 311
- - Apollonius 334
Richelmannus 163
Riolanus 223.236.249.376

Riverius 208
Rivinus Quirinus 85.193
Ritzius Uriel. 23.86.159.217.276. 293.373.
Rochet Pet. 217
Rochault 183
Rolandus 221
Rolwagen 156
Ronſæus Balduin. 221
Roſcius ibid.
Roth Jac. 96
Rüdinus J. Jac. 18.153.221.238.259
Ryhinerus 293
Salius 149
Salmuth 352
de la Sale 234
Sachs Philip. Jac. 351
Scaliger J. C. 53.57.94.105
Scherbius. Jac. Chriſt. 18.221.238.337
Schenkius 198.221.234.348
Schmidius 201
Schmidlinus 203
Schneiderus Conr. Vict. 151
Schorkopff 28.47.82.85.108.110,111. 156.227.322.326.329.
Schottus 299
Schultzius 220
Screta Henr. 248.249
- - Lud. 194
Schroëderus 104
Schroëkius 127.369
Segerus 25
Sennertus 175
Severinus 133.148,149.150,151
Sibelius 198
Speckerus 6.14.18.77.86.153.159.199. 221.223.238.276.278.293.
Spon. Carol. 56.101.137.209.211.231. 233.249.257.266.286.301.303. 329.333.365.370,371.376.
- - Jacobus 211.242.311
Steno Nic. 26.35.61.150.193.241.252
Stehelinus 114.194
Stockarus 147
Struys Joh. 95
Stumpffius 91,92
Suammerdamius 7.72
Sydenham 198
Sylvius 127.166.186.242.248,249. 281.374,375.
Tonjola Nicol. 114
la Tour 287
Tragus Hieron. 3
Tulpius 132.231,232.235
Varro 56.371
Varolius 103
Velſchius 40.53.57.58,59.91
Verdelet. 289
Verzaſcha 121.197
Vieuſſantius 150,151,152
de Ville 333
Vives Ludovicus 354
Volkamerus 51
Voſsius Joh. Gerh. 104
Wäbersky 39.221
Waldungus 43,44
Waldſchmid 90
Wedelius 128.221.275.214.341.
Wepferus J. Jac. 3.25,26.46.106.110. 119.121,122.139.142.156.183.194. 197.207.255.269.298,299.319. 323.328.349.351.
Werenfelſius Sam. 221
Wieland Joh. Conr. Senior. 60
Williſius 119.122.128.131.146.161, 162.171.175.190.227,238.248.251 254,255.263.269.273,274,275. 279,280,281.286.301.303.
Zäslinus 221.238.259
Zollicoferus David. 293
Zollicoferus Hieronym. 245.278
Zwickius Theod. 28
Zwingerus Theod. 26,27.39159.188 245.268.340.

INDEX
RERUM AC VERBORUM locupletissimus.

Prior numerus Observationem, posterior paginam denotat.

A.

Abdomen flatibus distentum 56. 229. & seqq.
ichore subfœtido repletum 55. 228
sero acido refertum 60. 244
Abscessus cerebri ex ictu 31. 138
Acidum austerum epilepsiæ causa p. 180
Aconitum flore luteo 1. 2
Adolescentis hydropici μεγαλοσπλάγχνε anatome 74. 284
Aeris in venam jugularem canis injecti noxæ p. 114
Ægagropilarum historia p. 57. & seqq.
Affectus rari historia 75. 286. & seqq.
Allantois tunica commodius dicitur urinaria p. 28
Anatomiæ memorabilis historia 88. 329 & seqq.
Aneurismatis infaustæ sanatio 86. 324
Animi pathemata fortiora nocent p. 168
Animal quodcunque sui conservationis studiosum est p. 100
Apoplexiæ causæ 30. 136. item p. 119
Apoplectica mulier subitò enecta 30. 137. & seqq.
Appetitus prostrati causa p. 170
Aquilæ anatome. 15. 60-67.
Arenulæ in hepate 45. 200
per urachum excretæ 94. 365
Asthma convulsivum à strenua compotatione 42. 188. ejus cura ib.
Atrophia partium inferiorum unde 29. 132
curatio difficilis ibid.
Atrophia unde oriatur 87. 327

B.

Bilis genuinus motus p. 83. 84. item p. 166. 167.
necessitas p. 81
usus p. 82. 85.
Bohnii experimentum circa motum bilis p. 85.

C.

Cachexia ex pulmonum & pancreatis scirrhositate, 47. 205
ejusd. historia & cura, ibid.
Caducus pulmonum quid sit? 42, 190
Calculi renum generatio 78. 302. & seqq.
in infante trimulo historia & anatome 78. 301. & seqq.
Calculorum in vesica fellea exortus 59. 242
Calculosi pulmones 45. 199. ejusd. historia ibid.
Cantharidum virtus in quonam consistat 28. 129.
Caput cur sit figuræ globosæ? p. 161. ejusd. vulnus ingens 26. 114. & seqq.
Carbonum noxæ p. 70
Carnosa substantia in dextro cordis ventriculo reperta 57. 234
Catarrhus apoplecticus cum febri & subsequente memoriæ defectu 27. 117

ejus cura ibid.
cum vocis ablatione & ſiniſtri lateris paralyſi &c. 28.123
ejusd. hiſtoria & cura. ibid.
Catarrhi delabentes 151
Cerebellum ſcirrhoſum 58.238
Cerebellum verſus ſpinalem medullam procumbens 31. 138
Cerebri abſceſſus ex ictu ibid.
ejusd. hiſtoria ibid.
cavitates ſanguine fluido diluto fartæ & oppilatæ 30. 137
meninges adnatæ 34.153
motus 116.117
ſubſtantia fiſſa ac diſrupta 30.137
ventriculi ichore repleti 30. 134
Cerebrum liquoris alicujus ſpiſſioris inſtar & albi pultem referentis diffluens 30. 136.
Cerebrum ſero refertum 60. 244
Charaſii experimenta excutiuntur 99,100
Ciconiæ devorant innoxiè cantharides 1, 3
Ciconiæ oleo nicotianæ enectæ anatome 1,2
Cicutæ terreſtris noxæ in variis animalibus 25.106
virtus in quo conſiſtat & qua ratione enecet? 3. 13
Coccularum effectus in ciconia 1. 1
Colicus dolor tympanitidem æmulans 70. 271. & ſeqq. ejusd. hiſtoria & cauſæ ibid.
Columbæ viperarum morſu enectæ anatome p. 95. & ſeqq.
Comato epileptici hiſtoria 35.158.163
Conceptio quid & quotuplex ſit? p 34
Contuſio capitis ex caſu, cum vomitu, febri, delirio & ſopore, ſiniſtri lateris paralyſi & motibus convulſivis &c. 32. 142. ejusdem hiſtoria ibidem.
Contuſionis capitis ex caſu hiſtoria 31.138
Convulſiones interpolatæ in infantulo teſticulis in ſcroto deſtituto 100. 373. & ſeq. ejusd. hiſtoria anatomica. ibid.
Cor ab ichore acerrimo eroſum 51,216
Cor absque pericardio 57.234
Cor magnum 74.285
Cor ranarum è corpore evulſum & tripudians 3.9
Cordis oppreßio ex multa ſanguinis grumoſi in auricula & ventriculo dextro contenti copia 56.229. & ſeqq.
Corporum ſtriatorum uſus 28. 128
Cotyledones 8. 19
Crus dextrum gangræno ſum 88.332
Cuniculorum Braſilienſium anatome 9.24

D.

Diarrhœæ cauſa p. 170
Ductus choledochi in variis animantibus deſcriptio p. 82. 86
choledochus obſtructus 62 250
hepaticus triplex 20.81
ſalivalis Ant. Nukii p. 193. & ſeqq.
Dyſpnœæ cauſa p. 155
Dyſtocia ex integumentis cranium fœtus obvolventibus ſanguine extravaſato anterius refertis 89.333. & ſeqq.

E.

Epilepſiæ cauſæ exponuntur p. 135.180. 372.
Epileptici infantuli hiſtoria ex inteſtinorum tenuium eroſione & gangræno ſi. 99.372 & ſeqq.
Epilepticus inſultus ſubitaneam mortem infert 30. 133. & ſeqq.
Epiploon luteo colore tinctum 59.242
Epiploi ſcirrhus 46.203. & ſeqq.
Excandeſcentiæ febrilis cauſa p. 167. 168. 174.
Exuviæ viperarum poſt mortem circumgyrari videntur 3.9

F.

Fæcum alvinarum profluvium involuntarium 29.131
ejus causa ibid.
Febris à motibus convulsivis orta 37.168.171.
essentia seu ratio formalis 61.248
quartana cum motibus epilepticis 60.244.
Fœminæ semen non ejaculantur p.75
Fermentum stomachicum datur p.41
Fibrillarum cerebri usus 28.128
Fœtus humanus cum suis involucris ex utero feminæ maleferiatæ 11.32.& seq.
nutritur & per venas umbilicales & per os p.38
semiputridus, secundinis novem diebus ante excretis, ex utero extrahitur 90.336. & seqq.
Fœtuum leporinorum anatome 9.23
vitulinorum, eorumq; secundinarum anatome 8.16. & seqq.
Frigoris noxæ p.93.94
Funiculi umbilicalis vitulini descript. p.20

G.

Gallinæ subitò enectæ anatome 17.68
ex carbonibus devoratis fatum 16.65
ductus choledochi 18.72.73
organa spiritalia ibid.
ova & ovaria ibid.
vesicula lactea ibid.
Gangræna lateris sinistri 88.332. ejus causa ibid.
Glandula quid sit 62.212
pinealis reperitur in canibus 20.81.86
Glandulæ cerebri, earumq; usus 28.128
intestinorum in cervo 41
stomachicæ 62.251
Gravidarum perversæ imaginationis vitiosi effectus 91.340
Grumi sanguinis urinæ permixti unde proveniant 29.131.

H.

Hæmoptoe ex mensium suppressione 81 313. & seqq.
ejus causa & curatio ibid.
Hæmorrhagia narium insolita 41.184
uterina cum fœtus immaturi exclusione 84.318. & seqq.
Hepar arenosum 45.200
duplicatum 58.237
magnum 51.215.57.235.59.242.60.244.77.293. ejus causæ & incommoda 58.38
putridum & exuccum friabile 59.242
sanguine orbatum 56.232
Hepatis abscessus 59.241. & seqq.
usus ibid.
Hiatus amplus in cerebri meditullio vi sanguinis impetuosè erũpentis factus 30.137
Hinnuli interanea 13.47
Homines caudati p.95
Hydatides numerosi in ovar. muliebr. 88.332
quid sint, ibid.
Hydrocephali generatio p.149.& seqq.
Hydrocephalici anatome 33.147. & seqq.
Hydropici examen anatomicum ibid.
Hydrops ascites 72.278.& seqq.
à scirrho partium glandulosarum 71.276. & seqq.
ex rene dextro materia calculosa opleto 72.277
ovarii muliebris 87.325. & seqq.
pectoris 51.215
pericardii 50.214
Hypercatharsis funesta ex medicamento assumpto 69.267. & seqq.
Hypogastrii dextri & pudendi pars gangrænosa 88.332

I.

Ichor serosus & cruentus circa cerebri basin copiosè stagnans 34.153
stagnans in ventriculis cerebri & circa medullam oblongatam 30.134.

Ictterus cum febri tertiana 60.243.*& seq.*
Jecur vid. Hepar
Ignis actual. virtus in quonã consistat? 128
an in lymphæ coagulo vasculo non disrupto adhibendus, sicut in dolore ischiadico? p. 133
Ileos funestus ex enterocele & gladii ictu 64. 253.
Iliaca passio undo oriatur? 66.260.*& seq.*
Inconcinna capitis figura stoliditatis causa p.161.
Ingluvies gallinarum renasci potest p.70
Interaneorum putrilago 55.228
Intestina flatibus distenta 58.237
lumbricis referta 60.244
luteo colore tincta 59.242
Intestini à lumbricis perforati cum tumore subitaneo in inguine dextro 68.264.*seq.*
Ilei & glandularum ejus gangrænosis cum abscessibus variis in imo ventre latentib. 65.258.*& seq.*
Ilei gangrænosis & perforatio 26.259
tenuis vulnus 67.263
Intestinorum cervi anatome 12.39.*& seqq.*
tenuium vulnera periculosiora sunt quàm crassorum 68.265
Intestinum cœcum variorum animalium describitur p.43.*& seqq.*
jejunum malè sic nuncupatur p.42
Iræ damna p.167
Juvenis subitaneâ morte defuncti historia 57.233.

K.

Κεμὰς Æliani p.45.

L.

Lacerta per alvum pueri excreta p.89
Lacertarum anatome 21.86.*& seqq.*
jejunium p. 88
morsus p. 89
Lampsverdius vapulat 92.352.*& seqq.*
Lana succida ovium 10.31
Lethargi sedes & causa p.145.146
Lepores placentâ uterinâ duplici gaudent 9. 24.
quomodo superfœtationi obnoxiæ 9.26
sexum non mutant ibid.
Leporis gravidæ anatome 9.233.*& seqq.*
Lien decolor & exanguis 51.215
duplex 54.204. *ejus ortus* p.202
in quinque lobulos divisus 50.215
magnus 60.244
sanguine orbatus 56.232
scirrhosus & calculosus 61.246
Ligamenti foliacei structura p. 34
Liquor flavus glandularum vaginalium in serpentibus p.98.99
Liquoris in abdomine contenti incredibilis quantitas 88.331
Lithontriptica quænam? 78.303
Lumbricorum diversitas in corpore humano unde proveniat? 98.370
in capitibus vervecinis, cervinis &c. generatio unde proveniat 98. 370.*& seqq.*
in corpore humano generatio unde & quomodo fiat 98.369
per urinam & nares excretorum historia 98.368
Lumbricus, fascia lata dictus per alvum excretus 97.368
Lupariæ descriptio 1. 2
radicis effectus in ciconia majore 1.*& seqq.*
Luxatio vertebrarum lumbarium à delapsu ex alto cum urina & fæcum alvinarum suppressione primo contumaci, dein incontinentia 29.129.*& seqq.*
Lymphæ ductus duræ meningis p.150

M.

Maulwurff p.104
Maxillæ contusio ex casu, cum vomitu, febri, delirio & sopore, sinistri lateris

teris paralysi & motibus convulsivis 32. 142. & seqq.
Medicamentorum topicorum agendi ratio p. 110
Medulla spinalis scirrhosa 58. 238. & seqq.
Medullæ spinalis structura & usus 29. 130 & seqq.
Membrana utriformis viscera abdominis obumbrans iisq; adhærens 88. 331
Memoriæ læsæ exempla & causæ 27. 117. & seqq. organum p. 122
Mensium per aures excretorum, præcedentibus motibus convulsivis, histor. 83. 316
per vomitum oculosq; excretorum historia 82. 314. & seqq.
Menstrui fluxus causa 81. 312
Mercurii virtus 43. 192. & seqq.
Mictio lapidea 80. 307. & seqq.
sanguinolenta 37. 168. & seqq. 79. 304. & seqq.
Mingendi difficultas unde oriatur 87. 328
Molarum generatio 92. 346. & seq.
Mors subita & inopinata 36. 135. & seqq. 36. 163. & seqq.
Motus convulsivi cum subsequenti febri & mictione cruenta 37. 168. & seqq.
Motuum convulsivorum causæ 33. 148 & seqq 37. 170. & seqq. 39. 180. & seqq. 100. 375.
Muci narium ortus p. 152
Mulier apoplexia subito enecta 30. 137
Muris alpini anatome 22. 90. & seqq.
docilitas p. 91
somnus hyemalis p. 93
Musculorum dorsi ex globulo sclopeti ictus lethalis 26. 115.

N.

Nicotianæ virtus 2. 4. & seqq. 28. 126
incommoda & noxæ 43. 192. & seqq.
Niveæ ranarum corpuscula 3. 9

O.

Odoratus organum p. 182. & seqq.
objectum ibid.
Odoratus vitiosus, ejusq; causa 40. 180. & seqq.
Oleum an communis insectorum hostis 3. 8
Olei nicotianæ effectus in cane molosso 7. 14. & seqq.
ciconia femellæ 2. 4
lacertis 6. 13
limacibus ibid.
serpentibus 4. & 5. 10. & seqq.
Omentum putridum 60. 244
Opii virtus 70. 275
Ova in ovariis ante formata existunt p. 73
Ovarium muliebre ovi gallinacei magnitudinis 88. 332
tubæ uterinæ tunica investitum ibid.
vaccinum 8. 20
Oviductuum abscessus 58. 238. & seqq.
Ovorum fœcundatio qui fiat? p. 74
gallinaceorum albumen p. 76
nutritio p. 75
putamen p. 76
vitellum p. 75

P.

Pancreas scirrhosum 59. 242. 62. 250. & 88. 332.
Paralysis pedum 78. 303.
ex ictu 31. 138. ejusd. historia. ib.
Partium genitalium in cervis contemplatio 12, 40.
in juvene examen 34. 154. & seq.
Partus causa 90. 338
difficilis causæ 90. 339
Pericardium ichorosum 58. 238. & 66. 260
Phthiseos & pectoris hydropis histor. 51. 215 & pericardii hydrop. historia 50. 214
Phthisicæ defunctæ virginis historia. 49. 211
causa ibid.
Phthisici anatome 73. 283. & seqq.

Pthiſis cum calculis è pulmonibus & palato excretis &c. 44.194. & ſeqq.
ejuſdem hiſtoria & cura ibid.
cum hydrope ex peripneumenia 73 282.
ex pulmonum & pancreatis ſcirrhoſitate 47.205. & ſeq.
ejusd. hiſtoria & cura ibid.
ex topicis ſcabiem repellentibus 49 213.
quomodo producatur? 44.195. & ſeqq.
Pica unde oriatur? p.70
Pinguedo in corde hinnuli reperta 56.230
Placenta uteri humani 36
Pleuritidis hiſtoria 54.224. & ſeqq. *ejuſd.*
curatio & cauſa ibid.
à febri verminoſa hiſtoria & cura 96.366. & ſeqq.
in empyema tranſeuntis hiſtoria cum ſopore funeſto ac cerebri cortice exteriori purulento 53.221. & ſeq. *ejuſd. cauſa* 53.222. & ſeq.
Polypus cordis 58.238 & 55.228
circa baſin cerebri 34.154
ejusd. generatio 56.231.
Polypi in corde vaſisq; huic appenſis maximi 66.260. & 61.246
in duplicatura meningum 77.294
Porcelli Indici anatome 9.27
animalia ruminantia ſunt ibid.
placenta uterina duplici gaudent ibid.
Ptyaliſmus ab immodico nicotianæ fumo contractus 43.191. *ejusd. hiſtoria & cura* ibid.
à mercurii dulcis exhibitione 43.192
Puella calculicaca 80.309
rene dextro cum ſuccenturiato carens 77.292
Pulmones adnati 76.291
calculoſi 45.199. *ejuſd. hiſtoria* ibid.
coſtis utrinq; pertinaciter adnati 34. 153.
nigri & pleuræ adhærentes 88.332
putridi 59 242. & 66.260
putridi & ſcirrhoſi 46.203. *ejuſd. hiſtoria* ibid.
ſubputridi 58.238
Pulmonis deſcriptio 44.195
ex gladii ictu vulnerati hiſtoria 52 218. & ſeq.
Pulmonum abſceſſus 57.234
Purgantia circumſpecte adhibenda 69.268 & ſeqq.
Putredo carnis in femore 29.130

R.

Ranarum anatome 3.6. & 7
coäx unde? 3.10
Ren dexter in gallina calculis ſcatens p.71
magnus & per quatuor inſignes fiſſuras diviſus 77.293
ſiniſter eroſus & tunica ejus ſummopere incraſſata 76.291
in gallina deficiens p.71
Renes 77.294. & ſeqq. *eorund. ſtructura & uſus* ibid.
ſuccenturiati inſolitæ magnitudinis 61.246.
eorundem ſtructura 77.300
Rima in dextro cerebri ventriculo 30.137
Ruminatio non eſt motus voluntarius p.48 & ſeqq.
quomodo perficiatur? ibid.
Ruminationis præſtantia ibid.
requiſita 12.14. & 47.88
Rupicaprarum hiſtoria 14.53. & ſeqq.

S.

Sacculus glanduloſus in cervo 12. 39 & 46.
Salia volat. aromatica quando exhibenda? 32.145.
Sanguis concretus ovi gallinacei magnitudine

dine in cerebro repertus 30.137
exæſtuans an reſolventia validiora & volatilia ſulphurea admittat? 32.144.
grumoſus in cerebro repertus 30.134
inter cranium & duram meningem extravaſatus 31.138
Sanguinis eruptio per aures 31.138
per fœtuum pulmones motus 8.23
Scabiei cauſa p.170. & ſeq.
Schärz p.104
Scharzer ibid.
Schermauß ibid.
Scirrhus quomodo in glanduloſa carne oriatur? 62.251
Secretio quomodo fiat? 62.251
Secretionis animalis requiſita p.42
Senſus communis quid ſit? p.122
Serpentum morſus, & quî ſanandus? 5.12
oleo nicotianæ enectorum anatome 4.10. & 5.11 & ſeq.
Sinus duræ meningis novi, eorumq; uſus p.152.
Spaſmus flatulentus inſolitus 95.365. *ejuſdem cauſa* ibid.
Spiritus animalis ad nutritionem requiritur 29.132
non fermenteſcit p.173
Spiritus ſalis armoniaci in venas injectus funeſta excitat ſymptomata p.166
Sputum ſanguineum purulentum 73.282
Stoliditatis cauſæ p.161. & ſeq.
Subſtantia cerebri fiſſa & diſrupta 30.137
Superfœtationis exempla 92.350

T.

Tabe conſumti puelli hiſtoria 48.209
Talpæ anatome Muraltiana 24.101 & 105.
nomen 24.104
pellis 24.105
reſpiratio ibid.
ſenſus 24.104. & 105.
Tardæ avis hiſtoria & interanea 19.77
Tetanus utriusq; cruris & pedis imi ex dolore in lumbis & inguine 39.177
Thermæ rheumatiſmo correptis funeſtæ 74.284.
Thorax ichore repletus 57.244
ſero cruento repletus 57.234
Thymus duritie ac ſubatro colore præditus 66.260.
ſcirrhoſus 46.204
Tincturæ antimonii effectus in motibus convulſivis 38.137. & ſeqq.
Tubæ Fallopianæ ſubſtantia quænam? 34 & 35.
Tumor internus in regione hypogaſtrica ſubortus 88.331

V.

Vaccæ, oves, capræ &c. animantia ſunt cotyledonifera 8.19
Valvulæ conniventes 162. & ſeq.
Vaſa emulgentia in utroq; rene duplicata 61.246.
in quatuor ramos diviſa 53.222
in ſiniſtro latere duplicata 71.277
Venæ cruralis ſpontanea apertio 85.322
ejuſd. hiſtoria & cura ibid.
umbilicalis in fœtibus vitulinis progreſſus 8.21. & ſeq.
Venenum viperarum eſt acidæ naturæ p.101
Ventriculi cerebri ichore referti 30.134
Vermium generatio in carne putreſcente 29.130.
in corpore humano noxæ p. 146. & ſeq.
Veſicatoriorum virtus in quonam conſiſtat? 18.128.
Veſicæ inflammatio unde oriatur? 29.131
Veſicula fellis in infimo hepatis lobo ſita

ac cum initio duodeni arctè coharens 66.260.
calculis repleta 59.242
Veſiculæ fellis intima tunica, quæ glandulosa eſt, bilem non ſecernit p.82.
vices in equis præſtat porus hepaticus ampliatus p.82
pariter in hinnulo ibid.
in cervo ibid.
Veſicularum ſeminalium ſtructura & uſus in homine p.155. & ſeqq.
cervo ibid. apro majore ibid.
Vertigo ex vini & nicotianæ abuſu 28.123
ejuſd. hiſtoria ibid.
cauſa ibid.
curatio ibid.
Vinum podagricis nocet 42.189
Viperarum morſus 23.95. & 101
Viſcera inferioris ventris connata & conglutinata 48.209
Vita animantium conſiſtit in motu ſanguinis p.37
Umbilici inflati & pervii hiſtoria 94.364
ejuſd. cauſa ibid.
Vomitoria gravidæ fœminæ necem attulerunt 11.32 & ſeq.
Vomitus à viſo cathartico medicamento p.183.
ex irritatione meningum 31.140
funeſtus à pylori ſcirrhoſitate 62 244.
iliacorum quomodo fiat? 64.254 & ſeq.
periodicus in hernioſo 63.253. ejuſd. hiſtoria ibid.
quomodo fiat? 62.251
Urachus fœtus vitulini 8.22
Urinæ profluvium involuntarium unde oriatur? 29.131
retentio unde oriatur? ibid.
Ureter magnus & amplus 77.293
Uromantæ ridentur p. 120
Uteri abſceſſus 58.237
humani deſcriptio p.35
poſt partum pertinaciter inflati hiſtoria 93.362 ejusd. cauſa 93 363.
ſubſtantia ſubdura & quodammodo cartilaginoſa 51.215
ovilli prægnantis hiſtoria 10.27,28
porcini prægnantis hiſtoria ibid.
vaccini deſcriptio 8.18,19
Uterus craſſus & ſcirrhoſus 88.331
quomodo ſeſe à conceptionis tempore ita dilatare fœtuiq; ſenſim ſenſimq; creſcenti domicilium præbere queat? 93.362. & ſeq.
Vulnera capitis quænam ſint lethalia? 31 139.
Vulnerariorum remediorum virtus 79 .307.

FINIS.

